Julii-Augusti 1926

# Collationes Brugenses

OPUS PERIODICUM

auctoritate Ill^mi ac Rev Episcopi Brugensis

ET OPERA

RR. DD. Professorum Maj. Sem. Brugen.

EDITUM

*Labia sacerdotis custodient scientiam*

MAL., II, 7

TOMUS XXVI

BRUGIS FLANDRORUM

SEMINARIUM EPISCOPALE

MCMXXVI

Septembris-Octobris 1926

# Collationes Brugenses

OPUS PERIODICUM

auctoritate Ill^mi ac Rev^mi Episcopi Brugensis

ET OPERA

RR. DD. Professorum Maj. Sem. Brugen.

EDITUM

*Labia sacerdotis custodient scientiam*

MAL., II, 7

TOMUS XXVI

BRUGIS FLANDRORUM

SEMINARIUM EPISCOPALE

MCMXXVI

# Collationes Brugenses

OPUS PERIODICUM

auctoritate Ill^mi ac Rev^mi Episcopi Brugensis

ET OPERA

RR. DD. Professorum Maj. Sem. Brugen.

EDITUM

*Labia sacerdotis custodient scientiam*

MAL., II, 7

TOMUS XXVI

ALMA COLLEGE LIBRARY

BRUGIS FLANDRORUM

SEMINARIUM EPISCOPALE

MCMXXVI

25321

v. 26
1926

Digitized by the Internet Archive
in 2024

https://archive.org/details/collationes-brugenses_july-august-1926_26

# Collationes Brugenses

## Litteræ encyclicæ

AD VENERABILES FRATRES PATRIARCHAS, PRIMATES, ARCHIEPISCOPOS, EPISCOPOS ALIOSQUE LOCORUM ORDINARIOS PACEM ET COMMUNIONEM CUM APOSTOLICA SEDE HABENTES : DE FESTO DOMINI NOSTRI IESU CHRISTI REGIS CONSTITUENDO (1).

### PIUS PP. XI

VENERABILES FRATRES

SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Pax Christi in regno Christi quærenda.

Quas primas post initum Pontificatum dedimus ad universos sacrorum Antistites Encyclicas Litteras, meminimus in iis Nos aperte significasse — cum summas persequeremur earum calamitatum causas, quibus premi hominum genus conflictarique videremus — non modo eiusmodi malorum colluviem in orbem terrarum idcirco invasisse quod plerique mortalium Iesum Christum sanctissimamque eius legem cum a sua ipsorum consuetudine et vita, tum a convictu domestico et a re publica submoverant ; sed etiam fore nunquam ut mansuræ inter populos pacis spes certa affulgeret, usque dum et homines singuli et civitates Salvatoris Nostri imperium abnuerent ac recusarent. Itaque *pacem Christi* ut quærendam *in regno Christi* monuimus, ita Nos, quantum licuisset, præstituros ediximus : in regno Christi, inquimus, quippe Nobis videbamur ad pacem redintegrandam stabiliendamque non posse efficacius, quam, Domini Nostri imperio instaurando, contendere. Haud obscuram quidem exspectationem meliorum temporum Nobis interea moverunt studia populorum illa in Christum inque eius Ecclesiam, unam salutis effectricem, aut primum conversa aut longe excitata acrius : unde etiam apparebat, multorum, qui,

Spem meliorum temporum movent studia populorum in Christum et Ecclesiam.

(1) *Acta Apost. Sedis*, XVII, p. 593 s.

contempto Redemptoris principatu, quasi regno extorres facti erant, parari auspicato et maturari ad officia obedientiæ reditum.

*Eventus anni sancti*, nimirum missionum res publice ad spectandum propositæ,

At quicquid, vertente Anno sacro, evenit actumve est, perpetua sane recordatione ac memoria dignum, nonne inde Conditori Ecclesiæ, Domino ac Regi summo, plurimum honoris accessit ac gloriæ? Etenim, sacrarum Missionum rebus publice ad spectandum propositis, nimium quantum mentes hominum sensusque pepulere sive data ab Ecclesia continenter opera regno Sponsi sui cotidie latius in omnes terras insulasque — vel per oceanum remotissimas — proferendo, sive magnus regionum numerus, summo cum sudore ac sanguine, a fortissimis invictisque missionalibus nomini catholico adiunctus, sive quæ reliquæ sunt locorum magnitudines, salutari benignæque Regis nostri dominationi subiiciendæ. Porro quotquot, sacri temporis decursu, in Urbem undique, Antistitum sacerdotumve suorum ductu, concessere, quid iis omnibus consilii fuit, nisi ut, expiatis rite animis, ad Apostolorum sepulcra et coram Nobis, se in imperio Christi et esse et futuros profiterentur? Atque hoc ipsum Servatoris nostri regnum nova quadam luce tum splendere visum est, cum Nosmet sex confessoribus virginibusque, comprobata præstantissimarum virtutum laude, sanctorum cælitum honores decrevimus. O quantum voluptatis animum Nostrum incessit, quantum solacii, cum, in Petriani templi maiestate, post latas a Nobis decretorias sententias, ab ingenti fidelium multitudine, inter gratiarum actionem, conclamatum est: *Tu Rex gloriæ Christe.* Namque, dum homines civitatesque a Deo alienæ, per concitatas invidiæ flammas intestinosque motus, in exitium atque interitum aguntur, Ecclesia Dei, pergens spiritualis vitæ pabulum humano generi impertire, sanctissimam, aliam ex alia, virorum feminarumque subolem Christo parit atque alit, qui, quos sibi fidissimos in terreno regno subiectos parentesque habuit, eosdem ad æternam regni cælestis beatitatem advocare non desinit. Exeunte præterea inter Iubilæum maximum millesimo sexcentesimo ab habita Synodo Nicaena anno, sæculare eventum eo libentius celebrari iussimus et Nosmet ipsi in Vaticana Basilica commemoravimus, quod ea Synodus Unigeniti cum Patre consubstantialitatem sanxit ad credendumque catholica fide proposuit, itemque, verba « cuius regni non erit finis » in suam fidei formulam seu

peregrinorum innumerorum ad Urbem adventus,

canonisationes sanctorum,

jubilæum synodi nicænæ, *regiam Christi dignitatem affirmarunt.*

Symbolum inserendo, regiam Christi dignitatem affirmavit.

Cum igitur Annus hic sacer non unam ad inlustrandum Christi regnum habuerit opportunitatem, videmur rem facturi Apostolico muneri in primis consentaneam, si, plurimorum Patrum Cardinalium, Episcoporum fideliumque precibus, ad Nos aut singillatim aut communiter delatis, concedentes, hunc ipsum Annum peculiari festo D. N. Iesu Christi Regis in ecclesiasticam liturgiam inducendo clauserimus. Quæ agitur causa sic Nos delectat, ut de ea vos, Venerabiles Fratres, aliquantum affari cupiamus: vestrum postea erit, quicquid de Christo Rege colendo dicturi sumus, ad popularem intellegentiam et sensum ita accommodare, ut decernendam annuam sollemnium celebritatem multiplices excipiant ac sequantur in posterum utilitates.

Quare hunc annum sacrum institutione festi D.N.J.C. Regis claudere opportunum erit.

Ut translata verbi significatione rex appellaretur Christus ob summum excellentiæ gradum, quo inter omnes res creatas praestat atque eminet, iam diu communiterque usu venit, Ita enim fit, ut regnare is *in mentibus hominum* dicatur non tam ob mentis aciem scientiæque suæ amplitudinem, quam quod ipse est Veritas, et veritatem ab eo mortales haurire atque obedienter accipere necesse est; *in voluntatibus* item *hominum*, quia non modo sanctitati in eo voluntatis divinae perfecta prorsus respondet humanae integritas atque obtemperatio, sed etiam liberæ voluntati nostræ id permotione instinctuque suo subiicit, unde ad nobilissima quæque exardescamus. *Cordium* denique *rex* Christus agnoscitur ob eius *supereminentem scientiæ caritatem* (1) et mansuetudinem benignitatemque animos allicientem: nec enim quemquam usque adeo ab universitate gentium, ut Christum Iesum, aut amari aliquando contigit aut amatum iri in posterum continget. Verum, ut rem pressius ingrediamur, nemo non videt, nomen potestatemque regis propria quidem verbi significatione, Christo homini vindicari oportere; nam, nisi quatenus homo est, a Patre *potestatem et honorem et regnum* accepisse (2) dici nequit, quandoquidem Dei Verbum, cui eadem est cum Patre substantia, non potest omnia cum Patre non habere communia, proptereaque ipsum

1° — *Doctrina catholica* de Regno Christi. Translata significatione Christus dicitur regnare in mentibus,

in voluntatibus,

in corde hominum.

Nomen regis *proprio sensu* Christo etiam tribuendum.

---

(1) *Eph.*, III, 19.
(2) *Dan.*, VII, 13-14.

in res creatas universas summum atque absolutissimum imperium.

*Probatur* Scriptura sacra, tum in libris veteris testamenti,

Christum esse Regem nonne in Scripturis sacris passim legimus? Ipse enim dicitur dominator de Iacob oriturus, (1) qui a Patre constitutus est rex super Sion montem sanctum eius, et accipiet gentes hereditatem suam et possessionem suam terminos terræ; (2) nuptiale autem carmen, quo, sub regis ditissimi potentissimique specie ac similitudine, verus, qui futurus erat, rex Israel celebrabatur, hæc habet: *Sedes tua, Deus, in sæculum sæculi; virga directionis, virga regni tui.* (3) Ut multa id genus prætereamus, alio quidem loco, quasi ad Christi lineamenta clarius adumbranda, prænuntiabatur fore ut regnum eius, nullis circumscribendum finibus, institiæ et pacis munera locupletarent: *Orietur in diebus eius iustitia, et abundantia pacis... Et dominabitur a mari usque ad mare: et a flumine usque ad terminos orbis terrarum.* (4) Huc vel uberiora accedunt prophetarum oracula, illudque in primis Isaiæ pervagatissimum: *Parvulus... natus est nobis, et filius datus est nobis, et factus est principatus super humerum eius; et vocabitur nomen eius Admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, pater futuri sæculi, princeps pacis. Multiplicabitur eius imperium, et pacis non erit finis super solium David, et super regnnm eius sedebit: ut confirmet illud et corroboret in iudicio et iustitia, amodo et usque in sempiternum.* (5) Nec sane aliâ atque Isaiæ sententia ceteri prophetæ vaticinantur: ut Hieremias, prædicens *germen iustum* ab stirpe David oriundum, qui quidem Davidis filius *regnabit rex et sapiens erit: et faciet iudicium in terra*; (6) ut Daniel, qui regnum prænuntiat a Deo cæli constituendum, quod *in æternum non dissipabitur.... stabit in æternum;* (7) et haud multo post subiicit: *Aspiciebam in visione noctis et ecce cum nubibus cæli quasi filius hominis veniebat, et usque ad antiquum dierum pervenit, et in conspectu eius obtulerunt eum. Et dedit ei potestatem et honorem et regnum,*

---

(1) *Num.*, XXIV, 19.
(2) *Ps.* II.
(3) *Ps.* XLIV.
(4) *Ps.* LXXI.
(5) *Isal.*, IX, 6-7.
(6) *Hier.*, XXIII, 5.
(7) *Dan.*, II, 44.

*et omnes populi, tribus et linguæ ipsi servient ; potestas eius, potestas æterna, quæ non auferetur, et regnum eius, quod non corrumpetur.* (1) Zachariæ autem prædictum illud de Rege mansueto, qui, *ascendens super asinam et super pullum asinæ*, Hierosolymam *iustus et salvator*, gestientibus turbis, ingressurus erat, (2) nonne sancti evangeliorum scriptores impletum agnoverunt et comprobarunt? - Eadem ceteroqui de Christo Rege doctrina, quam Veteris Testamenti libris consignatam delibavimus, tantum abest ut in Novi paginis evanescat, ut contra, magnifice splendideque confirmetur. Qua in re, ut Archangeli nuntium vix attingamus, a quo Virgo docetur, se filium parituram, cui dabit... Dominus Deus sedem David patris eius et qui regnabit in domo Iacob in æternum et regni eius non erit finis, (3) Christus de suo ipse imperio testatur : sive enim in postremo ad populum sermone de præmiis pœnisve locutus est, quibus in perpetuum iusti vel rei afficiendi forent, sive Præsidi romano respondit, publice ex ipso utrum rex esset percontanti, sive, postquam resurrexit, Apostolis munus docendi et baptizandi omnes gentes commisit, oblata opportunitate, et sibi regis nomen attribuit, (4) et se regem esse palam confirmavit, (5) et sollemniter edixit, datam sibi esse omnem potestatem in cælo et in terra : (6) quibus profecto verbis quid aliud, quam eius magnitudo potestatis et infinitas regni, significatur? Num igitur mirari licet, si, qui a Ioanne dicitur *princeps regum terræ*, (7) idem, quemadmodum apostolo in visione illa futurorum apparuit, *habet in vestimento et in femore suo scriptum : Rex regum et Dominus dominantium?* (8) Etenim Christum Pater *constituit heredem universorum*; (9) oportet autem ipsum regnare, donec, in exitio orbis terrarum, ponat omnes inimicos sub pedibus Dei et Patris. (10) Qua ex communi sacrorum Librorum doctrina sequi

quum etiam paginis novi testamenti.

Testimonium

(1) *Dan.*, VII, 13-14.
(2) *Zach.*, IX, 9.
(3) *Luc.*, I, 32-33.
(4) *Matth.*, XXV, 31-40.
(5) *Io.*, XVIII, 37.
(6) *Matth.*, XXVIII, 18.
(7) *Apoc.*, I, 5.
(8) *Apoc.*, XIX, 16.
(9) *Hebr.*, I, 1.
(10) *I Cor.*, XV, 25.

s. liturgiæ.

profecto oportuit, ut catholica Ecclesia, quæ est Christi regnum in terris, ad omnes homines terrasque universas utique producendum, Auctorem Conditoremque suum, per annuum sacræ liturgiæ orbem, Regem et Dominum et Regem regum, multiplicato venerationis officio, consalutaret. Istas sane honoris significationes, unum idemque per mirificam vocum varietatem sonantes, ut in veteri psallendi ratione atque in antiquis Sacramentariis adhibuit, sic in publicis divinæ maiestati precibus cotidie admovendis, inque immolanda immaculata hostia, in præsenti adhibet; in hac vero laudatione Christi Regis perpetua pulcherrimus nostrorum et orientalium rituum concentus facile deprehenditur, ut etiam hoc in genere valeat illud : *Legem credendi lex statuit supplicandi.*

*Fundatur* regia dignitas Christi in unione hypostatica.

Quo autem hæc Domini nostri dignitas et potestas fundamento consistat, apte Cyrillus Alexandrinus animadvertit : *Omnium, ut verbo dicam, creaturarum dominatum obtinet, non per vim extortum, nec aliunde invectum, sed essentia sua et natura;* (1) scilicet eius principatus illâ nititur unione mirabili, quam hypostaticam appellant. Unde consequitur, non modo ut Christus ab angelis et hominibus Deus sit adorandus, sed etiam ut eius imperio Hominis angeli et homines pareant et subiecti sint : nempe ut vel solo hypostaticæ unionis nomine Christus potestatem in universas creaturas obtineat. — At vero quid possit iucundius nobis suaviusque ad cogitandum accidere, quam Christum nobis iure non tantum nativo sed etiam quæsito, scilicet redemptionis, imperare? Servatori enim nostro quanti steterimus, obliviosi utinam homines recolant omnes : *Non corruptibilibus auro vel argento redempti estis :... sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi et incontaminati.* (2) Iam nostri non sumus, cum Christus *pretio magno* (3) nos emerit; corpora ipsa nostra *membra sunt Christi* (4).

Etiam in munere Redemptoris.

*Complectitur* triplicem potestatem, scil. legislativam, exsecuti-

Iamvero, ut huius vim et naturam principatus paucis declaremus, dicere vix attinet triplici eum potestate contineri, qua si caruerit, principatus vix intellegitur. Id ipsum deprompta atque allata ex sacris Litteris de univer-

(1) *In Luc.*, x.
(2) *I Petri*, i, 18-19.
(3) *I Cor.*, vi, 20.
(4) *Ibid.*, 15.

sali Redemptoris nostri imperio testimonia plus quam satis significant, atque est catholica fide credendum, Christum Iesum hominibus datum esse utique Redemptorem, cui fidant, at una simul legislatorem, cui obediant. (1) Ipsum autem evangelia non tam leges condidisse narrant, quam leges condentem inducunt : quæ quidem præcepta quicumque servarint, iidem a divino Magistro, alias aliis verbis, et suam in eum caritatem probaturi et in dilectione eius mansuri dicuntur. (2) Iudiciariam vero potestatem sibi a Patre attributam ipse Iesus Iudæis, de Sabbati requiete per mirabilem debilis hominis sanationem violata criminantibus, denuntiat : *Neque enim Pater iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit Filio* (3) In quo id etiam comprehenditur – quoniam res a iudicio disiungi nequit — ut præmia et pœnas hominibus adhuc viventibus iure suo deferat. At præterea potestas illa, quam exsecutionis vocant, Christo adiudicanda est, utpote cuius imperio parere omnes necesse sit, et eâ quidem denuntiatâ contumacibus irrogatione suppliciorum, quæ nemo possit effugere.

vam et judiciariam.

Verumtamen eiusmodi regnum præcipuo quodam modo et spirituale esse et ad spiritualia pertinere, cum ea, quæ ex Bibliis supra protulimus, verba planissime ostendant, tum Christus Dominus sua agendi ratione confirmat. Siquidem, non una data occasione, cum Iudæi, immo vel ipsi Apostoli, per errorem censerent, fore ut Messias populum in libertatem vindicaret regnumque Israel restitueret, vanam ipse opinionem ac spem adimere et convellere ; rex a circumfusa admirantium multitudine renuntiandus, et nomen et honorem fugiendo latendoque detrectare ; coram Præside romano edicere, regnum suum *de hoc mundo* non esse. Quod quidem regnum tale in evangeliis proponitur, in quod homines pœnitentiam agendo ingredi parent, ingredi vero nequeant nisi per fidem et baptismum, qui, etsi est ritus externus, interiorem tamen regenerationem significat atque efficit ; opponitur unice regno Satanæ et potestati tenebrarum, et ab asseclis postulat, non solum ut, abalienato a divitiis rebusque terrenis animo, morum præferant lenitatem et

Licet absoluta, *præcipue* tamen *spiritualis* est regia Christi dignitas.

(1) *Conc. Trid.*, sess. VI, can. 21.
(2) *Io.*, XIV, 15; XV, 10.
(3) *Io.*, V, 22.

esuriant sitiantque iustitiam, sed etiam ut semet ipsos abnegent et crucem suam tollant. Cum autem Christus et Ecclesiam Redemptor sanguine suo acquisiverit et Sacerdos se ipse pro peccatis hostiam obtulerit perpetuoque offerat, cui non videatur regium ipsum munus utriusque illius naturam muneris induere ac participare? Turpiter, ceteroquin, erret, qui a Christo homine rerum civilium quarumlibet imperium abiudicet, cum is a Patre ius in res creatas absolutissimum sic obtineat, ut omnia in suo arbitrio sint posita. At tamen, quoad in terris vitam traduxit, ab eiusmodi dominatu exercendo se prorsus abstinuit, atque, ut humanarum rerum possessionem procurationemque olim contempsit, ita eas possessoribus et tum permisit et hodie permittit. In quo perbelle illud: *Non eripit mortalia, qui regna dat cœlestia.* (1) Itaque principatus Redemptoris nostri universos complectitur homines; quam ad rem verba immortalis memoriæ decessoris Nostri Leonis XIII Nostra libenter facimus: « Videlicet imperium eius non est tantummodo in gentes catholici nominis, aut in eos solum, qui, sacro baptismate abluti, utique ad Ecclesiam, si spectetur ius, pertinent, quamvis vel error opinionum devios agat, vel dissensio a caritate seiungat: sed complectitur etiam quotquot numerantur christianæ fidei expertes, ita ut verissime in potestate Iesu Christi sit universitas generis humani ». (2) Nec quicquam inter singulos hac in re et convictiones domesticas civilesque interest, quia homines societate coniuncti nihilo sunt minus in potestate Christi quam singuli. Idem profecto fons privatæ ac communis salutis: *Et non est in alio aliquo salus, nec aliud nomen est sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri*; (3) idem et singulis civibus et rei publicæ prosperitatis auctor germanæque beatitatis: *Non enim aliunde beata civitas, aliunde homo; cum aliud civitas non sit, quam concors hominum multitudo.* (4) Nationum igitur rectores imperio Christi publicum reverentiæ obtemperationisque officium per se ipsi et per populum præstare ne recusent, si quidem velint, sua incolumi auctoritate, patriæ provehere atque augere fortunam. Nam quæ, Pontificatus initio, de valde imminuta iuris

Nec tamen a Christo homine rerum civilium imperium abjudicandum; ab hoc exercendo ipse se abstinuit.

*Universale* est regnum Christi, in omnes videlicet homines,

etiam societate conjunctos.

Unde nationum rectores hanc Christi dignitatem agnoscere debent.

(1) Hymn. *Crudelis Herodes*, in off. Epiph.
(2) Encyc., *Annum Sacrum*, d. 25 maii 1899.
(3) *Act.*, IV, 12.
(4) S. Aug., *Ep. ad Macedonium*, c. III.

auctoritate verecundiaque potestatis scribebamus, ea ad præsens tempus haud minus apta dixeris ac congruentia : « Deo et Iesu Christo — ita conquerebamur — a legibus et re publica submoto, iam non a Deo derivata sed ab hominibus auctoritate, factum est, ut... ipsa autoritatis fundamenta convellerentur, principe sublatâ causa, cur aliis ius esset imperandi, aliis autem officium parendi. Ex quo totam oportuit concuti societatem humanam, nullo iam solido fultam columine et præsidio » (1).

A Deo omnis auctoritas.

Itaque, si quando regiam Christi potestatem homines privatim publiceque agnoverint, incredibilia iam beneficia, ut iustæ libertatis, ut disciplinæ et tranquillitatis, ut concordiæ et pacis, civilem consortionem pervadere omnem necesse est. Regia enim Domini nostri dignitas, quemadmodum humanam principum ac moderatorum auctoritatem religione quadam imbuit, sic civium officia atque obtemperationem nobilitat. Quamobrem Apostolus Paulus, licet uxoribus et servis præciperet, ut in viro suo, ut in suo domino Christum vererentur, monuit tamen, ut non iis tamquam hominibus obedirent, sed unice quia Christi gererent vicem, cum homines a Christo redemptos dedeceret hominibus servire : *Pretio empti estis, nolite fieri servi hominum* (2) Quodsi principibus et magistratibus legitime delectis persuasum erit, se, non tam iure suo, quam divini Regis mandato ac loco imperare, nemo non videt, quam sancte sapienterque autoritate sua usuri sint et qualem in legibus ferendis urgendisque rationem communis boni et humanæ inferiorum dignitatis sint habituri. Hinc tranquillitas ordinis profecto efflorescet ac stabit, quavis seditionis causa remota : quod enim in principe ceterisque rei publicæ gubernatoribus civis homines spectaverit sibi natura pares aut aliqua de causa indignos ac vituperabiles, non idcirco eorum recusabit imperium, quando in iis ipsis propositam sibi Christi Dei et Hominis imaginem auctoritatemque intuebitur. Ad concordiæ autem pacisque munera quod attinet, liquet omnino, quo latius regnum producitur atque ad universitatem humani generis pertinet, eo magis mortales sibi eius communionis conscios fieri, qua inter se copulantur : quæ quidem conscientia, cum frequentes confictiones prævertat ac

*Beneficia* ab agnita Christi regia potestate exspectanda : auctoritas religione imbuta et obtemperantia nobilitata ;

tranquillitas ordinis ;

concordiæ et pacis munera.

(1) Encyc. *Ubi arcano.*
(2) *I Cor.*, VII, 23.

præoccupet, tum earundem asperitatem omnium permulcet ac minuit. Eccur, si Christi regnum omnes, ut iure complectitur, sic reapse complectatur, de ea pace desperemus, quam Rex pacificus in terras intulit, ille, inquimus, qui venit *reconciliare omnia*, qui *non venit ut ministraretur ei, sed ut ministraret*, et, cum esset *Dominus omnium*, humilitatis et se præbuit exemplum et legem statuit præcipuam cum caritatis præcepto coniunctam; qui præterea dixit: *Iugum meum suave est et onus meum leve?* O qua frui liceret beatitate, si a Christo et singuli homines et familiæ et civitates se gubernari sinerent. « Tum denique — ut verbis utamur, quæ decessor Noster Leo XIII ante annos quinque ac viginti ad universos sacrorum Antistites adhibuit — licebit sanare tot vulnera, tum ius omne in pristinæ auctoritatis spem revirescet, et restituentur ornamenta pacis, atque excident gladii fluentque arma de manibus, cum Christi imperium omnes accipient libentes eique parebunt, atque omnis lingua confitebitur quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei Patris » (1).

2° — Ut hi fructus uberius percipiantur *diem festum Christi Regis* instituere juvat.

Iamvero, quo optatissimæ eiusmodi utilitates uberius percipiantur et in societate christiana stabilius insideant, cum regiæ Salvatoris nostri dignitatis cognitionem disseminari quam latissime oporteat, ad rem nihil magis profuturum videtur, quam si dies festus Christi Regis proprius ac peculiaris instituatur. Etenim in populo rebus fidei imbuendo per easque ad interiora vitæ gaudia evehendo longe plus habent efficacitatis annuæ sacrorum mysteriorum celebritates quam quælibet vel gravissima ecclesiastici magisterii documenta; siquidem hæc in pauciores eruditioresque viros plerumque cadunt, illæ universos fideles percellunt ac docent; hæc semel, illæ quotannis atque perpetuo, ut ita dicamus, loquuntur; hæc mentes potissimum, illæ et mentes et animos, hominem scilicet totum, salutariter afficiunt. Sane, cum homo animo et corpore constet, debet is exterioribus dierum festorum sollemnibus ita commoveri atque excitari, ut divinas doctrinas per sacrorum varietatem pulcritudinemque rituum copiosius imbibat, et in sucum ac sanguinem conversas, sibi ad proficiendum in spirituali vita servire iubeat.

---

(1) Encyc. *Annum sanctum*, d. 25 maii 1899.

Est, ceteroqui, litterarum monumentis proditum, celebritates eiusmodi, decursu sæculorum, tum, aliam ex alia, inductas esse, cum id christianæ plebis necessitas utilitasve postulare visa est : nempe cum debuit populus aut in communi roborari discrimine aut ab serpentibus hæresum erroribus muniri aut ad recolendum maiore cum studio pietatis aliquod fidei mysterium beneficiumve divinæ bonitatis permoveri acrius atque incendi. Itaque, inde a prioribus reparatæ salutis ætatibus, cum christiani acerbissime vexarentur, cœpti sunt sacris ritibus Martyres commemorari, ut *sollemnitates martyrum* — teste Augustino — *exhortationes* essent *martyriorum* ; (1) qui autem sanctis Confessoribus, Virginibus ac Viduis delati postea sunt liturgici honores, ad exacuenda in christifidelibus virtutum studia, vel quietis temporibus necessaria, mirifice ii valuerunt. At potissimum quæ in Beatissimæ Virginis honorem institutæ sunt festorum celebritates, effecere illæ quidem, ut populus christianus non modo Dei Genetricem, præsentissimamque Patronam, religiosius coleret, sed etiam Matrem sibi a Redemptore quasi testamento relictam amaret ardentius. In beneficiis vero a publico legitimoque Deiparæ et sanctorum cælitum cultu profectis non postremo illud loco numerandum, quod hæresum errorumque luem Ecclesia a se nullo non tempore depulit invicta. Atque hoc in genere Dei providentissimi consilium admiremur, qui, cum ex ipso malo bonum elicere soleat, passus identidem est aut fidem pietatemque popularium remittere aut falsas doctrinas veritati catholicæ insidiari, eo tamen exitu, ut hæc novo quodam splendore colluceret, illa autem e veterno experrecta ad maiora ac sanctiora contenderet. Nec dissimilem profecto duxere ortum nec fructus peperere dissimiles quæ in annuum liturgiæ cursum recepta sunt, minus remotis ætatibus, sollemnia : ut, cum Augusti Sacramenti reverentia et cultus deferbuisset, institutum Corporis Christi festum, ita peragendum, ut magnificus pomparum apparatus et supplicationes in octo dies productæ populos ad Dominum publice adorandum revocarent ; ut Sacratissimi Cordis Iesu celebritas tum inducta, cum, Iansenistarum tristitia ac morosa severitate debilitati atque abiecti, animi hominum frigerent penitus et a Dei caritate fiduciaque salutis absterrerentur.

Ratio institutionis festorum : christianæ plebis necessitas vel utilitas.

---

(1) Sermo 47, *De Sanctis.*

Necessitas instituendi festum Christi Regis, ob pestem ætatis nostræ, quam *laicismum* vocant.

Iam si Christum Regem ab universitate catholici nominis coli iusserimus, eo ipso et horum temporum necessitati prospecturi et pesti, quæ societatem hominum infecit, præcipuum quoddam remedium adhibituri sumus. Pestem dicimus ætatis nostræ laicismum, quem vocant, eiusdemque errores et nefarios conatus : quod quidem scelus, Venerabiles Fratres, nostis non uno maturuisse die cum iam pridem in visceribus civitatum lateret. Christi enim in omnes gentes imperium negari cœptum ; negatum, quod ex ipso Christi iure exsistit, ius Ecclesiæ docendi humanum genus, ferendi leges, regundi populos, ad æternam utique beatitatem perducendos. Tum vero paulatim Christi religio æquari cum falsis in eodemque genere, prorsus indecore, poni ; deinceps civili potestati subiici arbitrioque principum ac magistratuum fere permitti ; ulterius ii progredi, qui naturalem quamdam religionem, naturalem quendam animi motum pro divina religione substitui oportere cogitarent. Nec civitates defuere, quæ censerent, posse se Deo carere et religionem suam in impietate neglegentiaque Dei esse positam. Acerbissimos sane, quos eiusmodi a Christo et singulorum civium et civitatum defectio tulit tam frequenter tamque diu, fructus in Litteris Encyclicis *Ubi arcano* conquesti equidem sumus iterumque hodie conquerimur : scilicet sata ubique discordiarum semina easque invidiæ flammas simultatesque inter populos conflatas, quæ tantam adhuc reconciliandæ paci moram inferunt, cupiditatum intemperantiam, quæ haud raro specie publici boni caritatisque patriæ obteguntur, atque inde profecta, cum civium discidia, tum cæcum illum et immodicum sui amorem, qui cum nihil aliud, nisi privata commoda et emolumenta, spectet, hisce prorsus omnia metitur : eversam funditus officiorum oblivione ac neglegentia domesticam pacem ; familiæ communionem stabilitatemque labefactatam ; concussam denique atque in interitum actam hominum societatem. Quæ futurum ut ad amantissimum Salvatorem redire auspicato properet, agenda posthac annua Christi Regis celebritas spem Nobis optimam commovet. Catholicorum utique foret, hunc actione operaque sua maturare ac celerare reditum ; verum ex iis bene multi nec eum videntur in convictu, ut aiunt, sociali obtinere locum nec ea valere auctoritate, quibus carere eos dedecet qui facem præferunt veritatis. Id fortasse incommodi bonorum est lentitudini vel timiditati tribuendum, qui

Mala ab hoc laicismo inducta.

Ad hæc mala avertenda multum valebit celebritas annua Christi Regis instituenda ;

ab repugnando se abstinent vel mollius obsistunt : unde adversarios Ecclesiæ necesse est maiorem capere temeritatem atque audaciam. At si quidem fideles vulgo intellegant, sibi sub signis Christi Regis et fortiter et perpetuo militandum esse, iam, concepto apostolatus igne, abalienatos rudesve animos Domino suo reconciliare studeant eiusque iura tueri incolumia nitantur.

fum addendo animum fidelibus timidis,

Atque præterea nonne publicæ eiusmodi defectioni, quam laicismus cum tanto societatis detrimento genuit, accusandæ et aliquo pacto resarciendæ celebrata ubique gentium quotannis Christi Regis sollemnia summopere conducere videntur ? Etenim quo indigniore suavissimum Redemptoris nostri nomen in conventibus inter nationes habendis et in Curiis silentio premitur, eo altius illud conclamari et regiæ Christi dignitatis potestatisque iura latius affirmari oportet.

quum publicam defectionem accusando et resarciendo.

Quid quod ad hanc diei festi celebritatem instituendam, inde ab exeunte superiore sæculo, viam feliciter egregieque munitam esse conspicimus ? Nemo enim ignorat, quam sapienter luculenterque is vindicatus sit cultus plurimus, qua late orbis terrarum patet, editis magna linguarum varietate libris ; itemque Christi principatum et imperium pia illa agnitum esse consuetudine inducta, ut pæne innumerabiles familiæ se Sacratissimo Cordi Iesu dedicarent ac dederent. Verum non modo familiæ id prestitere, sed civitates quoque et regna : immo ipsa universitas generis humani, Leone XIII auctore ac duce, eidem divino Cordi, Anno Sancto millesimo nongentesimo vertente, consecrata auspicato est. Neque illud silentio prætereundum, regiæ huic Christi in consortionem humanam potestati sollemniter affirmandæ mirum in modum profuisse frequentissimos Eucharisticos Conventus ætate nostra cogi solitos, eo nimirum spectantes, ut vel singularum diœcesium et regionum et nationum vel universi orbis populi, ad Christum Regem sub Eucharisticis velis delitescentem venerandum colendumque convocati, per habitas in cœtibus inque templis contiones, per communem Augusti Sacramenti publice propositi adorationem, per magnificas pompas, Christum sibi Regem divinitus datum consalutent. Iure meritoque dixeris, christianam plebem, divino quodam instinctu actam, Iesum illum, quem impii homines, in sua cum venisset, recipere noluerunt, e sacrarum ædium silentio ac veluti latebra triumphantis more per vias urbium eductum, in regalia omnia iura velle restituere.

*Momentum opportunum* nunc videtur, ob *cultum* jam ubique sparsum *ss. Cordis*, cum consecratione familiarum, civitatum quoque et regnorum, necnon totius generis humani ;

ob frequentissimos etiam *eucharistos conventus* ;

ob beneficia ipsius *anni sancti* ad finem properantis.

Iamvero, ad consilium, quod memoravimus, Nostrum perficiendum eam habet Annus Sanctus, qui ad exitum properat, opportunitatem, qua nulla profecto maior videatur, cum fidelium mentes animosque ad bona cælestia, quæ exsuperant omnem sensum, evocatos, benignissimus Deus aut gratiæ suæ dono iterum auxit aut, novis adiectis ad æmulanda charismata meliora stimulis, in recto itinere pergendo confirmavit. Sive igitur tot Nobis adhibitas preces attendimus, sive ea respicimus quæ Iubilæi maximi spatio evenere, suppetit profecto unde coniiciamus, diem tandem aliquando, omnibus optatissimum, adesse, quo Christum totius humani generis Regem proprio ac peculiari festo colendum esse pronuntiemus. Hoc enim Anno, ut exordiendo diximus, Rex ille divinus, vere *mirabilis in sanctis suis*, novo militum suorum agmine cælitum honoribus aucto, *gloriose magnificatus est*; hoc item Anno, per inusitatum rerum ac pæne laborum conspectum, admirari omnibus licuit partas ab evangelii præconibus Christo victorias in regno eius proferendo; hoc denique Anno per sæcularia Concilii Nicæni sollemnia vindicatam commemoravimus Verbi Incarnati cum Patre consubstantialitatem, qua eiusdem Christi in omnes populos imperium, tamquam fundamento suo, nititur.

3°. — *Instituitur* festum Christi Regis quotannis die dominico postremo octobris recolendum.

Itaque, auctoritate Nostra apostolica, festum D. N. Iesu Christi Regis instituimus, quotannis, postremo mensis Octrobris dominico die, qui scilicet Omnium Sanctorum celebritatem proxime antecedit, ubique terrarum agendum. Item præcipimus, ut eo ipso die generis humani Sacratissimo Cordi Iesu dedicatio quotannis renovetur, quam s. m. decessor Noster Pius X singulis annis iterari iusserat; hoc tamen anno dumtaxat, eam die tricesimo primo huius mensis peragi volumus, quo die Nosmet pontificali ritu in honorem Christi Regis sacris operabimur et coram Nobis eandem fieri consecrationem iubebimus. Neque Annum Sanctum posse Nos melius aptiusque concludere videmur, nec Christo *Regi sæculorum immortali* ampliorem exhibere grati animi Nostri significationem — in quo gratas quoque totius catholici orbis voluntates interpretamur — ob beneficia tempore hoc sacro in Nos, in Ecclesiam universumque catholicum nomen collata.

Paucis explicatur ratio

Neque est cur vos, Venerabiles Fratres, diu multumque doceamus, qua de causa festum Christi Regis ab reliquis

illis distinctum agi decreverimus, in quibus quædam inesset regiæ ipsius dignitatis et significatio et celebratio. Unum enim animadvertere sufficit, quod, quamquam in omnibus Domini nostri festis materiale obiectum, ut aiunt, Christus est, obiectum tamen formale a regia Christi potestate ac nomine omnino secernitur. In diem vero dominicum idcirco indiximus, ut divino Regi non modo clerus litando ac psallendo officia præstaret sua, sed etiam populus, ab usitatis occupationibus vacuus, in spiritu sanctæ lætitiæ, obedientiæ servitutisque suæ præclarum Christo testimonium daret. Visus autem est ad celebrationem longe aptior, quam reliqui, postremus mensis Octrobis dominicus dies, quo fere cursus anni liturgici clauditur ; ita enim fit, ut vitæ Iesu Christi mysteria ante per annum commemorata sacris Christi Regis sollemnibus veluti absolvantur et cumulentur, et, ante quam Omnium Sanctorum gloriam celebremus, Illius prædicetur efferaturque gloria, qui in omnibus Sanctis et electis triumphat. Itaque hoc vestrum, Venerabiles Fratres, esto munus, vestræ hæ partes sunto, ut annuæ celebritati præmittendas curetis, statis diebus, ad populum e singulis parœciis contiones, quibus is de rei natura, significatione et momento accurate monitus atque eruditus, sic vitam instituat ac componat, ut iis digna sit, qui divini Regis imperio fideliter studioseque obsequuntur.

hujus festi ex ejus *objecto formali.*

Ratio indicatur *cur hac die* sit celebrandum.

Placet interea vobis, Venerabiles Fratres, in extremis hisce Litteris breviter declarare, quas demum publico ex hoc Christi Regis cultu utilitates, cum in Ecclesiæ et civilis societatis, tum in singulorum fidelium bonum, Nobis spondeamus ac polliceamur.

*Utilitates* hujus novæ celebritatis :

Hisce profecto honoribus dominico principatui deferendis in memoriam hominum redigi necesse est, Ecclesiam, utpote quæ a Christo perfecta societas constituta sit, nativo sane iure, quod abdicare nequit, plenam libertatem immunitatemque a civili potestate exposcere, eandemque, in obeundo munere sibi commisso divinitus docendi, regundi et ad æternam perducendi beatitatem eos universos qui e regno Christi sunt, ex alieno arbitrio pendere non posse. Immo haud dissimilem debet præterea respublica libertatem iis præstare religiosorum utriusque sexus Ordinibus ac Sodalitatibus, qui, cum adiutores Ecclesiæ Pastoribus adsint validissimi, tum in regno Christi provehendo stabiliendove quam maxime elabo-

vindicabit jura nativa *Ecclesiæ,*

necnon libertatem *religiosorum,* qui in regno Christi promovendo et

stabiliendo quam maxime elaborant;

rant, sive triplicem mundi concupiscentiam sacrorum religione votorum oppugnantes, sive ipsa perfectioris vitæ professione efficientes, ut sanctitas illa, quam divinus Conditor insignitam Ecclesiæ notam esse iussit, perpetuo auctoque in dies splendore ante oculos omnium emicet et colluceat.

*civitates* monebit de officio Christum publice colendi;

Civitates autem ipsa diei festi celebratio, annuo renovata orbe, monebit, officio Christum publice colendi eique parendi, ut privatos, sic magistratus gubernatoresque teneri; hos vero revocabit ad extremi illius iudicii cogitationem, in quo Christus non modo de publica re eiectus, sed etiam per contemptum neglectus ignoratusve, acerrime tantas ulciscetur iniurias, cum regia eius dignitas id postulet, ut respublica universa ad divina mandata et christiana principia componatur cum in legibus ferendis, tum in iure dicendo, tum etiam in adulescentium animis ad sanam doctrinam integritatemque morum conformandis.

*christifideles* ad germanum christianæ vitæ institutum revocabit,

At præterea mirum quantum haurire vis atque virtutis ex harum commentatione rerum christifidelibus licebit, ut animos suos ad germanum christianæ vitæ institutum effingant. Nam si Christo Domino data est omnis potestas in cælo et in terra; si mortales, pretiossisimo eius sanguine empti, novo quodam iure ipsius dicioni subiiciuntur; si denique potestas eiusmodi humanam naturam complectitur totam, clare intellegitur, nullam in nobis facultatem inesse, quæ e tanto imperio eximatur. Regnare igitur illum oportet in hominis mente, cuius est, perfecta sui demissione, revelatis veritatibus et Christi doctrinis firmiter constanterque assentiri; regnare in voluntate, cuius est divinis legibus præceptisque obsequi; regnare in animo, cuius est, naturalibus appetitionibus posthabitis, Deum super omnia diligere eique uni adhærere; regnare in corpore eiusque membris, quæ tamquam instrumenta vel, ut Apostoli Pauli verbis utamur (1), tamquam *arma iustitiæ Deo*, interiori animarum sanctitati servire debent. Quæ quidem omnia si christifidelibus penitus inspicienda ac consideranda proponantur, multo iidem facilius ad perfectissima quæque traducentur. Fiat utinam, Venerabiles Fratres, ut suave Christi iugum et externi ad salutem suam appetant atque accipiant, et omnes, quotquot,

docens Christum regnare oportere in mente, voluntate, animo, corpore etiam et membris.

Votum finale.

(1) *Rom.*, VI, 13.

misericordi Dei consilio, domestici sumus, non gravate, sed cupide, sed amanter, sed sancte feramus : vitâ autem nostrâ ad regni divini leges compositâ, lætissimam bonorum fructuum copiam percipiamus, et, servi boni ac fideles a Christo habiti, in cælesti eius regno sempiternæ cum ipso efficiamur beatitatis gloriæque compotes.

Sit quidem hoc omen et votum Nostræ erga vos, Venerabiles Fratres, paternæ caritatis, adventante D. N. Iesu Christi Natali die, documentum ; et divinorum munerum conciliatricem accipite apostolicam benedictionem, quam vobis, Venerabiles Fratres, et clero populoque vestro peramanter impertimus. Benedictio apostolica.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum die XI mensis Decembris anno Sacro MDCCCCXXV, Pontificatus Nostri quarto.

PIUS PP. XI.

---

# CONSTITUTIO APOSTOLICA

UNIVERSALE IUBILÆUM ANNO DOMINI MILLESIMO NONGENTESIMO VICESIMO QUINTO IN URBE CELEBRATUM AD TOTUM CATHOLICUM ORBEM EXTENDITUR (1).

Servatoris Iesu Christi benigtati habemus ex animo gratiam, quod per Annum sacrum, quem usitato heri sollemnissimoque Romanæ Ecclesiæ ritu conclusimus, et Nobis pæne infinitos iucunditatis fructus potiundos permiserit, et ad ingentem mortalium numerum gratiæ veniæque suæ divitias misericors protulerit. Etenim ad centena millia, ex quovis civitatum ordine, fideles vel ex disiunctissimis omnium regionibus in Almam hanc Urbem peregrini convenere : qui quidem advenæ non tam civibus romanis, eodem ceteroqui studio sacræ indulgentiæ fruendæ inflammatis, quam catholico nomini universo et ipsis hominibus ab Ecclesia alienis mirabile fidei pietatisque suæ visi sunt præbere spectaculum, voluntatesque præterea suas cum Apostolica Sede et Nobiscum, arctius, si quidem necesse erat, copulaverunt. Optimo autem fructuosissimoque præteriti Iubilæi exitu, quem tam crebis flagrantibusque precibus Deo per sacri temporis decursum admotis acceptum referimus,

---

(1) *Acta Apost. Sedis*, XVII, p. 611 s.

commovemur atque impellimur, ut, more institutoque decessorum Nostrorum, qui patuit Romæ ad hesternum usque diem amplissimus veniæ thesaurus, eundem universitati fidelium ubique terrarum, proximo anno, patere iubeamus. Hanc sane veniam indulgentiamque ut quam plurimi participent, Venerabiles Fratres, Episcopi curent, ut in singulis diœcesis cuiusque suæ locis per divini verbi prædicationem, per sacras expeditiones vel spirituales exercitationes ad culpas suas populus deflendas eluendasque permoveatur et ad pœnarum remissionem, quæ sibi proposita est, impetrandam rite præparetur : quod ut, in tanta cleri utriusque penuria, commodius fieri possit, a superiore consuetudine Nobis recendendum esse putamus, ex qua Iubilæum extra Urbem non ultra semestre spatium producebatur. Iidem præterea Episcopi fideles sibi commissos doceant, ad eandem mentem Nostram, quam in Iubilæo pro Urbe indicendo aperuimus, idest pro evangelicæ fidei propagatione, pro populorum pace et concordia, pro congruenti Ecclesiæ catholicæ iuribus ordinatione Sanctorum Palæstinæ Locorum, eos potissimum orare Nobiscum ipsis oportere.

Itaque, autoritate omnipotentis Dei, beatorum apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, Iubilæum maximum, quod in hac sacra Urbe celebratum est, ad universum catholicum orbem per has Litteras extendimus et in totum futurum annum prorogamus, ita scilicet ut lucrifieri possit a primis vesperis proximi diei festi Circumcisionis Domini ad plenum diem tricesimum primum mensis Decembris futuri anni MDCCCCXXVI.

Quamobrem omnibus utriusque sexus christifidelibus ubique terrarum, extra Urbem huiusque suburbium, exsistentibus, etiamsi anno sacro proxime elapso Iubilæi veniam lucrati iam sint, apostolica auctoritate Nostra largimur, ut plenissimam peccatorum indulgentiam ac remissionem adipisci bis queant, idest primum aut sibi aut animis defunctorum expiandis, secundo autem in horum tantummodo levationem, dummodo rite confessi ac sacra synaxi refecti — quam ad rem confessio annua et Paschalis communio minime suffragabuntur, — intra futurum annum MDCCCCXXVI, ecclesiam loci præcipuam tresque alias ecclesias vel oratoria publica ad hoc designanda, semel in die, per quinque continuos vel seiunctos dies, cum naturales tum ecclesiasticos, ad canonum normam computandos, pie inviserint et ad mentem

Nostram supplices Deo preces adhibuerint. Iidem locorum Ordinarii sive per se ipsi sive per vicarios foraneos et parochos aliosve ecclesiasticos viros, quibus hanc potestatem, etiam, si libuerit, per integrum anni spatium utendam, permiserint, designabunt, præter cathedralem ecclesiam in civitate episcopali et præcipuam in ceteris diœcesis locis, tres alias tam in illa quam in istis a quibusvis fidelibus visitandas : quodsi quattuor alicubi ecclesiæ vel oratoria publica desint, Ordinarii, pro suo prudenti arbitrio, aut per se ipsi aut per suos delegatos decernere poterunt, ut in minore ædium sacrarum numero, et vel in una, ubi una tantummodo adest, quattuor illas diurnas visitationes agi liceat.

Ut autem iis consulamus, qui in peculiari rerum locorumque condicione versentur, hæc statuimus quæ sequuntur.

I. Qui per annum fere semper navigant iterve faciunt, iis fas esto, cum ad certam se stationem receperint, ibi iubilæum semel lucrari, ea lege ut, ceteris simul parendo præscriptis, præcipuam loci ecclesiam uno tantummodo die quinquies invisant.

II. Ordinarii locorum aut per se ipsi aut per vicarios foraneos, per prælatos regulares quod ad eorum subditos, per parochos vel confessarios in diœcesi adprobatos, quibus huiusmodi fecerint potestatem — vel habitualiter atque extra confessionem exercendam, — possint, si qui impediantur ne imperatas visitationes obeant, harum numerum, pro rerum personarumque necessitate, contrahere et reducere ; concedere, ut visitationes, nulla habita unius eiusdemque diei ratione, seiungi pro lubitu queant ; cum vero res postulaverit, eas dispensando commutare in alia religionis, pietatis caritatisve opera, ad singulorum condicionem accommodata, quæ tamen aliunde non sint sub peccato debita. — Impeditos autem heic intellegi volumus moniales, sorores religiosas, tertiarias, regulares, pias feminas et puellas aliasve personas in gynæceis seu Conservatoriis degentes ; item anachoretas monasticum regularemve Ordinem profitentes et potius contemplationi quam actioni vitæ deditos, ut Cistercienses Reformatos B. M. V. de Trappa, Eremitas Camaldulenses et Carthusianos ; præterea eos, qui aut captivi sunt aut in carceribus custodiuntur, et ecclesiasticos vel religiosos viros, qui in cœnobiis aliisve domibus, emendationis causa, detinentur. Impediti ii quoque censeantur, qui

aut domi aut in nosocomiis sive morbo sive imbecilla valetudine laborant, et quotquot ægrotis adsunt, et generatim ii omnes, qui certo impedimento prohibentur quominus statutas visitationes obeant : æquo autem iure esse volumus operarios, quos in Constitutione *Apostolico muneri*, die xxx mensis Iulii superiore anno data, descripsimus (1) et senes qui septuagesimum ætatis annum excesserint.

III. Ordinariis locorum pariter liceat — etiam per delegatos quos supra memoravimus eademque ratione — minorem visitationum numerum præstituere, *a)* conlegiis auctoritate ecclesiastica adprobatis sive clericalibus sive religiosis ; *b)* confraternitatibus, piis unionibus, atque iis tantummodo laicorum consociationibus, quarum sit catholica opera provehere ; *c)* adulescentibus qui in conlegiis vivunt vel conlegia, institutionis educationisque gratia, aut cotidie aut statis diebus celebrant ; *d)* christifidelibus omnibus, qui, duce parocho, vel sacerdote quem parochus delegarit, visitationes peracturi sunt. — Ea tamen lege Ordinarii visitationum minuant numerum, ut hi omnes, quos nominavimus, pompa instituta, etiam sine suis insignibus, ad invisendas ædes sacras incedant.

IV. Ubicumque autem, quavis de causa, ita incedendi per publicas vias copia non erit, Ordinario loci eiusve delegatis liceat, ut supra, visitationum numerum contrahere et reducere, modo intra ædis sacræ sæpta aut pompa ducatur aut saltem visitatio sollemniter communiterque fiat ab omnibus ibi una congregatis. Ordinarius autem loci eiusve delegati ab obligatione confessionis et sanctæ Communionis nullum alium exsolvant, nisi quem ab alterutra gravis morbus prohibeat.

Ad facultates quod attinet, confessariis, ceteroquin ad iuris normam adprobatis, tribuendas, quas in excipienda iubilæi confessione salutariter adhibeant, hæc, quæ sequuntur, decernimus.

I. Confessariis illæ integræ sunto facultates absolvendi, dispensandi, commutandi, quascumque ab hac Apostolica Sede vel in perpetuum vel ad tempus, quoque pacto, legitime impetrarint ; immo simul cumulateque, ad iuris præscriptum, et pluries pro eodem pœnitente sive iis omnibus sive his, quæ mox concessuri sumus, uti valide

(1) *Collat. Brugen.*, XXIV, p. 433 et cfr XXV, p. 253.

et licite possint. Qualicumque autem pœnitens, cum confessionem iubilæi sincera lucrandæ indulgentiæ intentione instituit, absolutione, dispensatione, commutatione donatus erit, si postea, mutata voluntate, a complendis reliquis præscriptis operibus destiterit, eadem non idcirco irrita erit.

II. Monialibus aliisque feminis, quarum ad confessiones excipiendas, ex Codicis præscripto, specialis Ordinarii adprobatio requiritur, fas esto hanc dumtaxat iubilæi confessionem apud quemvis confessarium ab eodem loci Ordinario pro utroque sexu adprobatum peragere : qua semel completa, iam nulla confessarius iste in eandem pœnitentem iurisdictione gaudeat, nisi ad Codicis leges.

III. Confessarius eos omnes, pro quibus ab Ordinario loci vel a Nobis adprobatus sit, in confessione iubilæi excipienda, absolvere possit, in foro sacramentali tantum, a quavis censura a iure vel ab homine inflicta, occulta vel publica, aut ab Ordinario sibi reservata aut a iure Apostolicæ Sedi simpliciter specialive modo vel Ordinariis reservata : itemque a quovis peccato, utcumque gravi et Ordinariis vel S. Sedi reservato ; iniuncta tamen salutari pœnitentia aliisque de iure iniungendis. — A nulla ex censuris Apostolicæ Sedi specialissimo modo reservatis absolvere queat, præterquam a crimine absolutionis complicis a peccato turpi non plus semel vel bis attentatæ. At confessario pœnitenti præcipiat, *a)* ut complicem, si forte ad confitendum redierit, moneat cum de absolutionis a se impertitæ invaliditate, tum de eiusmodi confessionibus apud alium confessarium iurisdictione munitum necessario iterandis ; *b)* ut, occasione relapsus remota, abstineat se in posterum ab audienda complicis confessione, etsi a peccato complicitatis alias absoluti, quoad sine scandali et infamiæ periculo fieri poterit. — Confessarius si quem a censura publica vel ab homine inflicta in foro sacramentali tantum absolverit, eum iubeat in foro externo se gerere ad præscriptum can. 2251 ; caveat autem confessarius ne quemquam publica censura irretitum in foro conscientiæ Deo reconciliet, nisi is paratus sit intra sex menses Ecclesiæ satisfacere et scandalum damnumque reparare.

IV. Confessarius ne in foro quidem interno, nisi ad præscriptum can. 2254, eos absolvat, qui, aut in censuram aliquam incurrerint a Pio X per Constitutionem *Vacante Sede Apostolica* Romano Pontifici reservatam, aut secre-

tum S. Officii alterumve simile violaverint; itemque prælatos cleri sæcularis ordinaria iurisdictione in foro externo præditos superioresque maiores religionis exemptæ, qui in censuram Romano Pontifici speciali modo reservatam publice inciderint.

V. Hæretici, præsertim qui fuerint publice dogmatizantes, ne absolvantur, nisi, abiurata saltem coram ipso confessario hæresi, scandalum, ut par est, reparaverint. Similiter quicumque sectis massonicis aliisque id genus vetitis notorie adscripti sint, ne absolvantur, nisi præmissa coram confessario abiuratione aliisque servatis de iure servandis, a secta recesserint et scandalum, quantum licuerit, removerint.

VI. Qui bona vel iura ecclesiastica sine venia acquisiverint, iis ne impertiatur absolutio, nisi Ecclesiæ satisfecerint vel saltem sincere promiserint se quamprimum satisfacturos.

VII. Qui falsam sollicitationis denuntiationem admiserit, is ne absolvatur, nisi aut eam formaliter retractaverit, aut saltem ad eam quamprimum retractandam atque ad sarcienda calumniæ damna serio paratum se præbeat.

VIII. Confessarius in ipsa tantummodo iubilæi confessione, ex iusta et probabili causa, omnia et singula vota privata, etiam Sedi Apostolicæ reservata, iurata quoque, in alia pia opera dispensando commutare possit. Votum autem castitatis perfectæ et perpetuæ, etiamsi ab origine publice emissum sit in professione religiosa — neutiquam, contra, si pœnitens fuerit in Ordine sacro lege cælibatus adstrictus, — subinde tamen, aliis eius professionis votis per dispensationem sublatis, firmum atque integrum manserit, similiter possit, ex iusta et probabili causa, in alia pia opera dispensando commutare. Votum vero a tertio acceptatum ne remittat neve commutet, nisi is, cuius interest, libenter expresseque consenserit. Votum denique non peccandi aliave pœnalia vota ne commutet nisi in opus, quod, non minus quam ipsum votum, a peccando refrenet.

IX. Idem confessarius in excipienda iubilæi confessione dispensare possit, pro solo conscientiæ foro, atque ad hoc unice ut pœnitens Ordines iam susceptos sine infamiæ vel scandali periculo exerceat, a quavis irregularitate ex delicto prorsus occulto; item ab irregularitate ex homicidio voluntario aut abortu, de qua in can. 985 § 4ª; sed in hoc homicidii voluntarii et abortus casu, pœnitenti onus

imponat, sub pœna reincidentiæ, recurrendi intra mensem ad S. Pœnitentiariam et standi eius mandatis.

X. Similiter in solo foro conscientiæ et sacramentali liceat confessario dispensare : *a)* ab impedimento prorsus occulto consanguinitatis in tertio vel secundo gradu collaterali, etiam attingente primum, quod ex generatione illicita proveniat, solummodo ad matrimonium convalidandum, imperata tamen consensus ad iuris normam renovatione, minime vero ad contrahendum vel in radice sanandum ; *b)* ab occulto criminis impedimento — neutro tamen machinante — sive de matrimonio contracto agatur sive de contrahendo ; iniuncta, in primo casu, privata renovatione consensus, secundum canonem 1135 ; imposita, in utroque, gravi diuturnaque salutari pœnitentia.

Itaque hæc omnia, quæ per has Litteras constituimus ac declaravimus, volumus firma et valida exsistere et fore, ad effectum iubilæi ad universum catholicum orbem proferendi, non obstantibus contrariis quibuslibet. Earum autem exemplis atque excerptis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis et sigillo viri in ecclesiastica dignitate constituti munitis, eandem iubemus adhiberi fidem, quæ hisce adhiberetur Litteris, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Nulli igitur liceat paginam hanc Nostræ concessionis et voluntatis et declarationis infringere vel ei, ausu temerario, contra ire. Quod si quis attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum die xxv mensis Decembris, in festo Nativitatis D. N. Iesu Christi, anno MDCCCCXXV, Pontificatus Nostri quarto.

O. Card. CAGIANO,
*S. R. E. Cancellarius.*

A. Card. FRÜHWIRTH,
*Pœnitentiarius Maior.*

Ioannes Zani-Caprelli, *Protonotarius Apostolicus.*
Dominicus Spolverini, *Protonotarius Apostolicus.*

Loco † Plumbi.

# Analecta ascetica et mystica.

In præcedentibus tomis XI et XIV ac sequentibus passim, sub hoc titulo quædam vel minus nota vel omnino inedita exscripsimus. Nunc, denuo recensita bibliotheca nostra episcopali, rursum invenimus aliqua ejusdem indolis. Et primo quidem ex volumine manuscripto, numquam quod sciamus edito, continente opuscula Odonis Canthuariensis O S. B. (1) exscribimus pauca ex opusculo seu sermone ejus de assumptione S. Mariæ, ubi ostendit quantopere Beatissima Virgo Maria duas illas sorores, de quibus in evangelio solemnitatis Assumptionis, Martham scilicet et Mariam, quarum illa vitam activam, hæc contemplativam vitam repræsentare solent, præcellat, et

(1) Notat Illmus Episcopus Malou istum Odonem fuisse priorem ecclesiæ Canthuariensis anno 1170 (1171), quo eodem anno S. Thomas Becket, Pontifex Canthuariensis in sua cathedrali martyr occubuit, dein a. 1175 electum fuisse abbatem S. Martini de Bello, et porro vixisse ultra a. 1180.

Addit idem Præsul: « De vita et scriptis ejus agunt Oudin, *Comment. de scriptoribus eccl.*, t. II, col. 1510, et I. A. Fabricius, *Bibl. med. et inf. latinitatis*, t. V, p. 155, ed. Mansi. Opuscula in hoc volumine descripta a nemine recensentur, nisi forte quidam sermones habeantur pro Commentario in Evangelia.

« Primum opusculum hic descriptum inscribitur Solatium peregrinorum. Sermo in Cathedram S. Petri ». Hoc ultimum dictum non est accuratum. Etenim, non primum tantummodo opusculum, sed tota collectio seu libellus integer opusculorum ita inscribitur, ut patet ex Auctoris Prologo, præsertim in hujus initio et fine. An vero omnia hoc volumine contenta sint Odonis, aliquod dubium exsurgit ex notâ, alia ut videtur manu addita in prima Prologi pagina ubi dicitur: « In hoc volumine continentur opuscula Domni Odonis Canthuariensis, et quidam alii sermones ». Addit adhuc Illmus Malou: « Odonis hujus Epistola habetur apud Mabillon in Analectis fol. p. 477. Sermones non pauci in Bibliotheca Burgundica seu regia Bruxellensi, sub nº (?) ».

Volumen nostrum in charta pergamena nitide descriptum est, scriptura ut videtur sæculi duodecimi exeuntis aut ineuntis sæculi sequentis, ita ut forte coævum sit ipsius Auctoris.

« supra omnes homines tam ejus (Christi) humanitati ministrando, quam divinitatem contemplando ipsa (Maria) semper studuit ».

« Scripturæ divinæ consuetudo est per duas illas sorores duas quæ sunt in Ecclesia vitas intelligere : per Martham quidem activam, per Mariam vero contemplativam. Martha laborat in operibus ministerii, Maria requiescit in sinu theoriæ. Activa pertinet ad dilectionem proximi, contemplativa ad amorem Dei. Christus autem Deus et homo. Totum vero studium beatæ Virginis Mariæ circa Christum fuit, dum aut ejus ministraret humanitati, aut contemplando vacaret divinitati. Dicta est Maria a quodam sapiente Christianorum philosophia, quod interpretatur studium sapientiæ, non solum .. quia ad inveniendam veram sapientiam studere debeant in Maria, verum etiam quia in Christo, qui est christianorum sapientia, supra omnes homines tam ejus humanitati ministrando, quam divinitatem contemplando ipsa semper studuit.

De actione.

Ministrant alii membris Christi quædam extrinseca, Maria vero ministravit ipsi Christo, Filio Dei et suo, non solum sicut Martha de materia extrinseca, verum supra Martham de propria substantia sua · aluit eum lacte sua, vestivit eum carne sua, præbuit ei hospicium uterum suum. Infirmatum in tenera suæ humanitatis infantia visitavit, fovit, balneavit, curam egit. Fugientem Herodis persecutionem in Ægyptum portavit atque reportavit. Tandem post multa Marthæ ministeria, in cruce morienti astitit, sepulturæ affuit, ubi tantum sollicita et turbata fuit, quod secundum Symeonem animam ipsius acutissimus nimium gladius pertransivit. Ecce qualis Martha! Quis huic in Marthæ ministerio similis ?

De contemplatione.

In contemplatione quoque, quæ pars Mariæ dicitur, cunctis facillime superior esse probatur. Qualis enim in contemplatione fuit, quæ ipsam divinitatem suæ carni in

propria Filii Dei unitam in utero habuit? Ipsum Verbum Dei, quod in principio apud Deum erat et Deus erat, hoc in utero suo Maria habebat, hoc audiebat, cum hoc loquebatur, hoc contemplabatur, et delectabatur. Christus Dei virtus et Dei sapientia. Christus autem in Maria. Igitur in Maria Dei virtus et sapientia. In Christo absconditi sunt, sic ait Apostolus, omnes thesauri scientiæ et sapientiæ. Christus autem in Maria. Omnes igitur thesauri sapientiæ et scientiæ in Maria. Omnis plenitudo divinitatis corporaliter in Christo. Christus autem in Maria. Omnis igitur plenitudo divinitatis in Maria (1). Quodsi plenitudo divinitatis in Maria, igitur Pater in Maria, igitur Filius in Maria, igitur Spiritus sanctus in Maria. Qualis igitur contemplativa Maria, quæ in Verbo Dei unigenito, de sua carne genito totius trinitatis contemplabitur in gloriam. Quomodo gloria divinitatis in contemplatione reveletur alicui Christus ostendens ait: Nemo novit Filium nisi Pater neque Patrem novit quis nisi Filius et cui voluerit Filius revelare. Si igitur Filius cuiquam hominum Patrem suum et seipsum Filium et utriusque Spiritum sanctum aliquando in contemplatione revelavit, quanto excelsius putas seipsum et in se Patrem et Spiritum sanctum matri suæ revelavit, quæ propter cordis sui mundiciam supra omnes homines Deum videre dignissima fuit? Qui videt me, inquit, videt et Patrem. Nemo autem hominum sic umquam vidit Filium, quo-

---

(1) Heic attende ex contextu et intento Auctoris nequaquam asseri *eadem ratione* esse in Maria atque in Christo plenitudinem divinitatis. In Christo enim, utpote Verbo incarnato « inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter » (*Coloss.*, II, 9) quatenus est Deus verus de Deo vero, unum cum Patre et Spiritu sancto; in Maria vero, quatenus Christus. Deus et homo, ipsi intima præsentia fuit unitus, ea quidem intimitate, qua nulli alii creaturæ; adeoque fuit ipsi Mariæ objectum contemplationis, simul ac tota trinitas, ea perfectione qua nulli alii creaturæ. — Ratione aliqua simili dicere possumus: Plenitudo divinitatis in Christo corporaliter, nempe Verbo incarnato, Christus autem recipitur in nobis, verus Deus et homo, in sacra communione. Igitur in sacra communione in nobis est plenitudo divinitatis corporaliter.

modo ipsa mater quem de sua carne peperit genitum. Omnia, inquit Apostolis, quæcumque audivi a Patre meo nota feci vobis. Quodsi Apostolis omnia revelavit, putas Matri suæ, Apostolorum Magistræ, et totius trinitatis consciæ aliquid abscondit? Maria ergo quum in Filio suo totius gloriam trinitatis cunctis hominibus perfectius agnovit, absque dubio cunctis in contemplatione sublimior fuit.

Quum ergo Maria, quæ dicitur christianorum philosophia, totum studium suum aliis aliter et excellentius hominibus, et ministeriis humanitatis et contemplationi Christi divinitatis impendit, vere dicere possumus quia numquam in aliqua parte sic Martha ministravit, nec umquam in aliqua parte sic contemplationi Maria vacavit ».

***

Inter hæc nostra Analecta edidimus quoque aliqua antiquorum scripta sub nomine Propositum vel Formula vivendi. Jamvero in præsenti manuscripto etiam ejusmodi Formulam vivendi reperimus, quam utpote brevem et concinnam hic subjicimus.

« Formula vivendi præsto est tibi. Pauca loquaris, plurima fac; sit utrisque comes modus, utile, pulchrum. Sobrius a mensis, a lecto surge pudicus. Obsequiis insta, ea pro te præmia poscunt Ut decet et prodest, et amabis et oderis idem. Stans metuas casum, superes prostratus et illum. Quem colis in titulis, miserum abjectumque tuere. Qui sic affectus suos disponit, sese ad cœlestia sustulit ».

† G. J., Episc. Brugen

# RESPONSA

## ad quæstiones in conferentiis mensis octobris propositas.

—

### I.

### Psalmus LXVII, Salvum me fac, Deus.

Q. *Indigitata occasione cui respondet psalmus* LXVII, Salvum me fac, Deus, *ejusdem psalmi indica argumentum generale illudque juxta varias strophas in eodem refertas distinctim describe* (1).

R. Non ita obvium est determinare *occassionem* cui psalmus LXVII respondet, nec una est auctorum hac in re sententia. Et patet quidem solutionem fore funditus diversam prout aliquis hunc psalmum, certe messianicum, intellexerit ut messianicum in sensu litterali, aut contrà in sensu mystico-typico.

Psalmum esse *messianicum* ut indubium desumitur ex variis locis Novi Testamenti, ubi plura ejusdem loca explicite Christo applicantur. Cfr v. 5 cum *Jo.*, xv, 25; — v. 10[a] cum *Jo*, ii, 17; — v. 10[b] cum *Rom.*, xv, 3; — v. 22 cum *Matth.*, xxvii, 48; *Jo.*, xix, 284; — v. 23-24 cum *Rom.*, xi, 9; — v. 26 cum *Act. Ap.*, i, 20. Illudque egregie confirmatur ex examine interno ipsius psalmi qui, sive in sensu suo litterali, sive in sensu typico, quam perfectissime Christo congruit.

Qui psalmum ut messianicum *in sensu litterali* intelligunt, ægre sane poterunt assignare, in vita ipsius auctoris humani, quivis sit (2), occasionem qua ipse hunc psal-

---

(1) Præter opera citata apud *Collat. Brugen.*, t. XXV, 1925, pp. 425, *nota* (1), cfr van Etten, *De Messianische Psalmen*, in *De Katholiek*, 1906, II, vol. CXXX, pp. 225 ss.

(2) Vide dicenda infra de auctore psalmi.

mum conscripserit, nisi quod utique dicendus erit in visione quadam prophetica perspexisse ea fata vitæ Christi quæ in psalmo describeret. — Facillime contrà assignantur adjuncta vitæ Jesu quibus psalmus respondet, necnon argumentum quod pertractat (1). Nimirum:

Christus Dominus horrendæ suæ passioni subjacet, pendens in cruce. Innocens est et justus, v. 5; victima, a Deo percussa propter peccata hominum expianda, vv. 6 (2) et 27. — Maximæ ipsius sunt angustiæ, vv. 2-4: inimicis circumdatur, v. 5; irrident ipsi, v. 13; opprobrio ipsum afficiunt, v. 20; nemo adest qui ejus misereatur, qui consoletur eum, v. 21; contrà felle et aceto ipsum potant, v. 22. — Et eo duriora sunt hæc omnia quia a concivibus suis, ab ipsis Judæis, ea patienda habet, v. 9; eo duriora quia injuste, ob nullum crimen ea ipsi inferunt, v. 5, imo ea omnia quæ pro gloria et honore Dei agit, v. 10, aut pro salute hominum patitur, vv. 11-12, ea omnia ipsi vitio vertunt; eo duriora quia amara sua irrisione prosequuntur eum qui ex voluntate Dei pro hominum salute patitur, v. 27. — Adsunt tamen alii, Deum sincera mente quærentes, v. 7[b], in eoque confidentes, v. 7[a]; quid fiet istis, si Deus Christo suo non succurrat? Nonne et ipsi confundentur et erubescent; nonne et ipsi deficient, v, 7? — Sed, utique, sperat Christus in Deum, qui omnia novit, v. 21; qui summe est misericors,

---

(1) Hanc sententiam messianitatis litteralis tenet et egregie applicat VAN EGGEN in art. supra citato.

(2) Diversimode explicatur ab auctoribus v. 6. Alii, arguentes ex contextu immediato ubi psalmista, in v. 5, affirmat suam innocentiam, et iterum in vv. 7-8, ubi affirmat se propter Deum persecutioni subjacere, æstimant etiam v. 6 esse intelligendum: « Tu, Deus, novisti me crimen non habere ob quod puniar »; — alii contrà intelligunt vv. 5-8: « Equidem, Deus, tu novisti me crimina habere, ob quæ digne puniar a te; sed tamen quæ inimici mei mihi inferunt, ea ipsi injuste inferunt: eis nihil mali feci, v. 5; imò me persequuntur propter te, v. 8, nimirum ut in sequentibus latius exponitur, quia negotiis tuis providendis, v. 10. et virtutibus exercendis me trado, vv. 11-12. Porrò crimina expianda ad quæ in hac interpretatione v. 6 alluderetur, non ipsius Jesu essent, sed generis humani.

v. 17, et fidelis in promissis suis implendis erga miseros, v. 14b. — Quare quam enixe orat Christus pro auxilio opportuno sibi obtinendo, vv. 2, 14-19; orat ne qui fideliter quærunt Deum deficiant, n. 7; orat ut debitam punitionem inimici ejus obdurati accipiant, vv. 23-29. — Et quidem spe perfecta exspectat se exauditum iri et jam in antecessum promittit gratitudinem, vv. 30 ss. (1).

Qui psalmum audiunt ut messianicum *in sensu typico* tantum (2), eo ipso affirmant eum in sensu suo litterali convenisse alicui homini, vel alicui cœtui hominum, qui, saltem in intentione Dei, principalis illius psalmi auctoris, typus erant præsignificans Christum. — Et quidem sententia communior est David, quem ut auctorem habent, in hoc psalmo agere de angustiis quibus ipsemet affligebatur, puta tempore quo subjacebat persecutionibus a parte Saul, vel tempore quo sustinebat rebellionem Absalom.

Et revera quod *David* sit *auctor psalmi* desumi potest tum ex inscriptione psalmi, ubi explicite Davidi adscribitur, tum ex ep. *ad Rom.*, XI, 9, ubi vv. 23-24 sub nomine Davidis a s. Paulo citantur (3); neque ulla possunt adduci argumenta quibus vel authentia illius inscriptionis vel vis demonstrativa utriusque illius argumenti debilitetur. — Quod in specie dicunt eos vv., quibus psalmus noster concluditur, quasdam continere allusiones ad captivitatem babylonicam (cfr vv. 34, 36), nihil probat contra authentiam davidicam psalmi, eo quod

---

(1) De his vv. 30-37 vide dicenda infra.

(2) Rectius diceretur in sensu *mystico*, eoque sive typico seu reali, sive verborum seu litterali, juxta exposita apud *Collat. Brugen.*, t. XXV, 1925, pp. 402 ss. — Sensus mystici verbalis habes præclaram applicationem in vv. 21 et 22.

(3) De valore utriusque illius argumenti in favorem authentiæ davidicæ psalmorum desumpti sive ex inscriptionibus eorumdem, sive ex citationibus sub nomine Davidis in s. Scriptura occurrentibus, cfr decretum *Commissionis Biblicæ* 1 máii 1910 (*Acta Apostolicæ Sedis*, II, 1910, pp. 354 s.; *Collat. Brugen.*, XV, 1910, pp. 372 s.), ad 2m-5m. Cfr Ryckmans, *La Vie diocésaine*, X, 1921, pp. 393 ss.

responderi potest vel hos vv. non pertinere ad psalmum primitivum, sed fuisse tempore captivitatis additos in ordine ad adaptandum psalmum novis illis adjunctis in quibus captivi degebant (1) ; — vel (2) hos vv. bene posse intelligi in calamo Davidis et de ipsius adjunctis.

Quæ, hisce de occasione psalmi dictis, adjungenda sunt de ejusdem *argumento*, obvia sunt et cæteroquin in præcedentibus jam præoccupata. Nimirum psalmus noster est oratio, — sive Davidis persecutionibus subjecti, sive Christi patientis, pro varia sententia quam aliquis circa indolem messianicam psalmi admittit — : suas angustias coram Deo pandit, orat ut ipse liberetur, hostes vero confundantur, pro futura liberatione gratias promittit.

Quod vero progressum idearum, per partes et strophas distinctarum, spectat, facile tres partes distinguere est :

I$^{a}$ pars describit angustias in quibus orans versatur (vv. 2-14$^{a}$). — Angustiæ maximæ mihi sunt; eas immerito patior (vv. 2-5; I$^{a}$ stropha); immerito: quantumvis enim, Deus, juste hæc permittas (3), tamen Tuî causa patior (vv. 6-9; II$^{a}$ stropha; vv. 10-14 a.; III$^{a}$ stropha).

II$^{a}$ pars enuntiat orationem patientis (vv. 14$^{b}$-29). — Et primò quidem, plena fiducia in misericordiam et fidelitatem divinam, implorat opem Dei (vv. 14b-18; IV$^{a}$ stropha), allegando insolentes quidem gloriari inimicos, neminem vero adesse consolatorem (vv. 19-12; V$^{a}$ stropha). — Secundò divinam ultionem imprecatur inimicis suis (vv. 23-29; VI$^{a}$ stropha) (4).

---

(1) Hujusmodi hypothesis licita declaratur a Commissione Biblica in decreto, ad 6$^{m}$. — Est sententia plerorumque auctorum.

(2) Ita censet Fillion in suo commentario *La Sainte Bible* in h. l.

(3) De sensu v. 6 recole dicta supra, p. 31, *nota* (2). — Utraque interpretatio ibidem data bene quadraret in hypothesim psalmum esse messianicum in sensu litterali. Sicut enim poterat Christus testari se esse plane innocentem, nimirum a propriis delictis, ita etiam poterat dicere se crimina habere expianda, nimirum peccata generis humani (cfr v. 27).

(4) De hisce vv. 23-29 vide dicenda hoc eodem fasciculo *Collat. Brugen.*, in resp. ad qu. I mensis sequentis.

IIIª pars: Psalmista concludit futuram suam liberationem exspectando et pro ea gratiarum actionem promittendo (vv. 30-34; VIIª stropha). — Quæ remanent haberi possunt tamquam additio posterior, qua, tempore captivitatis babylonicæ, psalmum adaptare voluerunt adjunctis miseris in quibus Judæi degebant. Exhibent votum pro liberatione a captivitate (vv. 35-37; VIIIª stropha) (1).

A. Vander Heeren.

## II.

## De elevatione et lapsu angelorum.

Q. *Quid tenendum est, secundum doctrinam revelationis et Ecclesiæ, de elevatione et lapsu angelorum ?*

*Prænotanda.* — Angeli in præsenti quæstione intelliguntur *generatim entia spiritualia*, de quibus diximus in præcedentibus responsis ; porro de elevatione et lapsu angelorum multa disputari possunt : imprimis *factum elevationis* entium spiritualium ad ordinem supernaturalem et quorumdam eorum *lapsus ;* deinde, quod *modum elevationis* attinet, utrum necne *omnes* angeli donati fuerint gratia sanctificante et *quandonam ;* juxta quosdam enim theologos omnes angeli habuerunt aliquam revelationem et gratias saltem actuales, sed *soli* qui perseveraverunt, receperunt gratiam habitualem ; quod spectat lapsum angelorum quæri potest *quodnam* fuerit eorum *peccatum*, ac si dicatur, cum sententia magis communi, hoc fuisse peccatum superbiae, ulterius adhuc indagari potest quomodo hoc sit intelligendum et explicandum ; inquiri potest *quot* ceciderint angeli et *cur* hisce *nullus locus pœnitentiæ* datus fuerit ; tandam quæ-

(1) Quamvis multi auctores consentiant vv. finales esse additionem posteriorem, captivitati babylonicæ congruentem, dissentiunt tamen in applicatione : aliis vv. 30-37 sunt additio (Zenner-Wiesmann), aliis vv. 35-37 (Schegg, Hoberg, Duhm), aliis soli vv. 35-37 (Thalhofer-Schmalzl).

nam sit *pœna* peccati angelici et quinam ejus *effectus circa naturalia* angelorum lapsorum, videlicet quomodo dicatur intellectus eorum obtenebratus, voluntas corrupta, potentia ligata.

Quum impræsentiarum quæramus quid doceat revelatio, quid proponat Ecclesia de elevatione et lapsu angelorum, omittimus disputationes, quæ libere inter theologos agitantur, et adhuc quæstiones potius incidentes vel consequentes ad doctrinam revelationis (1).

R. — 1/ Quod spectat *factum elevationis* angelorum *ad ordinem supernaturalem,* hoc *certo constat revelatione* et continetur in fontibus revelationis, quæ sunt Scriptura sacra et traditio oralis.

*Ordo* hîc sumitur *in concreto*, « pro complexu rerum quæ ordine instruuntur » (2). « Ad hoc autem quod aliqua sint ordinata, duo requiruntur. Primo quidem quod aliqua ordinentur ad finem, qui est principium totius ordinis in rebus agendis.... Secundo oportet quod id quod est ad finem [medium], sit proportionatum fini ; et ex hoc sequitur quod ratio eorum quæ sunt ad finem, sumitur ex fine » (3).

Unde generatim ordo dici potest apta dispositio mediorum ad finem, et siquidem finis est principium totius ordinis, demonstrata existentia finis supernaturalis demonstratur existentia ordinis supernaturalis.

Atqui fuerunt angeli destinati ad hunc finem ut *Deum visione intuitiva cognoscerent ;* hæc autem visio est *simpliciter supernaturalis*, quoniam creaturam sublimat ad ordinem proprie divinum. Priorem assertionem statim

---

(1) Lege ILL. AC REV. WAFFELAERT, *Introd. in theol. myst.*, tab. II et III, apud *Collat. Brugen.*, XXIV, p. 428 ; XXV, p. 98 s. et p. 109 s. coll. *Sum. theol.*, I, q. 64, a. 1 s. necnon *Quæst. disp. de malo*, q. 16, a. 6.

(2) Cfr DEJAEGHER, *Instit. philos.*, n. 229.

(3) *Sum. theol.*, I-II, q. 102, a. 1, c.

demonstramus ; alteram ad alium tractatum, ubi ex professo conficitur, nunc demandare possumus (1).

*a/ Scriptura sacra* explicite affirmat quosdam angelos, qui pusillos custodiunt, donatos fuisse visione Dei intuitiva seu faciali (2) ; deinde generatim dicit justos esse assimilandos angelis qui in cœlis sunt (3), quos etiam vocat sanctos (4) et electos (5), atque describit uti cœlicolas (6). Hæc porro omnia sat superque ostendunt angelos, quos vocamus bonos, hoc frui præmio quod novimus cœleste, reservatum sanctis et electis, nimirum visione Dei intuitiva, adeoque eos ad ordinem supernaturalem fuisse elevatos.

Ex alia parte litteræ sacræ testantur aperte angelos quosdam, quos dæmones nominant, in peccatum prolapsos, pœnam damni et quidem æternam jam luere (7), itaque privari visione beatifica, ad quam obtinendam pariter destinati fuere.

*b/ Traditio oralis* de elevatione angelorum haud minus luculenter loquitur : alii sunt angeli sancti, qui in bono perseveraverunt (8), « divinæ majestatis laudes canentes, ac sempiternam illam gloriam sempiterne intuentes » (9) ; hoc autem præmium meruerunt libere, sed per gratiam a Deo receptam (10).

---

(1) Cfr *Sum. theol.*, I, q. 12, a. 4 et Van der Meersch, *Tract. de Deo uno et trino*, n. 297, p. 256 s., Brugis, 1917.

(2) *Mt.*, xviii, 10 ; cfr *Collat. Brugen.*, IX, p. 244 s.

(3) *Mt.*, xxii, 30 coll. *Lc.*, xx, 36.

(4) *Mc.*, viii, 38 ; *Lc.*, ix, 26 coll. *Tob.*, x, 11 et *Dan.*, viii, 13.

(6) *I Tim.*, v, 21.

(6) *Mt.*, xxiv, 36 ; *Hebr.*, xii, 22 ; *Apoc.*, v, 11, vii, 11.

(7) *II Petr.*, ii, 4 ; *Jud.*, 6 coll. *Mt.*, xxv, 41 et *Jo.*, viii, 44 ; *Apoc.*, xii, 7 etc.

(8) Cfr s. Basilius, *Adv. Eunom.*, iii, 2 (MPG, XXIX, 660) ; *De Spiritu sancto*, xvi, 38 (MPG, XXXII, 136) ; *In Ps. hom.* xxxii, 4 (MPG, XXIX, 333).

(9) S. Gregorius naz., *Oratio* xxviii (theol. ii), 31 (MPG, XXXVI, 72).

(10) S. Augustinus, *De civit. Dei*, xii, 9. 2 (MPL, XLI, 357) ; *De correpl. et gratia*, x, 27 et xi, 32 (MPL, XLIV, 932 et 935) ; s. Fulgentius, *De fide, ad Petrum*, iii, 31 (MPL, LXV, 687) ; s. Gregorius magnus, *Moralia*, ii, 3, 3 (MPL, LXXV, 556) ; *In Ezech. hom.* i, 7, 18 (MPL, LXXVI, 849).

Alii sunt spiritus nequam, ad eumdum finem destinati, qui propria voluntate et culpa, « ab illo [Deo] qui summe est aversi, ad se ipsos conversi sunt, qui summe non sunt » (1) ; « refugientes ejus [Dei] bonitatem, non potuerunt ejus effugere judicium, per quod miserrimi affecti sunt » (2), « illius beatifici boni dilectione destituti, qui Deus est » (3).

Hoc præmium supernaturale *mereri* debuerunt angeli (4) ; unde et *gratia supernaturali donati* fuerunt (5) et *stadium probationis* habuerunt, quod brevissimum fuisse putat s. Thomas (6), propter eximiam eorum perfectionem etiam naturalem, quam in præcedenti quadam responsione breviter delineavimus (7).

2/ Revelatione adhuc novimus certo *multos* angelos esse *lapsos* (8) ; *quot* autem ceciderint, non satis constat.

Multi ss. Patres et theologi autumant angelos lapsos esse *ex omnibus ordinibus ;* attamen *minorem partem* militiæ cœlestis defecisse censent ; sed de hac quæstione revelatione rursus nihil certi novimus (9).

Nihilominus ex multis locis Scripturæ sacræ hoc apparet, inter angelos apostatas *principatum exerceri ab uno*,

---

(1) S. Augustinus, *De civit. Dei*, xii, 6 (MPL, XLI, 353) ; cfr ejusdem *De Gen. ad litt*, xi, 14, 18 (MPL, XXXIV, 436) et s. Athanasius, *De virgin.*, 5 (MPG, XXVIII, 257).

(2) S. Augustinus, *De correpl. et gratia*, x, 27 (MPL, XLIV, 932) et cfr ejusdem *Opus imperf. contra Julian.*, vi, 22 (MPL, XLV, 1553).

(3) S. Fulgentius, *o. c.*, iii, 31 (MPL, LXV, 687) et cfr s. Greg. mag., *Moralia*, iv, 3, 8 (MPL, LXXV, 642).

(4) *Sum. theol.*, I, q. 64, a. 2, dicitur de merito angelorum.

(5) Hæc fuit gratia Dei, non Christi-Redemptoris ; cfr Van der Meersch, *Tract. de gratia*, n. 9, ad 2, p. 8, Brugis, 1924², necnon *Collat. Brugen.*, XIV, p. 239 et recole quæ de Christo capite omnis creaturæ disputantur in tractatu de Verbo incarnato.

(6) Cfr *Sum. theol.*, I, q. 62, a. 5 et q. 63, a. 5 et 6.

(7) Cfr *Collat. Brugen.*, XXV, p. 353 et p. 430 s.

(8) *Mc.*, v, 9 : « Legio mihi est nomen, quia multi sumus ».

(9) Cfr *Sum. theol.*, I, q. 63, a. 9 ; quidam ex *Apoc.*, xii, 4, concludunt, sed immerito, tertiam partem angelorum in peccatum esse prolapsam.

qui vocatur Satanas, id est adversarius (1), Beelzebub (2) et Belial (3) ; appellatur adhuc draco magnus et serpens antiquus (4), princeps mundi vel deus hujus sæculi (5) ; a Patribus etiam quandoque nominatur Lucifer (6). Hic autem, juxta s. Thomam, qui nititur auctoritate s. Gregorii, fuerit supremus inter omnes angelos atque exemplo necnon quasi exhortatione sua ceteros ad peccandum induxerit (7).

Quod tandem *doctrinam Ecclesiæ* attinet, eamdem sic legimus in catechismo concilii tridentini ad parochos : « Spiritualem naturam, innumerabilesque angelos,.... ipse [Deus] ex nihilo creavit, quos deinde admirabili gratiæ suæ, et potestatis munere auxit, atque ornavit. Nam cum illud sit in divinis litteris, diabolum in veritate non stetisse (8), perspicuum est eum reliquosque desertores angelos, ab ortus sui initio gratia præditos fuisse » (9).

Mens magisterii ecclesiastici patet adhuc ex damnatione quarumdam propositionum Baii, qui gratiam denegabat angelis (10) ; attendenda pariter constitutio de visione Dei beatifica, quæ spectat utique primo sanctorum animas, quas docet Benedictus XII « sanctorum

---

(1) Ita *Job*, I, 6 etc. ; idem significat *diabolus*, quod nomen, sicut nomen satanas, quandoque etiam collective designat potestatem infernalem, uti notat Van Noort, *De Deo creatore*, p. 84, n. 1, Amstelodami, 1912².

(2) Cfr *Mt.*, X, 25 ; XII, 24 s. ; *Lc.*, XI, 15. — Disputant auctores de significatione hujus nominis, quod ponitur *IV Reg.*, I, 2 tanquam nomen falsi dei, et probabilius significat *dominum habitationis* (infernalis) ; cfr *Collat. Brugen.*, XXIV, p. 32, n. 2.

(3) *II Cor.*, VI, 15; ad litt. *ad nihil utilis* (niets weerd, qui ne vaut rien).

(4) *Apoc.*, XII, 9, alludens ad narrationem Geneseos.

(5) *Jo.*, XII, 31 ; *II Cor.*, IV, 4.

(6) Hoc nomen *Is.*, XIV, 12, tribuitur superbo regi Babyloniæ.

(7) Cfr *Sum. theol.*, I, q. 63, a. 7 et 8.

(8) Cfr *Jo.*, VIII, 44.

(9) *Catechismus conc. trid.*, Pars I, de symb. fidei, art. 1, n. 18, p. 21, in ed. soc. s. Joannis evang., Tornaci, 1890.

(10) *Enchiridion symb.*, n. 1001 s.

angelorum consortio aggregatas » Deum videre « visione intuitiva et etiam faciali » (1).

Tandem in concilio lateranensi quarto definitum fuit : « Diabolus et alii dæmones a Deo quidem natura creati sunt boni, sed ipsi per se facti sunt mali » (2) ; unde non tantum *fide divina*, utpote veritas divinitus revelata, sed adhuc *fide catholica*, tanquam fidei dogma stricte dictum, quosdam angelos *in peccatum libere esse prolapsos* tenendum est.

H. Lamiroy.

## III-IV.

### De absolutione indirecta a peccato.

Q. *Quid est absolutio indirecta a peccato et quandonam usu venit ?*

R. Ad I^m^.

Quo melius responsum intelligatur, pauca de absolutione *directa* præmittenda sunt.

Directe absolvitur aliquod peccatum quando *valide* (3) sententia sacramentalis absolutionis *de eo* pronuntiatur seu intentione ministri ad illud immediate terminatur. Peccatum autem mortale absolvitur directe et *simpliciter* quando absolutio illud respicit postquam secundum numerum et speciem fuit accusatum. At, cogente aliqua necessitate, contingere potest ut sufficiat peccata mortalia in genere tantum declarare, sine determinatione numeri, vel sine indicatione speciei theologicæ (gravitatis) aut moralis, cum obligatione postea supplendi defectuosæ confessioni. Quo casu dicunt auctores peccata illa remitti directe, *sub sola ratione generica* de qua cognovit confes-

(1) *Enchir.*, n. 530.

(2) *Conc. lat.* IV (a. 1215), cap. 1, de fide cath., apud *Enchir.*, n. 428.

(3) Si sacramentum valide sed infructuose confertur, peccatum clavibus subjectum directe absolvitur valido potestatis clavium exercitio, adeoque non est iterum accusandum, quamvis tunc tantum in actu secundo condonetur quando sacramentum reviviscit.

sarius confessione sacramentali. Consequenter, quia eorum macula deleta est manente obligatione supplendi, eadem peccata, sub ratione speciei nondum declaratæ, *indirecte* absoluta dicuntur : sensu tamen, uti videtur, minus proprio. Jam age :

Aliquando licet peccatorum mortalium accusationem in confessione differre, puta quando et pro quanto materialis integritas est moraliter impossibilis, vel bona fide judicatur unum alterumve peccatum non esse accusandum. Accidere etiam potest ut confessarius gaudeat jurisdictione in quibusdam peccatis pænitentis, non autem in omnibus.

Porro, si confessarius fert *fructuosam* sententiam absolutionis de peccatis a pænitente accusatis et in quibus jurisdictionem habet, dum ista peccata directe absolvendo sacramentum confert (1), cessat quoque reatus peccatorum mortalium non accusatorum aut eorum de quibus jurisdictione caret. Etenim, momento quo per infusionem gratiæ sanctificantis constituitur pænitens in statu amicitiæ divinæ, implicite condonatur omnis reatus culpæ vel pœnæ cum ea amicitia incompossibilis.

Jamautem, sacramentum fructuosum esse potest, quamvis reatus alicujus culpæ mortalis, excusante bona fide pænitentis vel aliqua necessitate, clavibus non subjiciatur aut defectu jurisdictionis directe remitti nequeat.

Potuisset sane Dominus ita ordinare œconomiam hujus sacramenti ut obex ad gratiam esset defectus remissionis directæ alicujus peccati mortalis, quamvis confessio esset formaliter integra. Constat autem Ipsum non ita disposuisse res. Concilium enim tridentinum, damnans errores eorum qui confessionem impossibilem aut carnificinam conscientiarum appellabant, docet de *peccatis præ oblivione non accusatis :* « dum omnia, quæ memoriæ occurrunt, peccata Christi fideles confiteri student, procul dubio omnia divinæ misericordiæ ignoscenda exponunt »,

(1) Vel, si absolutio est tantum valida, dum obex ad fructuositatem removetur.

« constat enim, nihil aliud in Ecclesia a pænitentibus exigi, quam ut, postquam quisque diligentius se excusserit et conscientiæ suæ sinus omnes et latebras exploraverit, ea confiteatur, quibus se Dominum et Deum suum mortaliter offendisse meminerit; reliqua autem peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in universum eadem confessione inclusa esse intelliguntur; pro quibus fideliter cum Propheta dicimus: *Ab occultis munda me Domine* » (1).

Eadem Dei misericordia freti et cum agatur de sacramento mortuorum, docent theologi, non tantum in prædicto casu oblivionis sed quotiescumque interiori justificationi pænitentis non obstat defectus attritionis appretiative summæ et universalis de mortalibus, sacramentum hoc justificare suscipientem.

Itaque, si contingat quædam peccata mortalia non directe clavibus remitti sed de aliis peccatis, quantumvis forsan levioribus, fructuosam pronuntiari sententiam absolutionis, peccata illa mortalia concomitanter condonantur, quia eorum reatus incompossibilis est cum gratia sanctificante quæ sacramentali absolutione infunditur: qua de causa *absolutio* relate ad ea peccata dicitur *indirecta*. Manet tamen obligatio ea postea clavibus subjiciendi.

*Nota:* 1/ absolutio indirecta intelligitur de sola absolutione a peccato, non autem de absolutione a *censura*, quæ absolutio semper directa est, etiamsi sub pœna reincidentiæ feratur. 2/ Liquet sola peccata *mortalia* indirecte absolvi, cum peccata venialia compossibilia sint cum statu amicitiæ divinæ. 3/ Quamvis, juxta probabilem sententiam, sacramento vivorum peccati mortalis macula nonnunquam deleatur, puta quando ignoratur status peccati et debita attritio cum voto sacramenti pœnitentiæ adest, tamen in hoc casu quæstio non est de *absolutione* indirecta.

---

(1) Sessio XIV, doctrina de pænitentia, cap. 5. Cfr *Enchir*, n. 899,900.

Ad IIm.

Supposita absolutione valida et debita attritione pænitentis, usu venit absolutio indirecta:

1/ Respectu pænitentis qui excusatur ab adimplendo divino præcepto confessionis materialiter integræ propter bonam fidem, vel ob præsentem impossibilitatem hujusmodi confessionis et necessitatem in qua versatur obtinendi absolutionem sacramentalem.

Notum est enim præceptum divinum admittere exceptiones, hac scil. ratione ut *differri* possit gravium peccatorum accusatio quatenus in præsenti confessione fieri nequeat ob impotentiam physicam vel moralem aut grave aliquod damnum sacramento extrinsecum (1). Docent theologi hanc confessionem *formaliter* integram sufficere, dummodo adsit quoque aliqua necessitas ob quam recursus ad absolutionem sacramentalem urgeat, idest differri nequeat usquedum confessio materialiter integra institui possit.

Ad mentem S. Alphonsi, *casus urgentior* obtinet, seu recursus ad sacramentum confessionis urgens habetur quando præceptum annuæ confessionis vel communionis adimplendum est, quando a communione vel celebratione abstineri non potest sine scandali vel infamiæ periculo,

---

(1) In memoriam revocentur varii casus in quibus confessio formaliter integra sufficere potest. Ita compendiose Vermeersch, *Theologia moralis*, t. III, 1923, p. 498 s: « Cum a præcepto *positivo* integritatis materialis nimia difficultas excuset, integritas *formalis* sufficit: iis qui *physica* impotentia laborant confitendi integre, saltem per media ordinaria; iis qui *morali* impotentia ab integritate materiali impediuntur (ut imminente multorum clade vel etiam interdum in missione apud infideles); iis qui ex confessione integra, vel sibi, vel confessario, vel alii timendum habent grave damnum, per accidens, non per se cum tali confessione conjunctum. Ad moralem impotentiam refertur casus scrupulosi de præterita vita, pænitentis qui, ante finitam confessionem, ab impatiente confessario absolvitur... Verum, ut quis incomplete confiteatur, requiritur quædam necessitas, vel magna confessionis utilitas, et inopia confessarii cui integra confessio fieri possit. » Atque, in confessione incompleta, gravia pecata præ levibus accusanda sunt.

quando pænitenti onus grave est etiam per unum diem in statu peccati mortalis remanere (1).

2/ Respectu pænitentis qui est in necessitate modo descripta obtinendi absolutionem, et quidem a confessario qui in quibusdam tantum illius peccatis jurisdictionem habet.

Id obtinet in duplici hypothesi. a/ *Pro absolutione complicis :* quando peccatum complicitatis, nondum directe remissum, bona fide (2) reticetur, vel imo, juxta probabilem sententiam (3), clavibus subjicitur. Postulatur tamen ut pænitens ob necessitates vel gravia incommoda, in casu urgentiori supra descripta, abstinere nequeat a confessione *apud complicem* instituenda, aut saltem ut confessio bona fide incœpta ob eadem incommoda et necessitates absolutione perficienda sit. In his adjunctis confessarius valide et licite absolvit, indirecte a peccato complicitatis, directe vero a cæteris.

b/ Id etiam obtinet quando pænitens, qui confitetur *peccatum reservatum*, versatur in casu urgentiori obtinendi absolutionem sacramentalem. Supponimus tamen, ob grave aliquod pænitentis incommodum aut periculum violandi sigillum, confessarium non impediri a petenda facultate absolvendi a reservato. Casu enim quo gravi pœnitentis damno petitio facultatis impediretur, vi can. 900 n. 2° ipsa peccati reservatio cessaret et directa omnium peccatorum absolutio usu veniret. Porro, non obstat hujusmodi incommodum quando pænitens proximam confessionem facile apud eumdem confessarium instituere valet ad obtinendam absolutionem directam a reservato. Non pauci tamen ita hunc canonem interpretantur ut reservatio cessare censeatur statim ac casus

---

(1) Cfr Heilig, *Theologia moralis S. Alphonsi de Ligorio*, t. VI, n. 490. Mechliniæ, 1845, collato Vermeersch, *l. c.*, n. 588.

(2) Illicita est absolutio quotiescumque sacerdos pænitentem directe vel indirecte induxerit ad peccatum illud non confitendum. Cfr De Smet, *De absolutione complicis et sollicitatione*, 1921, n, 14, 20.

(3) Cfr De Smet, *l. c.*, n. 15-18.

urgentior suscipiendi sacramentum pænitentiæ obtineat, etiamsi ad eumdem confessarium facile rediri queat (1).

3/ Respectu pænitentis qui est in statu peccati mortalis et cujus peccatum mortale nondum valida absolutione directe remissum est, quoties pænitens non accusat istud peccatum quia, ob probabiles rationes, dubitat an peccatum fuerit grave, vel an vere commissum sit, vel an valida absolutione jam directe remissum sit.

V. Coucke.

## V.

## De indulgentia altaris privilegiati (2).

Q. *Quid intelligis nomine indulgentiæ altaris privilegiati ? Quænam sunt conditiones ad hanc indulgentiam lucrandam requisitæ ?*

**Prænota.** — Quamquam indulgentia altaris privilegiati vi vocis et de se non magis indicat indulgentiam defunctis applicandam quam vivis, de facto tamen ex stylo curiæ et ex usu quasi exclusivo auctorum locutio « altare privilegiatum », sine addito, intelligenda est de altari

---

(1) Lege De Smet, *l. c.*, n. 140-142. Vermeersch, *l. c.*, n. 470 scribit : « grave pænitentis incommodum est, v. g. gravis difficultas redeundi ad confessarium, necessitas celebrandi, difficultas abstinendi communione sine aliqua nota vel suspicione ; immo, ni fallimur, ipsum notabile animæ detrimentum quod ob minus bonam voluntatem pateretur, si timendum sit ne recedat indispositus ». Itaque, non admittit practice absolutionem indirectam peccati reservati sed, juxta ipsum, vel directe absolvendum est, cessante reservatione, vel absolutio est deneganda ob defectum jurisdictionis in peccatum reservatum.

(2) Cfr Beringer-Steinen, *Die Ablässe*, ed. 15, t. I, p. 529 ss., n. 978 ss. ; *Periodica de re canonica et morali*, t. XII, p. 138 ss. ; *Nederlandsche katholieke stemmen*, 1925, t. XXV, p. 220 ss ; A. Vermeersch, S. J., *Theologiæ moralis principia, responsa, consilia*, t. III, p. 519 sq., n. 637 ; P. Stein, *Tractatus de indulgentiis lucrandis*, 1912, p. 26 ss. ; L. Fanfani, O. P., *De indulgentiis*, p. 83 ss.; P. Hubertus, O. M. C , *Leer en praktijk der aflaten*, 1923, p. 97 ss. ; J. Lacau, *Précieux trésors des indulgences*, 1924, p. 170 ss.

privilegiato pro defunctis (1). In præsenti responso de altari privilegiato hoc sensu intellecto unice agimus, in posterum tractaturi de altari privilegiato « pro vivis », vel « pro vivis et defunctis », vel « pro agonizantibus ».

Notio. — Juxta formulam usitatam in indulto concessionis, desumptam ex Brevi Benedicti XIII, 20 Augusti 1724, privilegiatum vocatur altare cui s. Pontifex adnectit privilegium « ut quandocumque sacerdos aliquis.... missam... pro anima cujuscumque christifidelis, quæ Deo in caritate conjuncta ab hac luce migraverit, ad prædictum altare celebrabit, anima ipsa de thesauro Ecclesiæ per modum suffragii indulgentiam consequatur, ita ut... D. N. J. C. ac beatissimæ Virginis Mariæ sanctorumque omnium meritis sibi suffragantibus a purgatorii pœnis liberetur ».

Magni faciunt pii fideles indulgentiam conjunctam cum altari privilegiato, tamquam certissimam rationem succurrendi defunctis. Et merito quidem: est etenim *indulgentia plenaria*, quatenus nimirum Ecclesia ex thesauro suo spirituali tantam Deo offert copiam satisfactionum, quanta necessaria est ad expungendam pœnam alicujus animæ determinatæ in purgatorio. Præterea hæc indulgentia est *certioris obtentionis*, quatenus ex parte celebrantis sola requiritur applicatio missæ (2), et *certioris efficaciæ*, quatenus indulgentia plenaria adnectitur sacrificio missæ, quæ, utpote sacrificium propitiatorium pro anima defuncti oblatum, vim habet placandi divinam justitiam, adeoque removendi impedimenta, si quæ obsint, quominus indulgentia huic animæ plene applicetur.

---

(1) Cfr C. Callewaert, apud *Collat. Brugen.*, t. III, 1898, p. 180. « Nostris diebus, ait Beringer, *o. c.*, p. 530, n. 979, altaria privilegiata fere non conceduntur nisi pro defunctis ».

(2) Non requiritur specialis intentio circa indulgentiam aut circa applicationem ejus, ut infra dicitur in textu, imo probabilius non requiritur status gratiæ in celebrante. Cfr Génicot-Salsmans, *Institutiones theologiæ moralis*, t. II, p. 369, n. 404; P. Stein, *o. c.*, p. 27: Beringer-Steinen, *o. c.*, t. I, p. 531, n. 980.

Attamen non est infallibiliter certa applicatio indulgentiæ adeoque liberatio subitanea animæ e purgatorio : et ideo bonum est atque utile, uti ceterum pius usus viget apud fideles, ut plures missæ etiam cum privilegio altaris, offerantur pro eodem defuncto (1).

« Excepto altari gregoriano, cetera altaria privilegiata a sœculo XVI repetenda videntur. Prius a Paulo III concessa videntur : potissimus autem largitor fuit Gregorius XIII » (2)..

**Divisio.** — Distinguitur privilegium altaris *locale*, seu altare privilegiatum proprie dictum, ubi privilegium adhæret ipsi altari, et privilegium altaris *personale*, quod adhæret personæ, ubicumque celebret, vel quod etiam conceditur missis quæ pro certis defunctis celebrantur. Ita v. g. sacerdotes qui actum heroicum charitatis emiserunt, indulto altaris privilegiati personalis quotidie et in perpetuum fruuntur (3); sacerdotes tertiarii s. Francisci Assisiensis ter in hebdomada gaudent indulto altaris privilegiati personalis, dummodo simile indultum pro alia die non impetraverint (4); missæ omnes quæ in suffragium tertiariorum s. Francisci defunctorum celebrantur, sunt semper et ubique privilegiatæ (5).

---

(1) S. Congregationi Indulgentiarum sequens dubium propositum fuit : « Utrum per indulgentiam altari privilegiato adnexam intelligenda sit indulgentia plenaria animam statim liberans ab omnibus purgatorii pœnis, an vero tantum indulgentia quædam secundum divinæ misericordiæ beneplacitum applicanda ». Cui ita respondit 28 julii 1840 : « Per indulgentiam altari privilegiato adnexam, si spectetur mens concedentis et usus clavium potestatis, intelligendam esse indulgentiam plenariam, quæ animam statim liberet ab omnibus purgatorii pœnis ; si vero spectetur applicationis effectus, intelligendam esse indulgentiam cujus mensura divinæ misericordiæ beneplacito et acceptationi respondet ». *Decr. auth.* n. 283.

(2) Vermeersch, *l. c.* ; Beringer-Steinen, *o. c.*, t. I, n. 981. In proximo quodam responso agemus de altari gregoriano.

(3) Decreto s. Cong. Indulg. 30 septembris 1852. Cfr Beringer-Steinen, *o. c.*, t. I, p. 394, n. 829 sq.

(4) Cfr *Summarium indulgentiarum Tertii Ordinis franciscani.*

(5) Cfr *ibid.*

Can. 917 § 1. « Die commemorationis omnium fidelium defunctorum, omnes missæ gaudent privilegio acsi essent ad altare privilegiatum celebratæ ».

§ 2. « Omnia altaria ecclesiæ per eos dies quibus in ea peragitur supplicatio quadraginta Horarum sunt privilegiata » (1).

Circa altare privilegiatum *personale* sequentia adverte:

1. Hoc indultum a solo s. Pontifice conceditur, mediante nunc s. Pœnitentiaria apostolica, quæ id privilegium pro quatuor diebus in hebdomada et in perpetuum concedere solet (2). Plures autem confraternitates sacerdotales hoc privilegium adscriptis suis membris communicant.

2. Sacerdos qui a s. Pœnitentiaria obtinuit hoc indultum quater in hebdomada, si aggregetur alicui confraternitati quæ eodem privilegio gaudet, v. g. ter in hebdomada, frui potest utroque simul privilegio, dummodo in indultis de quibus agitur aliter expresse non disponatur (3). De facto autem sæpe adest talis clausula restrictiva, uti in exemplo supra allato, aut alia v. g.: « quatenus simili privilegio non gaudeant » (4).

Circa privilegium *locale* seu circa altare privilegiatum proprie dictum hæc nota.

1. Hoc privilegium non tantum a R. Pontifice sed etiam ab aliis quibusdam superioribus ecclesiasticis concedi potest. Ita « Episcopi, abbates vel prælati *nullius*, vicarii

---

(1) Decreto s. Cong. s. Officii (sectio de indulgentiis) 22 januari 1914 « permittitur ut ubi exercitium quadraginta horarum, judice Rev^mo loci Ordinario, fieri nequeat prout ab Instructione Clementina exigitur, sit satis ad effectum indulgentiarum et privilegii [altarium] obtinendum, primo die ss. Sacramentum quacumque hora matutina, vel circa meridiem..... in ostensorio exponere, et perdurante ipso die et per diem alterum ejusmodi expositione, die tertio, meridie aut de sero, Idem deponere, quamvis noctu expositio interrumpatur ». Cfr *Collat. Brugen.*, t. XXI, 1914, p. 273 sq.

(2) BERINGER-STEINEN, *o. c.*, t. I, p. 541 nota (3).

(3) Cfr decr. s. C. Ind. 27 maii 1839. *Decr. auth.*, n. 272.

(4) « *Simile* privilegium intellige *personale*, proindeque beneficio concesso non excidit qui reliquis hebdomadæ diebus celebrat ad *altare privilegiatum* ». STEIN, *o. c.*, p. 27.

ac præfecti apostolici et superiores majores religionis clericalis exemptæ, possunt designare et declarare unum altare privilegiatum quotidianum perpetuum, dummodo aliud non habeatur, in suis ecclesiis cathedralibus, abbatialibus, collegiatis, conventualibus, parœcialibus. quasi - parœcialibus, non autem in oratoriis publicis vel semi - publicis, nisi sint ecclesiæ parœciali unita seu ejusdem subsidiaria » Can. 916 (1).

Ecclesiæ autem cathedrales quæ simul sunt parœciales non habent jus ad duplex altare privilegiatum (2). Aliunde, potest episcopus aliquod altare privilegiatum designare *intuitu parœciæ* in aliqua ecclesia parœciali quæ *alio titulo* jam habet aliquod vel aliqua altaria privilegiata, v. g. titulo alicujus confraternitatis. Ex nova designatione episcopi cessaret privilegium illius vel illorum altarium quæ hoc privilegium unice intuitu parœciæ haberent (3).

2. Quando per aggregationem, datur communicatio indulgentiarum et privilegiorum aliquorum ordinum, ecclesiarum, confraternitatum, altare privilegiatum per se non includitur in generali communicatione : hoc enim privilegium non potest communicari nisi speciali indulto (4).

3. Ad vitandas inprudentes inscriptiones, can. 918 § 1 præcipit: « Ut indicetur altare esse privilegiatum, nihil aliud inscribatur nisi : *altare privilegiatum*, perpetuum vel ad tempus, quotidianum vel non, secundum concessionis verba » (5).

---

(1) Circa jus anterius ad novum codicem cfr Beringer-Steinen, *o. c.*, t. I, p. 535, n. 983.

(2) Decr. s. C. Ind. 18 sept. 1776, *Decr. auth.*, n. 238, et 10 sept. 1781, *ibid.*, n. 242.

(3) Cfr Beringer-Steinen, *o. c.*, t. I, p. 536, n. 983. *Decr. auth.* 322.

(4) Decr. s. C. Ind. 12 martii 1725, *Decr. auth.*, n. 88. Cfr Beringer-Steinen, *o. c.*, t. I, n. 993.

(5) Merito monet Beringer ut parochus aut rector ecclesiæ ubi extat altare cum inscriptione : *altare privilegiatum*, ex documentis authenticis certior fiat utrum, quoties, quousque sit privilegiatum. Cfr *o. c.*, t. I, p. 539.

**Conditiones requisitæ.** — 1° *Ex parte altaris:*

Ad indultum *locale* altaris privilegiati, seu ut aliquod altare possit tamquam privilegiatum designari :

1. Non oportet ut ecclesia ubi altare est erectum sit consecrata, sed sufficit ut sit benedicta (1).

2. Non requiritur ut altare sit fixum *stricto sensu liturgico*, scilicet ex toto lapideum et cujus mensa unico tantum constet lapide immediate stipitibus conjuncto et consecratum (2); aliunde vero non potest adnecti indulgentia altaris privilegiato altari « portatili » seu « viatico » (3).

3. Requiritur altare « fixum » seu « locale », « stabile et inamovibile », « quod a loco dimoveri non possit » (4), quæ tamen verba non sunt sensu stricto accipienda, nam ad dubium: « an sufficiat ut [altare] sit etiam ligneum, muro minime firmatum, cum lapide in medio mensæ consecrato, alicui sancto specialiter dicatum », s. Cong. Indulg. respondit: « Affirmative » (5). Sufficit etiam « ad constituendam qualitatem altaris *fixi*, ut in medio altaris stabilis et inamovibilis, licet non consecrati, lapis conse-

---

(1) Decr. s. C. Ind. 17 aprilis 1752, *Decr. auth.*, n. 193, coll. decr. 30 jan. 1760, *ibid.*, n. 219 ad 2.

(2) Decr. s. C. Ind. 18 julii 1902, ad 2m, apud *Collat. Brugen.*, t. VII, 1902, p. 656, coll. decr. 20 martii 1846 ad 1m, *Decr. auth.*, n. 334.

(3) Decr. s. C. Ind. 27 nov. 1764 ad 1m, *Decr. auth.*, n. 234, decr. 27 sept. 1843, *ibid.* n. 324, et decr. 18 julii 1902, ad 1m apud *Collat. Brugen.*, t. VII, p. 656. Nomine altaris portalis intelligitur hic: « altare ut dicitur viaticum, quod constat tantum ex uno lapide integro, tantæ magnitudinis, ut calicis pedem cum patena, saltem quoad majorem partem capere possit, vel quod de uno in alium locum transfertur » Decr. s. C. Ind., 20 martii 1846. — Potest quidem altare portatile a s. Sede declarari privilegiatum, sed oportet ut id explicite declaretur, seu ut expresse, sive in solo libello supplici, sive, quod securius est, in libello et in rescripto mentio fiat de portatilitate. Beringer-Steinen, *o. c.*, t. I, p. 538, n. 985. Cfr decr. s. C. Ind. 15 dec. 1841 et 31 jan. 1843, *Decr. auth.*, n. 295 et n. 315.

(4) Cfr decr. 20 martii 1846, *Decr. auth.*, n. 334, coll. rescripto Pii IX, 26 martii 1867, *Rescr. auth.*, n. 405.

(5) Decr. 18 julii 1902, ad 3m, apud *Collat. Brugen.*, *l. c.*

cratus etiam amovibilis ponatur » (1), ubi adverte privilegium altari adhærere, non vero lapidi, et fixitatem requisitam non afficere lapidem consecratum sed totam altaris structuram (2).

Non cessat privilegium quando altare v. g. ligneum, ex nova materia v.g. ex marmore, sed sub eodem titulo reconstruitur (3), nec quando in alio loco in eadem ecclesia et sub eadem invocatione erigitur (4).

Cessat vero si ecclesia diruitur aut corruit; reviviscit vero quando ecclesia in eodem loco et sub eodem titulo reædificatur, dummodo altare eumdem suum titulum conservet. Penitus tandem cessat, si ecclesia in alio loco, aut sub novo titulo reædificatur, vel si altare novum accipit titulum (5).

Nota bene has conditiones circa altare respicere tantum privilegium *locale* : privilegium vero *personale* vigere ad quodvis altare.

2° *Ex parte celebrantis :*

Ut sacerdos celebrans sive ad altare privilegiatum sive cum indulto personali altaris privilegiati lucretur indulgentiam plenariam privilegii,

1. non requiritur actualis aut virtualis intentio hanc indulgentiam lucrandi, sed sufficit intentio habitualis, juxta principia generalia olim exposita (6).

2. Requiritur ut missam offerat pro defuncto vel pro defunctis exclusive; quando celebrat pro vivo, vel pro

---

(1) Rescriptum 26 martii 1867, *l. c.*, quod conferatur cum decr. s. C. Ind. 27 sept. 1843, *Decr. auth.*, n. 324.

(2) Cfr C. Callewaert, apud *Collat. Brugen.*, t. VII, 1902, p. 657 sq., coll. t. XV, 1910, p. 656, ss., ubi de altari fixo et de altari portatili sensu liturgico.

(3) Decr. s. C. Ind. 24 aprilis 1843, *Decr. auth.*, n. 317.

(4) Decr. s. C. Ind. 16 sept. 1723, *Decr. auth.*, n. 84.

(5) Cfr Beringer-Steinen, *o. c.*, t. I, n. 986 et decreta ibidem citata.

(6) Decretum s. C. Ind. 12 martii 1855, *Decr. auth.*, n. 366, declaravit missam *ad altare privilegiatum* celebratam esse *per se* privilegiatam, independenter ab intentione offerentis eleemosynam et celebrantis. Quod responsum confirmatum fuit decreto s. Officii, 16-17 junii 1915, cfr *Collat. Brugen.*, t. XX, 1920, p. 147.

vivis, vel pro vivis et defunctis indulgentiam altaris privilegiati lucrari non valet (1).

Etenim indulgentia altaris privilegiati de quo hic agimus, pro solis defunctis concessa est, imo, juxta mentem concedentis, hæc indulgentia *uni* tantum defuncto prodesse potest (2): aliunde vero ex positiva voluntate s. Pontificis beneficium indulgentiæ separari nequit ab applicatione seu fructu sacrificii (3).

Unde quando sacerdos celebrat pro uno defuncto, huic soli animæ acquirere potest indulgentiam altaris privilegiati. Quando vero celebrat pro pluribus defunctis, uni tantum ex iis indulgentiam lucrari potest. Congruum est igitur ut celebrans unam ex his animabus vel ipse specialiter designet cui hæc indulgentia prosit, vel divinæ miserationi aut maternæ sollicitudini B. Mariæ V. eligendam remittat. Si tamen de neutro cogitaverit, privilegium tamen non ideo inutile evadit, sed indulgentiam acquiret, si Deo placuerit, illa anima quæ Deo placuerit (4).

---

(1) Decr. s. C. Ind. 25 aug. 1897, ad 2m, apud *Collat. Brugen.*. t. III, 1898, p. 179 sq., et decr. s. C. Ind. 23 jan. 1901, ad 1m, apud *Collat. Brugen.*. t. VI. 1901, p. 376 sq.

(2) Decr. s. C. Ind. 29 februarii 1864, ad 1m, *Decr. auth.*, n. 402; decr. 19 junii 1880, ad 2m, *ibid.*, n. 451; decr. 18 dec. 1885, cfr *Acta s Sedis*, t. XVIII, p. 340 sq.; decr. s. Pœnitentiariæ 3-6 julii 1917, ad 1m, cfr *Collat. Brugen.*, t. XX, 1920, p. 150 sq. Etiam si in decreto concessionis formula pluralis adhibeatur, v. g. animabus pro quibus celebratum fuerit, eadem regula applicanda est, scilicet indulgentiam altaris privilegiati uni tantum animæ prodesse, quod etiam valet pro missis in Commemoratione omnium fidelium defunctorum et erronee contrarium supponit orator cujus dubio respondet decr. s. C. Ind. 29 februarii 1864, *Decr. auth.*, n. 402. Cfr Beringer-Steinen, *o. c.*, t. I, p. 543, n. 989; *Periodica*. t. IX, p. 69.

(3) Natura quidem sua et sacrificii et indulgentiæ applicatio separari posset: de facto talem separationem non licere communiter constat et nonnisi hoc modo s. Pontifex privilegium altaris concedit. Cfr Callewaert, apud *Collat. Brugen.*, t. II, 1897, p. 589 sq.

(4) Cfr C. Callewaert, apud *Collat. Brugen.*, t. VI, 1901. p. 377 sq., coll. t. II, 1897, p. 600. Decr. s. C. Ind. 19 junii 1880, ad 3m, et votum consultoris in causa *Romana*, 14 junii 1880, apud N. R. Theol., XII, p. 526.

3° *Ex parte missæ :*

S. Officium decreto suo 19-20 februarii 1913 statuit : « Ad altaris privilegiati... indulgentiam lucrandam, non amplius in posterum sub pœna nullitatis requiri missam de requie aut de feria vel vigilia cum oratione defuncti propria celebrari, id tamen laudabiliter fieri, cum licet ac debet, pietatis gratia erga defunctum » (1). Unde, ut concludit doct. C. Callewaert (2), ad indulgentiam altaris privilegiati obtinendam, jam non requiritur formula missæ Requiem aut missæ de feria aut vigilia cum oratione pro defuncto, sed neque requiritur ut oratio pro defunctis addatur, etiamsi missa celebretur de feria aut vigilia : additio tamen hujus orationis *laudabiliter* fit in omni missa ritus simplicis, sive sit de sancto, sive de feria aut vigilia.

In fine hæc pauca adhuc nota :

1. Antea decretum erat ut « non recipiantur onera perpetua pro altaribus privilegiatis » (3). Recenter vero s. Pœnitentiaria (sectio de indulgentiis) ad dubium : An recipi queant onera perpetua missarum ad altare privilegiatum celebrandarum ? », respondit : « Recipi possunt, dummodo numerus missarum tam fundatarum quam adventitiarum sit talis ut ei commode satisfieri possit » (4).

2. Sacerdos qui ex intentione fundatoris vel stipendium dantis missam celebrare debet ad altare privilegiatum, satisfacit celebrando ad quodvis altare, si habet indultum *personale* altaris privilegiati (5). Non vero plene satisfacit si sine tali indulto celebrat ad altare non privilegiatum, etiamsi indulgentiam plenariam, quam alio titulo lucrari

---

(1) Cfr *Collat. Brugen.*, t. XVIII, 1913, p. 324, t. XVII, 1912, p. 597.

(2) *Collat. Brugen.*, t. XVIII, p. 325.

(3) Decr. s. C. Ind. 16 nov. 1711, *Decr. auth.*, n. 41, coll. rescripto 14 dec. 1711, *Rescr. auth.*, n. 10.

(4) Decr. 3-6 julii 1917, ad 2m, apud *Collat. Brugen.*, t. XX, 1920, p. 150 sq. Hoc decretum videtur fugisse Beringer, *o. c.*, t. I, p. 539, et Dr A. C. M. S., apud *Nederlandsche katholieke stemmen*, 1925, p. 233.

(5) Decr. s. C. Ind. 15 martii 1852, *Decr. auth.*, n. 351.

possit, offerat pro hoc defuncto (1). « Sed si bona fide admisit errorem quo impeditus est quominus indulgentiam altaris privilegiati lucraretur, non tenetur restituere eleemosynam, sed supplere debet lucrando aliam indulgentiam plenariam pro defuncto cui jam missam applicavit » (2).

3. « Pro missis celebrandis in altari privilegiato nequit, sub obtentu privilegii, major exigi missæ eleemosyna ». Can. 918 § 2.

Esset simonia, ait Beringer (3), si quis aliter ageret, et posset talis incurrere excommunicationem s. Sedi simpliciter reservatam canone 2327 statutam contra « quæstum facientes ex indulgentiis » (4). A. Legrand.

## VI.

### De manipulo.

Q. *Undenam originem ducit* manipulus ? *Ex quanam materia confici et quomodo ornari debet ?*

Q. I. **Origo** (5). *Romæ* primum factus est manipulus insigne liturgicum, cujus prima mentio occurrit apud

---

(1) Cfr decr. s. C. Ind. 2 maii 1852, ad 2m, *Decr. auth.*, n. 357.

(2) Génicot-Salsmans, *o. c.*, t. II, p. 205, n. 233; cfr Beringer-Steinen, *o. c.*, t. I, p. 547, n. 991. Cfr decr. s. C. Ind. 22 febr. 1847, *Decr. auth.*, n. 339; decr. 24 julii 1885, apud *Acta s. Sedis*, t. XVIII, p. 94; S. Alph., L. vi, tr. 3, n. 329, notandum ii.

(3) *O. c.*, t. I, p. 548, n. 992.

(4) In codice ad laudatum canonem citatur decr. s. Cong. de Prop. Fide, 13 aug. 1774, *Collectanea*, n. 507, ubi statuitur sacerdotem, qui majorem eleemosynam recipit intuitu privilegii altaris sive localis sive personalis, ad restitutionem teneri, quinimmo privilegium, si personale sit, in perpetuum amittere, nec hac vice gaudere privilegio locali, quatenus ad altare privilegiatum sacrum faciat. In altero tamen decreto ibidem citato, nimir. s. C. Ind. 19 maii 1761, *Decr. auth.*, n. 228, eadem edicitur prohibitio, sanctio vero privilegii amissi non adjicitur. Quum autem in novo codice hujus pœnæ nulla fiat mentio, ea tanquam abrogata habenda est, juxta can. 6, 5°. Cfr Dr A. C. M. S., apud *Nederlandsche katholieke stemmen*, 1925, p. 223, ubi contrà pœnam adhuc vigere innui videtur.

(5) Cfr J. Braun, S. J., *Die liturgische Gewandung*, Freiburg, 1907, pp. 514-561; Id., *Die liturgischen Paramente in Gegenwart und Ver-*

*Librum Pontificalem* ca. 530, et cui respondisse videtur in vita profana species quædam sudarii, ornamenti et decoris gratia adhibendi.

Ad usus diversos quibus inserviunt hodie ea quæ vulgo nuncupantur « mouchoir, serviette, essuie-main », videntur Romani antiquitatis aut humiliores sæpius adhibuisse sua vestimenta, quæ multo ampliora quam nostra erant. Honestiores tamen, imperii potissimum tempore, secum habere solebant speciale linteum aut pallium, quod vario nomine vocatum ad diversos etiam adhibebatur usus, v. g. ad narium humorem excipiendum aut sudorem extergendum [sudarium], ad os [orarium] manusve [mantile] aut mensam [mappa, mappula] abstergendum, imo ad collum aut caput tegendum (1) ad vulnera ligànda (2), ad res pretiosas manu apprehendendas (3).

Quod ex necessitate inductum ad usus minus nobiles adhibebatur, ex simplici lino contexi et consequenter potius abscondi solebat. Decursu autem temporis cœpit orarium ex materia nobiliori confici et fimbriis aliove ornatu decorari : ita evasit ornamentum potius quam linteum practicum (4) : consequens erat ut illud jam ex vanitate manifeste ostenderetur : gestatum manu (5) vel

---

*gangenheit*, Freiburg, 1924, pp. 127-134; P. Batiffol, *Etudes de liturgie et d'archéol.*, Paris, 1919, p. 54-57; Jos. Wilpert, *Die Gewandung der Christen in den ersten Jahrhundert*, Köln, 1898, p. 55-57; Rohault de Fleury, *La messe*, t. VII.

(1) Pari modo hodie neusdoek = hoofddoek vel halsdoek = *mouchoir* de *cou* ou de *tête*.

(2) S. Aug., *De civit. Dei*, XXII, 8; S. Hieron.

(3) Ita in multis imaginibus antiquis videmus objecta pretiosiora accipi, offerri aut tractari manu non nuda sed linteo cooperta. Unde concludunt quidam hanc fuisse regulam diaconis impositam ut in ministrando, res ad sacrificium pertinentes non tangerent nisi manu cooperta. Et in hoc usu inveniunt originem et rationem manipuli. Sed a/ usus ille nullatenus erat generalis: hoc testantur monumenta et novimus viros recepisse panem consecratnm in manu; b/ in magna parte ministerii altaris vero impedimento fuisset manus tecta ; c/ non explicat ille usus quomodo fuerit manipulus primis temporibus clero *romano* reservatus.

(4) Sicut nostris diebus sunt quæ dicuntur « mouchoirs d'étiquette ». Facta erant res pretiosæ quæ v. g. in amicitiæ tesseram ut munuscula offerebuntur.

(5) Ut repræsentatur uxor præfecti annonæ, apud Daremberg, fig n. 5423.

impositum brachio sinistro (1) vel imo collo appensum. Eo uti solebant consules ad signum dandum ludis publicis inchoandis (2). Ex quibus omnibus intelligitur hujusmodi sudarium factum esse, in fine imperii, complementum necessarium habitus civium honestiorum qui curiam romanam frequentabant (3).

Non mirum ergo hujusmodi sudarium Romæ assumptum fuisse ut insigne honorificum cleri superioris romani, ut constat ex Libro Pontificali ca. 530. Hic enim adscribit s. Silvestro (314-26) statutum de diaconis ut lævam seu sinistram tectam haberent « *pallia linostima* », h. e. pallio ornato cujus sola catena esset linea, subtemen vero (inslag) lanum vel sericum. Postea S. Zosimus (417-18) hoc insigne concessit diaconis ecclesiarum suburbicarum.

Habebatur ut insigne clero *romano* proprium. Et ideo, quando sacerdotes et diaconi Ravennatenses, ad imitationem presbyterorum (4) et diaconorum romanorum adhibuerunt « *mappulam* » — quæ idem est ac præfatum « pallium linostimum » — energice restitit S. Gregorius I, præsertim motus, ut videtur, nota jam ambitione Joannis patriarchæ Ravennatensis (5).

A sæc. IX tam monumenta graphica quam testimonia scripta ostendunt ubique receptam esse mappulam. Hanc Amalarius sæc. IX et Pseudo-Alcuinus sæc. X, aliique *sudarium* vocant ejusque usum describunt « ad tergendum

---

(1) Ita in sepulchro Senobenæ, mulieris Gallo-romanæ, *ibid.*, fig. n. 5424.

(2) Ita solent consules in tabulis eburneis repræsentari, tenentes mappulam in manu dextera elevata ; *ibid.*, fig. n. 4832; J. Braun, *o. c.*

(3) De his omnibus cfr Daremberg et Saglio, *Dict. des antiq. grecques et romaines*, vo *Mantele, Mappa, Orarium.*

(4) Hic jam dicitur gestari a presbyteris. Non inde concludendum insigne diaconis primum reservatum a clero altioris gradus assumptum fuisse. Non solent insignia ita ascendere sed potius descendere. Probabile est mappulam Romæ admissam fuisse a Pontifice, presbyteris necnon diaconis, postea autem etiam concessam subdiaconis, ut fere universim constat ex documentis s. IX. Usus tradendi manipulum subdiaconis in ritu ordinationis cœpit s. X, et factus est generalis s. XIII-XIV. Romæ circa a. 900 mappulam gerebant etiam acolythi.

(5) S. Gregorii Magni, *Epist.* l. III, 54 et 66.

sudorem » (1) aut « quidquid accesserit sordidi » (2). Ex quo constat eam adhuc sæc. IX-X habuisse formam lintei seu panni flexibilis (doek) : unde nomen accepit *fanonis*, quod sæpe adhibetur in Gallia et Germania s. IX-XII. Hunc pannum multis plicis collectum solebant sinistra *manu tenere* ad modum *manipuli:* quo nomine revera vocari cœpit satis sæpe s. X, frequentius deinceps, ita ut a s. XV nomen manipuli fuerit solum adhibitum.

Circa idem tamen tempus (s. IX-XI) manipulus in formam panni mutatus est in *simplicem fasciam*, quæ jam non adhibetur ad tergendum (3) et quam consequenter non jam manu tenent sed *sinistro brachio* imponunt et firmant. Quæ forma substantialiter usque in hodiernum diem permansit.

II. **Materiam** *Liber Pontificalis* indicat *linostimam*, hoc est linum non simplex sed ornatum, alia nempe materia v. g. lanea aut serica intextum. Sæc. autem IX-XIII videtur sæpius confectus manipulus ex lino aut præsertim ex holoserico, interdum auro et gemmis ornato. Exinde jam sæpius conficitur ex eodem panno serico quo casula et cetera indumenta liturgica, qui usus pedetentim evasit universalis. Unde hodie subjacet manipulus iisdem regulis ac decretis quibus determinatur materia casulæ.

III. Ad **formam et ornatum** quod attinet, omni tempore satis sæpe extremitati appositæ sunt *fimbriæ*, quarum loco antiquitus interdum ponebantur tintinnabula vel globuli. Sæc. X-XIII generatim additur aliquod *appendicium* quadratum aut oblongum quod solet latius patere quam ipsa fascia, aut formam vulgo « trapèze » nuncupatam imitatur. Hoc deinde omittitur et s. XIII-XV fit manipulus æqualis latitudinis (0,05-0,08 m.) in tota longitudine (1,00-1,25 m.) usque dum a sæc. præsertim XVII

(1) Pseudo-Alcuinus, *De officiis divinis*, c. 38.

(2) Amalarius, *De eccles. offic.*, III, 19.

(3) « Ad extremum sacerdos fanonem in sinistrum brachium ponit, quem et manipulum veteres et sudarium appellaverunt, per quem *olim* sudor et narium sordes extergebantur ». Honorius Augustodunensis, *Gemma animæ*, l. 1, c. 208.

dilatata sit rursus extremitas et quidem, maxime in Gallia, in eam quam novimus formam palæ (schup, pelle), quæ valde incongrua est et quæ feliciter jam rarius apparet.

Diversis temporibus ornatus est manipulus — sicut stola et fasciæ casulæ — vario opere sive acu picto sive intexto, quo figuræ geometricæ, flores aut figuræ Sanctorum repræsentantur.

Medio ævo in manipulo sat rara erat *crux*, quæ etiam s. XV manet exceptio. Ex hoc autem tempore sæpe depingitur una crux, aut imo tres, ut petit S. Carolus Borromæus. Hunc usum supponunt rubricæ Missalis quæ præscribunt ut sacerdos manipulum assumens, « osculetur crucem in medio ». Cruces in utraque extremitate nullo modo sunt præscriptæ et optime eis substitui potest alius ornatus congruens.

Practice ita conficiantur manipuli novi ut sint longitudinis saltem 0,80-1,00 m., latitudinis 0,06-0,08 m. cum nulla vel parva progressiva dilatatione in parte inferiori, et habeant certe crucem in medio, forte etiam crucem, aut melius aliud ornamentum in extremitate.

C. Callewaert.

# RESPONSA

## ad quæstiones in conferentiis mensis novembris propositas.

—

### I.

### In psalmum LXVIII, vv. 23-29.

Q. *Ejusdem psalmi LXVIII, interpretare versiculos 23-29, et difficultatem, quæ ex diris imprecationibus ibidem occurrentibus contra divinam psalmi inspirationem suscitari potest, examina.*

R. *Interpretatio vv. 23-29* (1).

Specietenus saltem, in hisce vv. habentur dirissimæ imprecationes in adversarios Psalmistæ. — Revera :

V. 23. Ansam sumens ex eo quod in v. 22 dixerat : felle me cibant, aceto me potant, optat ut *mensa eorum* adversariorum, cibi et potus *coram ipsis* appositi, *fiat ipsis in laqueum* : figura desumpta ex eo quod avibus et feris proponuntur cibi ut in laqueum attrahantur, ut sic, quod illis prodesse videbatur, eis fiat in exitium ; nedum ergo cibi eis prosint, contrà noceant sintque illis in perniciem : in mediis voluptatibus eorum et delectationibus inveniant suam perditionem. — Et pergit : sic fiat mensa eorum ipsis *in retributionem* (2), i. e. in mercedem iniquitatis eorum *et in scandalum*, i. e. in lapidem cui impingant et cadant.

---

(1) Vide opera citata in præcedenti art., *Collat. Brugen.*, t. XXV, p. 425.

(2) Hebr. : *Et tranquillis*, dum securi et tranquilli assident mensæ, sit mensa eorum ipsis *in decipulam* (fl. : tot valstrik). — *Et tranquillis* videtur esse corruptio textualis ; textus originalis habuerit aliquid parallelum cum *mensa eorum* in prima parte vers. Vario modo corrigunt auctores, ut puta : sacrificia eorum, — vel : convivia pacifica, etc.

V. 24. *Obscurentur oculi eorum ne videant :* lumine priventur ; — *et dorsum eorum*, sub onere punitionis tuæ, *semper incurva*, seu melius, juxta textum hebr. : *lumbos eorum semper fac vacillare :* vigore corporis priventur.

Possunt hi duo vv. optime intelligi de optatis malis ordinis temporalis et materialis : infirmitate, cæcitate, morte improvisa ; — sed etiam possent, sive in sensu litterali, sive in sensu mystico, audiri de malis ordinis spiritualis ; et certe s. Paulus, in ep. *ad Rom.*, IX, 9 s. eos vv. allegat de cæcitate et resistentia quam Judæi Evangelio et saluti præbuerunt.

Similiter v. 25, formula tam irrestricta optans : *Effunde super eos iram tuam, et furor iræ tuæ* (hebr. : *ardor furoris tui*) *comprehendat eos*, utroque sensu, tum materiali, tum spirituali audiri potest.

V. 26 : *Fiat habitatio eorum deserta* (hebr. : *destructa*), *et in tabernaculis eorum non sit qui inhabitet*, sensu litterali et obvio de destruendis habitationibus materialibus intelligitur; sed iterum ex verbis s. Petri, in oratione ad reliquos Apostolos, *Act. Ap.*, I, 20, apparet sensum saltem mysticum esse posse in ordine spirituali : ea enim verba adhibet de defectione Judæ proditoris a suo munere apostolico (1).

V. 27. *Quoniam...* : hic v. interponit motivum ob quod præcedentes, vel et sequentes imprecationes ferantur. Equidem fatetur psaltes se habere peccata expianda : a Deo percussus est, sane non injuste, sed ob ea peccata de quibus v. 6 dixerat (2). Sed — en quousque adversariorum malitia se protendat! — : *quem tu*, Deus, *percussisti*, illi adhuc *persecuti sunt* ; *et super dolorem vulnerum meorum*, quæ tu, Deus, mihi intulisti, isti, nedum consolationem et juvamen præbeant, contra adhuc alios dolores *addiderunt* : — juxta textum hebr. : *et super dolore eorum*

---

(1) Cfr quoque hunc v., cum prædictione Jesu de rejectione populi judaici, apud *Mt.*, XXIII, 38.

(2) Recole dicta supra, p. 31.

*quos tu confodisti*, isti *enarrant*, læti loquuntur ! — Cogita Judæos cruci Jesu adstantes.

V. 28. *Appone iniquitatem super iniquitatem eorum ;* quod duplici modo intelligi potest, nimirum vel : adde pœnas pœnis, punitionem eorum adauge ; quæ pœnæ intelligi possunt sive de pœnis temporalibus, sive etiam de pœnis spiritualibus ; — vel : adde peccata peccatis eorum ; non quasi Deus poneretur ut causa positiva peccatorum eaque intendens, sed hoc sensu quod Deus, in pœnam præcedentium delictorum peccatoribus, utique non auxilia sufficientia, sed tamen denegaret eas gratias abundantiores quibus revera nova peccata vitarent ; unde revera in pœnam peccatorum præcedentium in nova peccata ruunt (1). — *Et non intrent in justitiam tuam*, i. e. iterum vel : coram tribunali tuo ne ut justi habeantur, seu pœnis a te afficiantur, temporalibus vel spiritualibus : — vel : ad justitiam coram Deo ne perveniant seu in peccatis suis obdurentur.

V. 29. *Deleantur de libro viventium,* i. e. vel : a vivis auferantur, morte puniantur, — vel, sensu spirituali : ne ex morte peccati exsurgant. — *Et cum justis non scribantur*, in catalogo quem Deus conficit justorum, illi non inserantur, i. e. vel : ut peccatores puniantur, materialibus vel spiritualibus pœnis, — vel iterum : in peccatis suis permaneant.

Ex dictis apparet posse quidem mala, quæ in hisce vv. specietenus saltem optantur adversariis, intelligi sive ut mala ordinis materialis et temporalis, sive ut mala ordinis spiritualis. Attamen, tum ex applicatione quam horum vv. faciunt Petrus et Paulus, ll. citt., tum ex sensu obvio saltem vv. 28-29, admittendum videtur eos vv., saltem in sensu mystico, de malis ordinis spiritualis esse intelligenda. — Et quidem diligenter attendenti tum hos singulos vv. tum reliquos vv. psalmi, et perpendenti dictam applicationem a Petro et a Paulo factam, apparebit totam

---

(1) Cfr *Rom.*, 1, 24, 26, 28 ss.

pericopam miro modo quadrare in crimen contra Jesum admissum a Judæis et in punitionem ipsis a Deo inflictam (1).

*Nota*. Melius duximus quæstionem de difficultate contra inspirationem ex hujusmodi imprecationibus desumendam et de variis solutionibus quæ ejusdem dari possunt, ne hîc longiores simus, separata dissertatione in fasciculo quodam proximo *Collat. Brugen.* fusius disputare, sub titulo : *De honestate, consectario inspirationis.*

A. Vander Heeren.

## II.

## De existentia angelorum custodum.

Q. *Expone doctrinam catholicam de existentia angelorum custodum.*

R. — 1/ Revelatione generatim edocemur *existere angelos custodes* hominum, atque hæc veritas continetur *a/* in *Scriptura sacra*, ut puta in textu : « Nonne omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capient salutis ? » (2).

*b/* Constat pariter *traditione orali*, ut jam palam testa-

---

(1) Recolantur dicta supra, pp. 31 ss. — Revera illi iniquitatem suam eousque protenderunt ut indicat v. 27 : Jesum, quem Deus tamquam victimam peccatorum mundi percussit (cfr. v. 6), persecuti sunt, et super dolore vulnerum ejus ipsi læti enarrarunt : vide eos adstantes cruci Christo morituro insultantes. — Ipsis evenerunt mala spiritualia hîc descripta : cæcitas spiritualis vv. 23-24 (cfr *Rom.*, 11, 9 s.) ; v. 26 : sicut Judas, dux eorum, munus suum apostolicum deserere coactus est (cfr *Act. Ap.*, 1, 20), ita, teste ipso Christo, populus judaicus relinqueretur neque, nisi ad finem mundi, Messiam inveniret (cfr *Matth.*, XXIII, 38 s.) ; vv. 28-29 : massa Judæorum peccata peccatis addiderunt et a salute messianica rejecti fuerunt.

(2) *Hebr.*, 1, 14 ; cfr etiam *Ps* CX, 11 : « Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis », quem textum haud pauci ss. Patres docent principaliter quidem de Christo esse intelligendum, at non excludi tamen quod ibidem etiam sermo sit de aliis hominibus ; sic adhibetur ab Ecclesia ad antiphonam primam in officio ss. Angelorum custodum, die 2 octobris.

tur Origenes : » Est etiam illud in ecclesiastica prædicatione, esse angelos Dei quosdam et virtutes bonas, qui ei ministrant ad salutem hominum consummandam » (1); imo « unicuique duo assistunt angeli, alter justitiæ, alter iniquitatis. Si bonæ cogitationes in corde nostro fuerint, et in animo justitia pullularit, haud dubium quin nobis loquatur angelus Domini » (2).

Ita etiam s. Hilarius (3), s. Basilius (4) et s. Gregorius nyssenus : « Sermo quidem est ex paterna traditione fidem habens, qui dicit... Deum non reliquisse miseriam nostram absque patrocinio, sed ab eo angelum aliquem,.... constitutum esse ad auxiliandum uniuscujusque vitæ » (5).

Eamdem doctrinam legere est apud s. Joannem chrysostomum, s. Hieronymum, s. Gregorium magnum et s. Joannem damascenum (6), adeoque hæc veritas de existentia angelorum custodum sic generatim sumpta, *fide divina* certo credi debet.

Insuper tenenda est *fide catholica*, tanquam veritas revelata omnibus fidelibus ut credenda proposita per magisterium ordinarium, seu per prædicationem universalem Ecclesiæ, adeoque tanquam dogma stricte sumptum (7).

2/ Si ponamus problema de angelis custodibus, cum distinctionibus, dicendum :

---

(1) Origenes, *De principiis*, I, Præf., 10 (MPG, V, 16).

(2) *In Lc. hom.* 12 (MPG, XIII, 1829) ; cfr Pastor Hermæ, *Vis.*, III, 4, 1 et *Sim.*, V, 5, 3 (MPG, II, 901 et 957).

(3) S. Hilarius, *Tract. super Ps.* CXXIX, 7 (MPL, IX, 722).

(4) S. Basilius, *Adv. Eunom.*, III, 1 (MPG, XXIX, 656).

(5) S. Gregorius nyss., *De vita Moysis* (MPG, XLIV, 337).

(6) S. Joannes chrys., *In Hebr. hom.* III, 2 (MPG, LXIII, 30) ; s. Hieronymus, *In Mt. comm.*, III, 18, 10 (MPL, XXVI, 130) ; s. Greg. magnus, *Moralia*, II, 3, 3 (MPL, LXXV, 556) ; s. Joannes damasc., *De fide orthod.*, II, 3 (MPG, XCIV, 873).

(7) Cfr *Collat. Brugen.*, XX, p. 10 s. et doctrinam lege *Catech. conc. trid. ad parochos*, P. IV. Orationis dominicæ procemium, n. 4 (ed. Desclée, p. 396).

*a*/ Omnino *certum* est, et juxta quosdam auctores etiam *fidei proximum*, *singulos homines fideles* habere angelum suum tutelarem.

Sic enim legimus α/ apud Scripturam sacram : Immittet angelus Domini in circuitu timentium eum » (1), et « videte ne contemnatis unum ex his pusillis : dico enim vobis, quia angeli eorum in cœlis semper vident faciem Patris mei (2) ; hoc etiam persuasum fuit et judæis et primis christianis, uti ex quibusdam testimoniis tum veteris tum novi testamenti liquido constat (3).

β/ Inter effata ss. Patrum recolantur verba Origenis et s. Basilii : « Unicuique fidelium adjuncti comites sunt » angeli ; vel s. Gregorii nysseni aut s. Hieronymi : « Magna dignitas animarum, ut unaquæque habeat ab ortu nativitatis in custodiam sui angelum delegatum » ; ita etiam Theodoretus : « His itaque docemur singulis angelis uniuscujusque nostrum creditam esse curam, ut custodiant, tueantur et a pravi dæmonis nos liberent insidiis » (4).

*b*/ Propter eadem testimonia, quæ quædam saltem omnes homines etiam infideles respiciunt, dicendum est *infideles pariter non destitui angelo suo custode ;* hæc est itaque sententia *moraliter certa*, quæ hodie etiam est magis communis ; eadem alioquin proponitur pariter in catechismo nostro, in quo legimus *omnem hominem habere angelum suum tutelarem*, qui ipsum ab initio vitæ custodit (5).

---

(1) *Ps.* XXXIII, 8.

(2) *Mt.*, XVIII, 10.

(3) Cfr *Gen.*, XLVIII, 16, ubi referuntur hæc verba Jacob : « Angelus qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis » ; lege *Judith*, XIII, 20 vel *Act.*, *Apost*, XII, 15, ubi fideles, redeunte Petro ad eos, putant angelum ejus esse qui ad eos venit.

(4) THEODORETUS, *Quæst. in s. Script.*, *In Dan.*, X, 13 (MPG, LXXXI, 1496), coll. *In Gen.*, I (MPG, LXXX, 80) ; cetera testimonia vide supra indicata.

(5) Ita etiam generatim loquitur catechismus conc. trid., loco supra citato ; angelum tutelarum inde a nativitate hominem custodire vide

c/ Tandem *probabilis* est sententia, quæ tenet *singulis ecclesiis*, *regnis* aut adhuc insignioribus *cœtibus* præesse angelum specialiter deputatum ad eorum custodiam ; hoc etiam a quibusdam ss. Patribus, testimonia Scripturæ sacræ explicantibus, incunctanter affirmatur (1).

Pie creditur denique *s. Michaelem*, qui populum electum durante vetere testamento specialiter custodivisse videtur (2), nunc peculiari suo patrocinio *tueri Ecclesiam Dei*, quod revera oratione Ecclesiæ commendatur (3).

H. Lamiroy.

## III.

### De modo observandi festa.

Q. *Da notionem* operum servilium, *ab Ecclesia de jure communi diebus feriatis prohibitorum ; simulque speciem moralem seu gravitatem transgressionis in hac materia breviter explica.*

R. Disciplina christiana, quæ legi Judaicæ circa requiem ab operibus servilibus successit, eam notabiliter mitigando, videtur quidem non jure ipso, sed consuetudine fidelium primitus introducta, deinde vero legibus sancita fuisse ecclesiasticis. Quo circa sic habet nunc Codex novi juris canonici : « Festis de præcepto diebus missa audienda est ; et abstinendum ab operibus servilibus, actibus forensibus, itemque, nisi aliud ferant legitimæ consuetudines

---

expositum *Sum. theol.*, I, q. 113, a. 5, c. ; in a. 3, s. Thomas defendit sententiam, quam etiam tenet s. Bonaventura, quæ dicit angelos ex inferioribus ordinibus deputari in custodiam hominum.

(1) Vide testimonia supra relata s. Basilii et Theodoreti ; cfr Lahousse, *De Deo creante et elevante*, n. 450, p. 743 s., Brugis, 1904.

(2) Cfr *Ex.*, xxiii, 20 s. ; xxxiii, 2 ; *Dan.*, x, 13, 21.

(3) Ita censet s. Thomas, *Comm. in lib. IV Sent.*, dist. 43, a. 2, q. 3, ad 2 : « Ministerium illud erit principaliter unius archangeli, scilicet Michaelis, qui est princeps Ecclesiæ, sicut fuit Synagogæ » ; cfr C. Mazzella, *De Deo creante*, n. 447, ad 4, p. 309, Romæ, 18802 et attende orationem præscriptam a Leone XIII recitandam post missam privatam.

aut particularia indulta, publico mercatu, nundinis, aliisque publicis emptionibus et venditionibus » (1). Quæ lex, ad normam canonis 12, nec infideles nec amentes nec pueros ante septennium obligat; sicque est intelligenda ut festivus dies a media nocte ad mediam noctem computandus sit (2).

Porro relicta nunc quæstione de actibus forensibus, fori nempe sive tribunalis sive mercatus, de solis operibus servilibus hodie vetitis agimus in præsenti : quænam sint nimirum, et qua gravitate prohibeantur.

α/ Jamvero *opera servilia*, sic vocata quia antiquitus a servis fieri solebant et etiam nunc ab opificibus et famulis exerceri nata sunt, opponuntur operibus liberalibus, quæ scilicet dominis potius sunt propria, vel saltem ab omnibus indiscriminatim peraguntur (3). Sententia autem inter auctores nunc communis hæc opera, generatim loquendo, servilia ducit quæ 1/ viribus corporis et labore mechanico potissimum perficiuntur, dum liberalia a viribus animæ præcipue procedunt, quamvis corporis exercitatione accessorie indigeant; 2/ simulque immediate ordinantur ad corporis utilitatem, dum alia animum excolendum, instruendum aut excitandum directe spectant (4).

Hæc itaque notio ex natura præsertim et fine *operis* determinat ejus qualitatem: utrum nempe de se servilis, vel contra sit de se liberalis. Inde statim sequitur finem

---

(1) Canon 1248.

(2) Canon 1246.

(3) Modus ille consuetus et magis proprius operandi famulorum, necnon vicissim dominorum, profecto non impedit quin primi quandoque liberalia quædam agere valeant, aut alii quædam servilia. — Porro, inter opera liberalia et servilia, non videntur hic alia quædam per modum tertiæ classis interponenda, nempe opera communia seu mixta; cfr Dignant, *Tractatus de virtute religionis*, n. 287.

(4) Cfr Suarez, *De virtute et statu religionis*, tract. 2, lib. 2, c. 20 n. 5: « Sic ergo ratio operis servilis imprimis postulat, ut sit opus mechanicum et corporale, non solum ex parte instrumenti, sed etiam ex proximo effectu, ad quem natura sua, vel ex vi suæ institutionis ordinatur ».

*operantis*, v. g. intentionem lucri vel vicissim gratiæ præstandæ aut recreationis sive eleemosynæ, ad rem minime pertinere, nec ad naturam operis discernendam directe inservire posse (1). Similiter nec operum *duratio*, nec operantis *defatigatio* per se influunt, cum nec ipsæ naturam operis mutent. Et est illa nunc doctrina communissima probeque tenenda, contra unum aliumve nuper auctorem, qui ad instar quorumdam olim scriptorum, ab intentione lucri distinctionem faciendam esse contendit (2).

Quamquam rejicienda hæc singularis sententia non omni applicatione caret, ut videbimus ; indirecte enim usuvenit, in certis casibus, pro quanto nempe fundat æstimationem communem fidelium. Etenim complura dantur opera quorum propria indoles dubia apparet, ita ut sæpe auctores hæsitent et in varias dividantur sententias. Invenies nimirum opera quædam quæ ad animum quidem excolendum aut excitandum spectant, ut plures lusus corporales, at viribus corporis æque aut imo magis quam animæ exercentur ; alia insuper reperies, ut artem typographicam, quæ majorem mentis quam corporis exercitationem requirunt, et tamen immediate ad excolendum animum tendere non videntur ; alia adhuc, quæ æque corporis et animæ bonum respicere dices; nec tandem desunt opera, de se profecto liberalia, quæ simul laborem corporalem, aliquando valde notabilem, accessorie requirunt.

---

(1) Cfr Suarez, *ib.*, c. 19, n. 6: « Ecclesia nullibi prohibuit operari in die festo propter mercedem, nisi in quantum prohibet ipsum opus; quotiescumque ergo ex vi festi non prohibet opus, non prohibet, nec curat an fiat propter mercedem vel gratis; hoc naturali juri et perfectioni reliquit.... Nam licet alias respectu aliarum virtutum, ex hac conditione, vel intentione, possit bene, vel male, aut minus bene fieri, tamen respectu religionis et festi, non magis violatur, eo quod ex mercede fiat, quam si fiat gratis. Nisi in casu in quo permissio sit per dispensationem sub illa conditione concessam; nam tunc est specialis ratio, quæ potius confirmat sententiam nostram ».

(2) Cfr Dignant, *ib.*, n. 287.

Quæ cum ita sint, ad solutiones practicas aliud quoddam criterium, præter naturam operis, introducendum est: communis nempe æstimatio fidelium et consuetudo proborum, unde sane multa dijudicanda erunt potius quam generalibus theoriis. Sicut enim ad inducendam olim requiei legem, sic postea ad illam decursu temporis explicandam, imo et statuendam multum valuit valetque consuetudo christianorum, modo sane sit rationabilis; ejusque vis in ipso canone 1248 plane agnoscitur. Itaque hæc erit, proborum nempe consuetudo sive etiam communis æstimatio fidelium, quæ in operibus dubiæ indolis actum qua servilem aut liberalem considerabit et sic talem practice efficiet; præterea in operibus quæ natura sua certo servilibus adnumeranda essent, quædam licita reddere poterit: illa nimirum quæ leviter tantum laboriosa sunt, aut valde laboriosa sed accessoria operi liberali vel saltem aliquo modo necessaria factu; alias autem opera prorsus servilia ut agros fodere, metalla fodere etc. censere liberalia, profecto irrationabile esset. Vicissim posset eadem communis æstimatio certa opera, de se liberalia, illicita habere sicque reddere prohibita: ut si in aliquo loco fideles communiter magistrum litteras docentem die dominica de peccato damnarent, in eoque scandalizarentur.

Nunc autem, quando legitima consuetudo aut communis æstimatio fidelium usuvenit, v. g. ad quædam opera dubiæ indolis permittenda aut prohibenda, facile ad illas normas accidentales attendit de quibus supra diximus naturam operis inde per se minime pendere: et sic in applicationibus infra proponendis apparebit quædam de facto ob consuetudinem licita aut illicita esse declaranda, prout nempe gratis fiant aut contra pro pecunia, vel etiam prout parvam vel vicissim notabilem corporis defatigationem requirunt.

De fine tandem prohibitionis operum servilium hæc notentur: « labor servilis seu manualis fuit prohibitus quia præcipue natus est abstrahere multitudinem fidelium

ac præcipue gentem operariam a cultu divino. Opera liberalia non tantum per se minus ab hoc cultu distrahunt sed etiam a paucioribus exercentur, minori etiam apparatu ac publicitate fiunt: ideoque non eadem erat ratio ipsa prohibendi. Addatur Ecclesiam in urgenda requiè festiva non tantum religiosum fidelium bonum respexisse sed etiam sublevationem corporalem ac moralem christianamque dignitatem gentis operariæ » (1).

Jam age, præceptum abstinendi a servilibus operibus *grave esse ex genere suo*, ita scilicet ut parvitatem materiæ simul admittat, sententia est unanimis (2). Agitur sane de operibus vere prohibitis, deficiente etiam causa excusante; et insuper de culpa non subjective sed objective commissa formaliter contra illud præceptum: etenim alias adhuc deflendas sequelas secum trahit labor dominicalis, ut frequens scandalum, neglectus Missæ sicque oblivio punctorum fidei, alienatio a sensu religionis imo et moralitatis etc. (3).

Jamvero, nulla hic præsto est adæquata norma, aut Ecclesiæ determinatio, ad materiam gravem definiendam; ita ut olim de hoc puncto varii auctores varia proposuerint. Septem sententias suo tempore Salmanticenses (4) numerabant, quarum benignissima 8 horas laboris servi-

---

(1) Dignant, *ib.*, et num. sequenti, ubi cuidam objectioni respondet.

(2) Cfr propositionem 52 damnatam ab Innocentio XI: « Præceptum observandi festa non obligat sub mortali, seposito scandalo, si absit contemptus ». — Non agitur hic quæstio utrum alia peccata, die festo commissa, novam malitiam contra virtutem religionis induere possint; de qua Dignant, *ib.*, n. 340. Nec sane omnia peccata dici debent opposita observantiæ festorum, qua opera servilia, imo maxime servilia (cfr *Sum. theol.*, II-II, q. 122, a. 4 ad 3); etenim in sensu tantum metaphorico seu mystico servilia vocantur hoc capite, prohibitio vero Ecclesiæ sensum vocis litteralem profecto sequitur.

(3) « Tristis eheu experientia satis superque demonstrat, in illis regionibus et familiis, in quibus sanctificatio diei dominicæ et festorum parvipenditur, mox fidem evanescere, mores corrumpi, vitam familialem deperire, imo et progressum industrialem impediri ». Prümmer, *Manuale Theol. Mor.*, II, n. 471.

(4) *Cursus Theol. Mor.*, tract. 23, c. 1, n, 319.

lis, severissima autem 1 tantum ad peccatum grave requirebat : quæ profecto ambæ falsæ apparent. Hodie vero plerique theologi, post s. Alphonsum (1), gravem censent hujusmodi laborem ultra 2 horas protractum, v. g. ad 2 horas cum dimidio, in operibus scilicet valde laboriosis; in levioribus autem ad 3 horas aut imo modicum plus. Quodsi aliqualis sed insufficiens necessitas laborandi simul existat, aut sit labor interpolatus, aliquid laxius a nonnullis adhuc conceditur. Coalescunt autem eadem die partes laboris prohibiti, ab operario per intervalla positi ; non vero si operarii plures, domino mandante, per modicum tempus singuli laborent : nam prohibitio non in opus productum, sed in occupationem cadit laborantis (2).

Quod ad communem nunc fidelium æstimationem spectat, quæ hic etiam, modo sit rationabilis, vim principem obtinet : hæc generatim, propter audita tum in concionibus tum in tribunali pænitentiæ, sententiæ theologorum satis consonat ; quodsi in quibusdam locis a doctrina auctorum discrepet, et v. g. severiorem se exhibeat, utique ad instar legis ibidem erit observanda, quamdiu rationabilis manet.

## IV.

Q. *Declara an liceat, diebus dominicis aut de præcepto festivis, et seclusa ratione excusante : iter agere, currus aut naves sive jumenta ducere mercibus onusta, scribere et imprimere, pingere aut sculpere sive artem photographicam exercere ; deinde opera muliebria manualia perficere plus minusve artifisiosa ; insuper piscari et venari, molere, musicam aut lusus corporales exercere ; item ea peragere quæ ad coquendos cibos et ad usum domesticum pertinent : tandem labores quosdam leviores aggredi, ut conficere flores artificiales, rosaria aut scapularia, decerpere rosas, decorticare fructus etc.*

---

(1) *Theol. Mor.*, l. 3, n. 282 et 305.
(2) Cfr Dignant, *ib.*, n. 295.

R. Casus ad solutionem propositi, prout legenti apparet, de his operibus prorsus servilibus seu valde laboriosis silent quæ nec accessorie operam quamdam liberalem comitantur, nec dubiæ indolis esse queunt, nec ab ulla rationabili consuetudine permitti possunt : ut v. g. agros colere, lapides secare, artem sartoris, sutoris, fabri ferrarii aut lignarii exercere et sic porro. Deinde abstrahunt tum ab operibus forensibus, de quibus postea, tum etiam a causis excusantibus, quæ ultimo loco expendentur.

*a*/ Itaque *iter agere* non est opus natura sua servile seu mechanicum, sed potius opus quasi naturale et extra quæstionem ponendum (1) ; et propterea non continetur sub prohibitione juris. Verum quidem est plures actiones indole sua serviles iter sæpe comitari, præsertim si equo, curru vel navi sive via ferrea peragatur ; at, si modicus tantum sit hujusmodi labor, ex ipsa mente legislatoris dicendus est accessorie permitti, ut opus parandi rhedam sive ducendi equum, aut necessarios cibos secum deferendi; si vero gravior sit, jam consuetudine licet labor remigantium et nautarum, necnon inservientium rhedis viæ ferreæ (2).

*b*/ *Ducere jumenta sive vehicula mercibus onusta*, a s. Alphonso (3) cum pluribus pronuntiatur non servile, si nullus aut levis tantum labor in imponendis vel levandis oneribus insuper impendatur; ab aliis contra auctoribus servile dicitur, et rectius quidem, attenta natura operis. Quæ controversia in sensum benignum facile solvitur, sicubi communis æstimatio fidelium aut praxis proborum occupationem hanc permittat; apud nostrates vero per-

---

(1) « Illud opus non est proprie mechanicum, sed quasi naturale, ad corporis vegetationem, et conservationem, et situationem ordinatum, et, ut ita dicam, ad omnes actiones alicubi exercendas ; unde est quasi prævium ad omnes, et non inclusum sub opere, quod in servile vel liberale dividitur ». SUAREZ, *ib.*, c. 27, n. 2.

(2) Utique non omnia quæ licent, expediunt: sic itinera dominicalia. Cfr *Statuta diœcesis Brugensis*, p. 163 et 165.

(3) *Ib.*, n. 276.

mitti non videtur, et proinde non licet. Quod a fortiori valet de ducendis vehiculis aut jumentis hujusmodi simul cum labore notabili; quod profecto servile apparet et licitum esse nequit nisi accedente consuetudine vel necessitate proportionata (1).

*c/ Scribere* licet, etiam ob lucrum et ope machinæ, quia non est servile sed liberale, in quo mens præcipue agit et finis operis etiam liberalis est. Idem dic de opere transcribendi (2), libros corrigendi, computus faciendi aut notas musicas annotandi. Quapropter etiam licebunt parva illa servilia quæ ad hæc necessario accedunt: ut v. g. lineas ducere (3).

*Imprimere* vero, scilicet prelum versare etc., servile est et censetur. Litteras autem collocare, ut faciunt typographi, a quibusdam liberale reputatur, saltem probabiliter (4), quia præter magnam attentionem mentis hic requisitam, ad conceptus exprimendos videtur opus ordinatum, ad instar transcriptionis. Sed, præterquam quod comparatio claudicat (5), communis certe fidelium

---

(1) Sic intervenire poterit utilitas publica, damnum vitandum, necessitas pergendi in itinere antea incepto; quæ rationes sane pro tota littera *b/* valent.

(2) « Si quis enim cum intelligentia scribit, suos conceptus exprimendo, audita sive lecta notando etc., opus certo liberale est; si sine intelligentia, saltem ex fine scriptionis communique hominum sensu ad liberalia reducitur ». DIGNANT, *ib.*, n. 290.

(3) Non tamen liceret in solis lineis ducendis occupari.

(4) Cfr s. ALPHONSUM, *ib.*, n. 279 et 282; LEHMKUHL, *Theol. Mor.*, I, n. 549.

(5) « Illa ordinatio characterum non est ex se conceptuum expressio aut expressionis conceptuum transcriptio; sed est fabricatio quædam instrumenti mechanici, quod inservire debet ad mechanicum opus. Dum enim typographi characteres componunt, fabricant, quas vocitant, formas quibus deinde utuntur ad cudendas seu imprimendas litteras; non autem ad conceptus exprimendos; quod patet ex eo quod characteres inverso ordine et situ apponuntur, ut scil. non ad lectionem aut sensus manifestandos ordinati appareant, sed potius ita dispositi, ut sint congruum instrumentum ad litteras cudendas ». BALLERINI-PALMIERI, *Opus Mor.*, I, n, 732. — Hoc verum manet si ope machinæ caracteres collocentur, etiam recto ordine, ut nunc quandoque fit; nam et hoc modo nil aliud fabricatur nisi forma seu instrumentum ad imprimendum.

æstimatio apud nos laborem hujusmodi servilem ducit, et sic illicitum reddit.

*d/ Pingere* per modum artis, liberale potius dicendum est quam servile, quia mente magis quam corpore exercetur, et animum excolendum spectat. Consonat autem nostratum existimatio; et sic etiam licet, in miscendis et applicandis coloribus, modicus labor corporalis accessorie adjunctus; labor vero notabilis in terendis coloribus aut tabulis doliandis nec de se nec consuetudine permittitur. Ex alia parte, pingere modo potius mechanico quam artificiali, ut v. g. parietes dealbare, profecto servile est; quoad illa vero quæ medium quasi tenent inter mechanicam et artificiosam picturam, puta quoad decorativam artem, videndum erit quid in diversis regionibus communis æstimatio sive consuetudo proborum admittat. Porro apud nos sensus fidelium videtur hic ab apparatu mercenario abhorrere; ita ut « verum scandalum oriretur, si quis pictor lucri causa arte sua decorativa ornaret e. g. muros alicujus ecclesiæ diebus de præcepto » (1).

*Delineare* modo artificioso, liberale dicendum est, ad modum picturæ artis. ; quodsi modo fiat mechanico (décalquer), ex communi saltem sensu ad liberalia reduci videtur. Similiter artem photographicam exercere, probabiliter liberale dici potest natura sua, utpote mentis attentionem magis quam corporis laborem requirens, simulque aliquo modo animum excolendum spectans; consuetudine autem pariter in multis locis toleratur, modo quis a notabili labore materiali abstineat.

*Sculpere* vero a plerisque antiquioribus servile habetur, contra modernos communius, quibus ea saltem licet exsequi quæ ad artem et ad finem liberalem operis hic pertinent, et modicum laborem corporalem cum magna attentione mentis præ se ferunt : ut statuas perficere. Concorditer utique cum usu hodierno.

*e/ De operibus autem manualibus mulierum* (tricot, cro-

---

(1) Prümmer, *ib.*, n. 490.

chet, broderie, dentelle etc.) ; dicendum quæstionem theoretice a modo conficiendi pendere, utrum ista necne artificiose fiant, ita ut mens præcipuas partes obtineat et finis operis aliquo modo liberalis existat ; practice vero praxim fidelium dubia removere remque dirimere. Sic de se mechanicum sane et servile apparet illud quod dicitur tricoter et crocheter ; et tamen alterum istud in certis Germaniæ partibus usu licere perhibetur. Contra, illud quod vocatur broderie d'art, ut si mulier imagines acu pingat seu in tela retrahat, de se liberale probabiliter dices, et tamen contrario sensu fidelium in pluribus locis prohibebitur, non secus ac dentelle artistique.

*f) Piscari, venari aut aucupari* de se servile videtur (1) ; sed pro sensu et consuetudine fidelium in variis regionibus ad certam licet mensuram : ut puta quædam piscatio in mari vel in fluminibus, v. g. non cum magna defatigatione peracta nec magnis retibus exercita. Quæ restrictio iterum vim ostendit æstimationis communis et praxis proborum in tota nostra materia; aliter enim parva aut magna corporis defatigatio naturam alicujus occupationis non mutat.

*g) Molere*, ait Genicot, « seclusa consuetudine contraria, non reputatur servile, quando mola agitur aqua, vento, vapore, scilicet si cooperatio hominis est valde modica... Idem proinde valet de similibus machinis » (2). Attamen, cum ipsa natura operis per se attendenda sit, minime vero gradus defatigationis in operando, verius dicitur

---

(1) « Mihi ergo videtur venationem, ut sic et per se spectatam, opus servile esse. Primo, quia venatoria ars inter mechanicas computatur, ut ex Dialectica constat. Secundo, quia est opus corporale, laboriosum, sistens omnino in materia et effectu corporali ; unde quodammodo est commune homini cum bestiis, nam illæ etiam venationi insistunt. Solum addit homo artem et industriam, ac varia instrumenta venationum ; et utitur etiam his animalibus brutis ad venandum aptis, ut eis in eo opere juvetur : tota vero hæc industria in materia, et corpore sistit, et ideo non transcendit actionem servilem ». SUAREZ, *ib.*, c. 28, n. 3.

2) *Theol. Mor.*, I, n. 334.

hujusmodi labor natura sua servilis; licitus tamen, ubi consuetudo illum permittit: quod utique citius permittet ubi modicus tantum hominis labor vento sive machinæ adjungendus sit, aut si ratio cujusdam necessitatis existat, de qua infra.

*h) Instrumenta pulsare musica et lusus corporales exercere*, consuetudine certe licet; de se vero liberale potius quam servile dicendum videtur: « quia quædam ordinantur solum ad animi oblectamentum, ut cantus, et musica de se excitat mentem, et ita est actus sermocinationis tali modo factus, vel instrumentis ornatus, et adjutus, quæ omnia liberalia sunt. Alia vero, quæ magis corporalia videntur, solum consistunt in quadam agitatione et motione corporis ad ejus levamen, et ut cooperetur exultationi et gaudio animi, et ita etiam pertinent ad liberalem actionem » (1).

*i*) Ea nunc peragere quæ *ad præparandos debitos cibos aut ad usum domesticum* necessario pertinent, quamvis de se servilia sint opera, sub prohibitione tamen non cadunt, ex ipsa mente legislatoris. Quam licentiam ipsa consuetudo satis adauxit, ita ut et cibos extraordinarios, etiam arduo labore liceat die festo præparare, non tamen in sequentes dies reservandos, nisi simul ratio quædam excusans accedat. Pariter inde licet officium coqui diebus illis exercere, simulque permittuntur « quædam in ordine ad mensam, quæ in rigore alio die fieri possent, melius tamen ipso die festo peraguntur, puta carpere certos fructus, lavare catina etc. Tertio permittuntur quæ pertinent ad nitorem domus, (quæ scil. non commode alio tempore fiunt, aut quæ quotidie fieri solent), vel hominis (ut radere barbam, purgare vestes, tingere calceos etc.); quod iterum satis ampliavit consuetudo, in aliquali necessitate fundata: ex qua jam licet barbitonsoribus

(1) Suarez, *ib.*, c. 27, n. 5. Nota tamen ludos hujusmodi, si minus qua serviles, saltem qua periculosos aut excessivos sæpe prohiberi, insuperque fideles ab ecclesia infeliciter retrahere.

et capillorum concinnatoribus suam operam præstare cunctis petentibus » (1).

*j)* Tandem, quod attinet ad *labores quosdam leviores :* nempe conficiendi flores artificiales et alia hujusmodi, decerpendi rosas. colligendi sive decorticandi poma etc., non est dubium apud auctores quin hæc omnia natura sua servilia sint; quamvis per modum recreationis forsan, aut intentione pietatis aut absque multa defatigatione perficiantur. Sed iterum dictæ circumstantiæ variis in locis efficere queunt ut communis æstimatio sive proborum praxis plura hujusmodi permittat ; quid tamen cujusque loci consuetudo ferat, quisque proprio in loco viderit (2).

E. Hosten.

## V.

## De Kerk van Belgie onder het hollandsch bewind.

### VIII. Antikerkelijke schoolpolitiek van Willem I.

V. *Verhaal (vooral met betrek op het kerkelijk onderwijs) de schoolpolitiek door Willem I gevolgd tot aan de beruchte koninklijke besluiten van 14 juni 1825.*

A. Met het overlijden van Mgr de Broglie (1821) was een zekere ontspanning gekomen in de alles behalve vriendelijke verhoudingen, die, na de uitvaardiging van de grondwet, tusschen koning Willem en diens katho-

---

(1) Dignant, *ib.*, n. 289.

(2) Ita, secundum *Theol. Mor. gen. Mechl.*, n. 84, q. 15 : « non sunt inquietandæ personæ quæ ad pietatem fovendam die festo post officia conficerent rosaria, scapularia, imagines, flores artificiales et alia hujusmodi, pauperibus, vel ecclesiæ pauperi distribuenda ; imo nec statim improbandi, qui ea conficerent honestæ solum recreationis causa, puta ut otium vitarent et amicis vel cognatis ea dono darent, aut etiam in proprium usum sibi servarent. Sic enim habet *communis hominum æstimatio*, quæ modum servandi legem optime interpretatur, quin et legitime statuit ». — Verumtamen, hæc non valent nisi in locis in quibus revera talis æstimatio communis aut proborum consuetudo existit ; non vero in regionibus ubi contrarius est sensus fidelium.

lieke onderdanen waren ontstaan (1). De regeering, zonder het te willen bekennen, was overgekomen in de moeilijkheden betreffende den eed ; de H. Stoel, van zijnen kant, had toegegeven in de mate der mogelijkheid, en hoopte thans vast door een concordaat een voldoende en bestendige kerkelijke regeling te verkrijgen. Deze hoop echter, zooals we in een volgende verhandeling zullen zien, zal zoo licht niet verwezentlijkt worden ; de strijd immers was nog niet uitgestreden en nog immer koesterde koning Willem de hoop de nederlandsche katholieke Kerk onder zijnen dwang en zooveel mogelijk van Rome afgescheiden te houden (2). Nochtans daar hij bij ondervinding wist dat zijn cœsaropapistische maatregelen met geweld niet konden doorgedreven worden, besloot hij langs eenen omweg, geleidelijk, tot zijn doel te komen, en, naar het voorbeeld van het naburig Pruisen (3), door een door hem te regelen onderwijs den zoo-

---

(1) Zie *Collat. Brug.*, XXV, (1925), bl. 449.

(2) Een nederlandsche Kerk te stichten, in den zin der gallicaansche, bijna of volkomen onafhankelijk van Rome maakte sedert geruimen tijd het lievelingsdenkbeeld der regeering uit. Het ging zoo ver dat minister van Maanen op last des konings een « ontwerp van besluit of *pragmatieke* over de organisatie van het R. K. Kerkgenootschap in de Nederlanden » opstelde, dat alle band met Rome verbrak. Een hooggeplaatst protestantsch ambtenaar overtuigde den koning van het groot gevaar dat door de poging tot zulk een schisma zou ontstaan. Het organisatie plan bleef dan ook liggen in het archief, en werd nu eerst door P. Albers openbaar gemaakt, in zijn *Herstel* ... t. I. bl. 87 vv. en Bijlage IV, bl. 487.

(3) Een treurige toestand heerschte destijds in de duitsche Kerk : door de « verlichting » der valsche philosophie en het anti-romeinsche streven der voornaamste bisschoppen waren de katholieken over het algemeen van den josephistischen geest doordrongen. Daarbij waren door de secularisatie van Napoleon tal van bisdommen onder protestantsche vorsten gekomen. Geen wonder dat zich van lieverlede alle uitingen van cœsaropapisme krachtig hadden ontwikkeld : de Kerk stond er volledig onder voogdij. Vooral met het onderwijs stond het erbarmelijk gesteld. De vroeger katholieke universiteiten waren staatsscholen geworden ; bij enkele was een faculteit voor katholieke theologie gevoegd, waarop de bisschoppen volstrekt geen invloed hadden. Zie Albers, *Kerkgeschiedenis* II, bl. 549 vv. Terlinden, *o. c.*, p. 355.

genaamden ultramontaanschen geest bij de geestelijkheid en de geloovigen uit te roeien. Bedrogen zal hij echter in zijne verwachtingen uitkomen : tegenover zijn antikerkelijke schoolpolitiek zullen de katholieken, zoowel in noord als in zuid, eensgezind optreden en ten langen laatste zegevieren.

Reeds van in het begin zijner regeering had de koning zich van het onderwijs willen meester maken ; doch hij zag in dat het onvoorzichtig zou geweest zijn daarmede aan te vangen, daar de katholieke belgen, na de uitdrijving der franschen, weerom in volle vrijheid hun onderwijs hadden ingericht ; zelfs achtte hij zich verplicht, ten einde de openbare meening te winnen, de vrijheid van onderwijs te erkennen, namelijk door een decreet van 2 aug. 1815, waarbij aan allen die bekwaam waren om onderwijs te geven, toelating gegeven werd om een school te openen (1). Doch de grondwet die enkele dagen later afgekondigd werd (26 aug. 1815) scheen de erkende vrijheid te willen inkorten ; art. 226 immers besliste dat « het openbaar onderwijs het voortdurend voorwerp zou zijn van de zorg der regeering », en de koning alle jaren in de kamers een verslag zou doen uitbrengen over den toestand der lagere, middelbare en hoogere scholen.

Wat ook het inzicht moge geweest zijn der Constituanten (2), de onduidelijke bewoording van dit artikel boezemde de bisschoppen een niet ongegronde vrees in voor de inmenging van den staat in de bisschoppelijke onderwijsgestichten. Deze vrees drukten zij uit in hun

---

(1) Zie bij Deschrevel, *Histoire du petit séminaire de Roulers*, Roulers 1906, p. 263 ss., een volledige uiteenzetting der schoolpolitiek van Willem I.

(2) Volgens de meening der constituanten moest onder « openbaar onderwijs » worden verstaan het onderwijs dat op staatskosten wordt gegeven. Hun inzicht was dus geenzins aan den koning een wetgevende macht toe te kennen, om gelijk welk onderwijs in te richten en te regelen, en in alle geval niet om het vrij onderwijs te knevelen of af te schaffen. De Gerlache, *Hist. du royaume des Pays-Bas*, 2e ed. 1842, t. III. p. 47.

« Jugement doctrinal » (einde aug. 1815) en deelden zij mede te Rome (1). Doch de koning gaf geen gehoor aan de wenschen der bisschoppen en weldra bleek dat het wel zijn inzicht was niet alleen het onderwijs op staatskosten gegeven, maar alle onderwijs te regelen en in zijn handen samen te trekken.

Op 27 sept. reeds verscheen een koninklijk besluit over de inrichting van het hooger onderwijs in de zuidelijke provinciën, waarin de koning zijn inzicht te kennen gaf in het zuiden het onderwijsstelsel toe te passen der noorderlijke provinciën. Welnu het onderwijs in het noorden was zoo goed als een staatsmonopolium, naar het stelsel van de vroegere « keizerlijke universiteit » in Frankrijk, dat in onze gewesten zooveel moeilijkheden had teweeg gebracht (2). Geen wonder dus dat de ontworpene regeling argwaan verwekte. Mgr de Broglie bekommerd met het lot zijner colleges, zond een vertoogschrift naar den koning, doch het bleef zonder uitwerksel (3). Op 27 sept. 1816, verscheen een nieuw koninklijk besluit, betrekkelijk het openbaar onderwijs in de gemeentecolleges, de athenea en de drie staatshoogescholen te Leuven, Gent en Luik, en waarin ook de seminariën worden vermeld: de seminariën, zoo luidde het, blijven voorloopig bestaan, in afwachting dat een faculteit voor roomsch-katholieke theologie zal worden opgericht. Dit maal was het duidelijk: 't was wel de inmenging van den staat in het kerkelijk onderwijs.

De hoofden der bisdommen stuurden dan ook den koning op 22 maart 1817 hun « Représentations respectueuses », ten einde hem te herinneren aan zijne vroegere beloften : de vrijheid van den katholieken godsdienst te handhaven en te verzekeren (4). Niets mocht baten : in

---

(1) Terlinden, *o. c.*, p. 356.
(2) Zie bij Deschrevel, *o. c.*, p. 157 ss.
(3) *Ibid.*, p. 266.
(4) Zie dit merkwaardig stuk in *Recueil des Mandements...* p. 341.

zijn antwoord gaf de koning te kennen dat hij wel te vinden was voor het behoud der groot-seminariën, doch niet van zoogenaamde « klein-seminariën » (1). Van dan af stond het vast dat de kleine seminariën ter dood waren verwezen ; het vonnis echter zal slechts later geveld worden. Wel liet de koning hoe langer hoe meer blijken dat de betrekkelijk bloei der bisschoppelijke colleges hem een ergernis was (2) en moesten ook reeds enkele gestichten zijn wrevel ondervinden (3) ; wel werd door een decreet van 8 juli 1818 de ontslaging van den legerdienst geweigerd aan de leerlingen van kleine seminariën (4) ; doch tot algemeene afschaffing durfde de regeering nog niet overgaan, daar de koning juist in dezen tijd uitzag naar eene overeenkomst met Rome, en daarom wenschte den H. Stoel niet te misdoen (5).

Intusschen nochtans trof de regeering ook maatregelen op het lager onderwijs : ook de lagere scholen wilde zij volledig beheerschen ; officieele schoolopzieners werden aangesteld en door ministerieel besluit van 20 mei 1821 werd beslist dat geen openbare of bijzondere lagere scholen mochten bestaan zonder een bijzondere toelating, door de gemeente of het provinciaal bestuur te geven, na overleg met de door regeering aangestelde schoolopzieners. Op 23 juli 1822 werden straffen voorzien tegen alwie zonder oorlof eene lagere school openhield, en op 1 februari 1824 werd deze maatregel toegepast op de

---

(1) « Que vous ayez messeigneurs, zoo schreef de koning, dans vos diocèses des séminaires n'est que juste et raisonable ; mais que ces séminaires se repeuplent d'élèves tirés d'autres séminaires subalternes, nommés des *petits séminaires*, que des jeunes gens, des enfans, soient destinés, formés ou préparés au moins, à l'Eglise avant de pouvoir juger quelle est ni quelle sera leur vocation, voilà ce qui ne paraît pas pouvoir s'allier avec les principes d'un bon gouvernement..... » Zie bij TERLINDEN, *o. c.*, p. 358.

(2) ALBERS t. a. pl. bl. 109.

(3) Namelijk Gent en Sint-Niklaais. *Ibid.* en DESCHREVEL, *o. c.*, p. 270.

(4) TERLINDEN, *o. c.*, p. 363. DESCHREVEL, *o. c.*, p. 270 in de voetnota.

(5) Zie bij TERLINDEN, *o. c.* p. 269 de voorbereiding tot onderhandelingen met Rome sedert 1817 en ontwerp door Goubeau opgemaakt.

religieuse vereenigingen, die zich met onderwijs bezig hielden; zelfs mochten zij geen leden meer aanvaarden, die niet het bekwaamheidsdiploma verkregen hadden (1).

Zoo was de regeering volledig meester geworden van het hooger en lager onderwijs, alleen het vrij middelbaar onderwijs bleef voorloopig nog geduld, om reden der hangende besprekingen met Rome. Op aanvraag immers van Willem I was in nov. 1823 een pauzelijke gezant, Mgr Nasalli, naar Den Haag gekomen, om een concordaat te sluiten; doch tegenover den onwil der nederlandsche volmachthebbenden was Mgr Nasalli onmachtig: de besprekingen duurden tot in 1824, maar bleven zonder gevolg, onder ander om reden der ontoegeeflijkheid der nederlandsche regeering op het stuk van het kerkelijk onderwijs. Mgr Nasalli had opdracht gekregen bijzonder aan te dringen op de vrijheid van onderwijs (2) en daarom had hij, tegenover het sedert lang bereid ontwerp van den koning, een artikel voorgesteld dat aan de groote en kleine seminariën een wettelijk bestaan zou geven. Het werd echter door de koninklijk gevolmachtigden beslist afgewezen; ze wilden alleen van seminariën hooren zonder meer en gaven te verstaan dat de regeering juist in dezen tijd ijverig bezig was met een « zeer voordeelige » regeling van het onderwijs voor de jongelingen die zich tot de kerkelijke studiën voorbereid-

---

(1) TERLINDEN, *o. c.*, p. 359 ss. Aldus werden in de stad Luik alleen negen onderwijsgestichten van de Broeders der christene scholen, gesloten.

(2) Zie bij TERLINDEN, *o. c.*, p. 298 de ontleding der *Instruzoni per Mgr Nasalli* door Card. Consalvi. De Cardinaal oordeelt dat de belgen terecht ongerust zijn betreffende de vrijheid van het christelijk onderwijs: in de drie hoogescholen wordt de Kerk opentlijk bevochten door goddelooze professors; het decreet van 25 sept. 1816 bedreigt zelf het bestaan der seminariën. Mgr Nasalli zal aandringen opdat de Hoogeschool van Leuven op den ouden voet worde heropgericht en hij zal, als hij daarin niet gelukt, volstrekt eischen dat de theologie in de bisschoppelijke seminariën alleen onderwezen worde en dat de regeering de kleine seminariën erkenne.

den (1). Een onderzoek was inderdaad, in den loop van het jaar 1823, ingesteld geweest door de ministers van onderwijs en eerediensten (2), waaruit deze laatsten het besluit trokken dat de leerlingen der bisschoppelijke leergestichten in « grove onwetentheid » verkeerden. Om daarin te verhelpen stelden zij voor: de kleine seminariën af te schaffen en een algemeen philosophisch college in te richten (3).

Het ontwerp lag sinds lang gereed, doch er werd nog gewacht tot dat, in mei 1825, de diplomatieke onderhandelingen voor goed afgebroken waren (4). Reeds op 14 juni verschijnen de twee noodlottige besluiten (5), die zoogezegd een beter onderwijs aan de R. K. geestelijken moesten verschaffen, maar, naar het inzicht der regeering vooral een einde moesten stellen aan den « slechten geest » die onder de geestelijkheid heerschte (6).

---

(1) De nederlandsche gevolmachtigden durfden zelf bijvoegen : « On doit même d'autant plus applaudir à ces sages mesures que projette le gouvernement, que les petits séminaires, qu'on désirerait tant conserver, sont aujourd'hui pour la plupart, des écoles où on n'apprend rien et d'où les jeunes gens sortent aussi ignorants et stupides qu'ils y entrent » !! Zie DESCHREVEL, *o. c.*, ss.

(2) ALBERS, *t. a. pl.* bl. 106

(3) P. ALBERS (*t. a. pl.* bl. 107) steunend op de getuigenissen van den hollandschen aartspriester Cramer en van Mgr Capaccini, die het concordaat van 1827 zal tot stand brengen, is van gevoelen dat het onderwijs in de bisschoppelijke leergestichten wel wat te wenschen over liet; « geen wonder: in druk en vervolging kan wel de christelijke deugd, moeilijk echter de wetenschap bloeien ». TERLINDEN, (*o. c.*, p. 273) doet hier terecht opmerken dat Mgr Capaccini, te veel onder den invloed stond der regeering en al te zeer veralgemeende; de geschiedenis heeft het genoeg bewezen: « n'est ce pas pendant la période de 1814 à 1830 que se formèrent les dignes prêtres qui occupèrent, avec un si grand prestige, nos sièges episcopaux vers le milieu du XIXe siècle ? N'est ce pas aussi au cours de cette période que se formèrent les maîtres qui, dès son origine, donnèrent un si vif éclat à la faculté de théologie de Louvain, restaurée en 1835 ? » Zie ook DESCHREVEL, *o. c.*, p. 248.

(4) De bijzonderste bewerkers van dit ontwerp waren Goubeau en de referendaris van Ghert. TERLINDEN, *o. c.*, p. 314-317.

(5) Zie deze twee decreten bij TERLINDEN, *o. c.*, p. 364 ss., DESCHREVEL, *o. c.*, p. 278 ss.

(6) Niet de protestantiseering van ons land, zooals wel eens gezeid

Het eerste bepaalt, dat alle latijnsche scholen en colleges, die in strijd met de wet bestaan, einde september zullen gesloten worden, de kleine seminariën zullen vervangen worden door convicten, op te richten in tien steden bij daar bestaande athenea ; de seminaristen zullen alleen de lessen op het atheneum volgen. Het tweede beveelt voorloopig de oprichting van het *collegium philosophicum* voor de jonge lieden uit alle bisdommen, die zich wijden aan den geestelijken staat. De regent, de subregenten en drie hoogleeraren zullen door den koning benoemd worden op advies van den aartsbisschop van Mechelen. Op 11 juli werd het *collegium philosophicum* verplichtend gemaakt door een nieuw besluit, « dat voortaan geene nieuwe kweekelingen meer in de bisschoppelijke seminariën zullen worden aangenomen, dan die de voorbereidende studiën in voornoemd collegium philosophicum zullen hebben volbracht ». En eindelijk, om geen enkelen uitweg meer over te laten, werden door koninklijk besluit van 14 aug., de jonge lieden, die buiten het land hunne humaniora zouden doen, gewaarschuwd, dat zij nimmer in het land eenige, kerkelijke of wereldlijke, bediening zouden kunnen waarnemen.

Met het groot verlof werden de bisschoppelijke colleges onder toezicht der regeering het een na het ander gesloten. Het collegium philosophicum werd te Leuven ingehuldigd op 17 oct. 1825 ; maar zal, zooals we in de volgende verhandeling zullen verhalen, tegenover de opspraak en het lijdelijk verzet der katholieken niet lang stand houden.

R. Deschepper.

---

wordt, had de regeering op het oog, maar wel de uitvoering van verdraagzame, verlichte, gallicaansche beginselen. Het volledig program der regeering was « geletterde en verlichte geestelijken te vormen met eene sterk antiromeinsche richting. De romeinsche leer, die buiten Italie de ultramontaansche wordt genoemd moest bestreden met alle beschikbare wapenen ». Aldus Albers, *t. a. pl.* bl. 108, naar de getuigenis van den lateren nuntius Capaccini.

## VI.

### De portione parœciali.

Q. *Inspecto jure tum communi tum particulari, determina 1°/ ex quibusnam emolumentis desumenda sit portio parœcialis, 2°/ quænam sit ejus quantitas ?*

R. I. De quibus emolumentis portio debetur.

1. *Jure Decretalium* quarta solvenda erat de *omnibus* emolumentis, quæ intuitu funeris ecclesiæ tumulanti obvenerant; adeoque non tantum de omnibus emolumentis parochi, cleri et fabricæ, inclusis etiam oblationibus ad altare receptis, quæ occasione funeris ibidem factæ erant, sed etiam de bonis quæ ipsi per ultimam defuncti voluntatem relinquebantur. A *consuetudine* temperatum fuerat hoc jus commune scriptum, ita ut ante codicem portio funeralis tantummodo solvenda esset de taxa, oblationibus, candelis et intortitiis, quæ occasione sepulturæ, alienæ ecclesiæ obvenerant (1).

2. Hodie sub *jure communi codicis* statuitur regula practica: « *detrahi debet portio parœcialis ex omnibus et solis emolumentis quæ statuta sunt pro funere et tumulatione in taxa diœcesana* » (2) licet aliqua ecclesia taxam infra diœcesanam exegerit.

Jamvero taxa diœcesana indicat complexum retributionum funeralium quæ ecclesiæ funeranti et tumulanti obveniunt, juxta determinationem ab episcopo factam vel approbatam, attentis legitimis consuetudinibus et personarum locorumque adjunctis (3). Comprehendit autem stipendia parocho, clero et officialibus solvenda;

---

(1) Cfr c. 10, x. *De sepulturis*, III, 28. — De Meester, *Compendium juris canonici*, Ed. nova ad norman codicis, t. III, p. 122.

(2) Can. 1237, § 2.

(3) Can. 1234, § 1.

itemque determinat quæ pro cereis (1), panno, velis et similibus, parocho vel fabricæ sunt pendenda.

De *jure communi* ergo detrahenda est portio ex omnibus illis quæ in taxa statuta sunt tum pro *funere*, tum pro *tumulatione*, i. e. pro omnibus exsequiarum cœremoniis. Ideoque de jure solvenda esset quarta etiam ob solam tumulationem in aliena ecclesia, celebratis prius exsequiis in propria. At consuetudine, *uti apud nos est*, hæc obligatio tolli potest (2).

Ex altera parte nihil, ratione quartæ, deduci potest ex *spontanee* relictis fabricæ pro constructione vel restauratione ecclesiæ, pro ornamentis, luminaribus et, in genere, pro cultu divino; nihil desumendum est de *stricte dicta* intentione missæ, quæ integra manere debet (i. e. stipendium pro missa cantata tali hora debitum); nec ex stipendiis, etiam extraordinariis, missarum infra exsequias celebratarum; nihil ex oblatis vel solutis pro missis die tertio, septimo vel anniversario (3).

Optimo tamen jure codex addit ad vitandam jurium parœcialium defraudationem, quæ fieri posset ex eo quod in ecclesia non propria, legitime funeranti, fiant ipso tumulationis die *minora* tantum *officia publica*, ex quibus solis detrahitur portio, dum postea in eadem ecclesia celebratur solemne officium funebre: « *Si quacumque de causa primum solemne officium funebre non statim, sed intra mensem completum a die tumulationis fiat licet hoc die non defuerint minora publica officia, portio tamen parœcialis ex hujus etiam funeris emolumentis debetur* » (4).

---

(1) Quoad cereos tamen, quos manu deferunt clerici, sodales confraternitatum vel alli associantes ad funus invitati, illi ad singulos gestantes pertinent nec eorum debetur taxa, cfr Ferraris, *Prompta bibliotheca canonica*, v° quarta, n. 20; Many, *De locis sacris*, p. 328; *Collat. Namurc.*, t. XI, p. 283; Matthæus a Corronata, *De locis et temporibus sacris*, n. 250; De Meester, *o. c.*, p. 123.

(2) Cfr De Meester, *o. c.*, p. 124.

(3) *Collat. Gandav.*, t. X, p. 93.

(4) Can. 1237, § 2.

Ad hujus textus rectam intelligentiam, adverte *a*/ Cum codex non determinat quænam officia *solemnia*, quænam *minora* dicenda sint, hoc eruendum videtur ex comparatione officiorum ad invicem, attentis horum circumstantiis horæ, cœremoniarum, etc. (1). Officium solemne certe non habetur si v. g. in die depositionis cadaver sub vesperas sepeliatur, *dans la plus stricte intimité*, ut dicitur, aut etiam mane sine ulla solemnitate (2).

*b*/ Dicitur: *ex quacumque causa*, ideoque etiam propter verum impedimentum forsan existens in die tumulationis.

*c*/ Requiritur ut hoc solemne officium celebretur intra mensem completum a die depositionis in tumulo, non a die obitus (3). Mensis ille computandus est juxta can. 33, § 3, 3°, ita ut dies depositionis non computetur et tempus finiatur expleto ultimo die ejusdem numeri mensis sequentis.

---

(1) Cfr *Collat. Brugen.*, t. XXV, p. 236 ; *Collat. Gandav.*, *l. c.*, p. 93.

(2) Cfr Matthæus a Coronata, *o. c.*, p. 258. Proinde minus recta videntur ea quæ quidam auctores cum Matthæus a Coronata, *o. c.*, p. 260, ex Stylo Curiæ arguentes contendunt. Dicunt nempe : vel *quemcnmque* missam exsequialem, die tumulationis celebratam, officium solemne *semper* constituere ; vel missam exsequialem de jure vigenti requiri ad solemnitatem officii funebris et *consequenter* portionem parœcialem solvendam esse casu quo in aliena ecclesia, infra mensem a die depositionis, celebratur missa exsequalis, dum in ecclesia propria non celebratur nisi officium funebre sine missa. Responsa enim SS. CC. allata non omnia in idem conveniunt, et clare ostendunt decisiones datas fuisse « attentis peculiaribus circumstantiis in casu occurrentibus ».

(3) Hic notare juvat responsum a Com. ad interpretandum codicem datum die 24 nov. 1920. Quæsitum fuit nempe : 1° utrum officium funebre quod non intra mensem a die tumulationis celebratur, sed intra mensem a die notitiæ obitus alicujus qui in regione longe dissita decessit (v. g. in America), haberi debeat officium sollemne de quo in can. 1237, quoad effectum § 2 illius canonis ; 2° An Ordinarius, ad vitandos abusus eorum qui ultra mensem protrahunt officium funebre eo animo ut parochus emolumenta non percipiat, possit statuere quod officium a parentibus celebratum pro defuncto publice et cum cantu, habeatur uti officium sollemne, quoad omnes suos effectus ». Responsum est : recurrendum esse ad S. C. Consilii, *A. A. S.* t. XII, p. 576.

3. De *jure autem particulari* in Conc. Mechliniensi IV statuto portio parœcialis detrahi debet ex omnibus emolumentis, quæ juxta taxam diœcesanam, *fabricæ* et *parocho* ecclesiæ *funerantis* vel *tumulantis* soluta sunt, non exceptis emolumentis e cera et oblatione obvenientibus, deductis tamen expensis necnon parte ceræ combusta (1).

Circa quod nota : *a*) hoc statuto nullam comprehendi compensationem seu portionem in favorem vicariorum, sacristæ aliorumve officialium. Omnia proinde quæ pro illis in taxa determinata sunt sine diminutione solvenda sunt officialibus ecclesiæ funerantis.

*b*) portio etiam desumenda est de *oblatione*. Jamvero, attento can. 1237, § 1, et deficiente *expressa* contraria dispositione in Conc. Mechl. sub nomine *oblatio* intelligenda est, ut videtur, non oblatio incerta ex astantium libera generositate pendens, sed oblatio quæ forsan in taxa diœcesana per modum fixæ redemptionis, loco oblationis incertæ, determinatur. At, jure consuetudinario *in nostra diœcesi* certe vigenti, portio etiam desumenda est ex oblationibus incertis quæ *ad altare* fiunt (2).

*c*) Expensæ quæ deduci possunt, intelliguntur de salario opificum, de pretio locationis utensilium, etc.

*d*) Quod spectat emolumenta parocho debita ex quibus detrahenda est portio, computantur jura stolæ, non autem stipendium Missæ stricte dictum i. e. stipendium pro missa cantata tali hora debitum, quod integrum remanere debet.

*e*) Consuetudine apud nos vigenti obligatio detrahendi portionem ab emolumentis fabricæ et parocho ecclesiæ simpliciter tumulantis debitis, ut supra monuimus, ablata est (3).

---

(1) *Conc. Mechl.*, *decr.* n. 216, 8°.
(2) Cfr De Meester, *o. c.*, p. 124.
(3) *Ibid.*, p. 123.

**II. Quantitas portionis.**

1. Sub *jure decretalium* præstanda erat *media*, *tertia*, aut *quarta* pars, juxta particularium locorum consuetudinem ; et si de *consuetudine* contraria non constabat, *quarta* solvenda erat, et ideo vocari solebat *quarta funeralis* (1).

2. Hodie *jure communi codicis* statuitur : « *quantitas* portionis parœcialis determinatur in taxa diœcesana ; et si ecclesia parœcialis et ecclesia funerans ad diversas diœceses pertineant, quantitas portionis parœcialis attenditur secundum taxam ecclesiæ funerantis » (2).

Ideoque confirmatur competentia juris particularis, at codex vult ut, quod olim consuetudine fieri poterat, scripto jure determinetur.

3. Jamvero *jure particulari* in tota provincia Mechliniensi quantitas portionis est *medietas* omnium emolumentorum, quæ juxta taxam dioecesanam fabricæ et parocho ecclesiæ funerantis vel tumulantis obveniunt (3).

Hæc pars dividenda est juxta indicem, inter parochum et fabricam. Si autem ecclesia funerans ad aliam provinciam spectans (ut apud nos fieri potest v. g pro diœcesi Insulensi vel Bredana) ad partem omnium emolumentorum tenetur, tunc partitio a parocho aliter est facienda, nempe inter se, fabricam, vicarios aliosque administratores ecclesiæ (4).

J. Brys.

---

(1) Cfr Reiffenstuel, *Jus canonicum universum*, in h. t., n. 47.
(2) Can. 1237, § 8.
(3) *Conc. Mechl.*, *decr.* n. 216, 8°.
(4) Cfr De Meester, *o. c.*, p. 125.

# De jubilæo anni 1926.

## I. — DE EJUS NATURA, EXTENSIONE ET DURATIONE.

In vigilia Nativitatis Domini, 24 decembris 1925, Pius Pp. XI usitato solemnissimo ritu annum sacrum Romæ conclusit. Centena millia peregrinorum ex quovis societatis ordine et ex omni orbis regione ad Urbem confluxerunt, ad jubilæi veniam ibidem lucrandam. Ingentem propriæ salutis fructum ipsi quidem inde acceperunt, simul vero universo mundo mirabile fidei, pietatis ac conjunctionis cum s. Sede spectaculum præbuerunt. Multi etiam, jam anno elapso, extra Urbem eamdem indulgentiam lucrari potuerunt, ii nimirum omnes stabiliter impediti in bullis romanis designati, uti tomo superiore fuse exposuimus (1).

Bulla *Servatoris Jesu Christi*, 25 decembris 1925, s. Pontifex, juxta morem institutumque prædecessorum suorum, jubilæum anni sancti extendit ad universum orbem.

1/ — Natura. — Præsens jubilæum discrepat quidem in quibusdam a jubilæo ordinario seu anni sancti: ita deficientibus iisdem motivis, hoc anno non suspenduntur reliquæ indulgentiæ nec restringitur usus facultatum, uti anno præterito. Non tamen habendum est tamquam jubilæum extraordinarium, sed *potius naturam induit jubilæi ordinarii* (2): facultates fere eædem omnibus jubilæi confessariis tribuuntur quales Pœnitentiariis in Urbe durante anno sancto indultæ fuerunt; opera injuncta

(1) *Collat. Brugen.*, t. XXV (1925), p. 68 ss. et aliis locis indicatis in tabula ad verbum *Jubilæum*. Quæ ibi de jubilæo scripsimus, hic nota supponimus. De ultimo jubilæo extensionis, anni 1901, cfr *Collat. Brugen.*, t. VI (1901), p. 260 ss., 312 ss., et locis in indice citatis.

(2) Cfr *Collat. Brugen.*, t. VI, p. 260.

ad jubilæum lucrandum similia sunt iis quæ Romæ anno elapso præstanda erant, confessio, nim. communio, visitationes ecclesiarum ac preces ad mentem s. Pontificis, dum contrà in jubilæo extraordinario præterea præscribi solent eleemosyna et jejunium aut saltem alterutrum (1).

2/ — Extensio. — « Amplissimus veniæ thesaurus », seu jubilæum, « universitati fidelium ubique terrarum » patet, seu largitur omnibus utriusque sexus christifidelihus ubique terrarum *extra Urbem hujusque suburbium*, existentibus, etiamsi durante anno sacro jubilæum jam lucrati sint: unde extra Romam ejusque suburbium possunt omnes hoc anno jubilæum lucrari etiam ii qui id Romæ aut domi obtinuerunt durante ipso anno sancto, idque possunt non tantum in propria parœcia, sed in quocumque loco, dummodo observent præscriptiones Ordinarii hujus loci.

3/ — Duratio. — Ut autem omnes christifideles commodius possint favore tam insigni frui, tempus jubilæi extensionis, quod non ultra semestre spatium produci solebat, ad integrum nunc annum prorogatur, ob cleri utriusque penuriam, quod tempus *incepit* a primis vesperis festi Circumcisionis Domini, seu a meridie 31 decembris 1925, et *finietur* die 31 decembris 1926, media nocte: intra hoc spatium temporis omnia opera præscripta persolvi debent.

## II. — DE INDULGENTIÆ JUBILÆI ACQUISITIONE.

Anno 1901 jubilæum extensionis semel tantum et quidem non pro animabus purgatorii obtineri poterat (2). In bulla autem indictionis præsentis jubilæi explicite conceditur ut quisque plenissimam peccatorum indulgentiam ac remissionem bis adipisci queat et quidem primum aut sibi aut animabus purgatorii, secundo vero in defunctorum tantum suffragium.

---

(1) *Collat. Brugen.*, t. XVIII. p. 401 ss.
(2) Cfr *Collat. Brugen.*, t. VI, p. 263.

Opera ad lucrandum jubilæum præscripta.

Sicut pro jubilæo anni sancti quatuor sunt opera præscripta : confessio communio, visitationes ecclesiarum et preces ad mentem s. Pontificis, quæ, ut jam diximus, intra hunc annum 1926 sunt peragenda. Nullus tamen ordo inter hæc opera est de necessitate impositus.

Suppositis iis quæ anno superiore de his operibus scripsimus, hasce breves explicationes addere sufficiet (1).

1/ — **Confessio et s. Communio.**

Confessio facta ex intentione lucrandi jubilæum requiritur etiam ab iis qui nullius peccati mortalis conscientiam habent: non vero requiritur absolutio. Confessio annua obligatoria et communio paschalis non possunt suffragari ad jubilæum lucrandum. In uno tantum casu, nimirum quando gravis morbus a confitendo vel a communicando prohibeat, potest quis ab obligatione confessionis aut communionis exsolvi per loci Ordinarium aut per ejus delegatos: ii autem delegati iidem sunt quibus episcopus noster facit potestatem commutandi visitationes præscriptas, scilicet parochi et confessarii jubilæi, qui hanc quoque facultatem dispensandi *extra confessionem* exercere valent.

2/ — **Visitationes ecclesiarum.**

In jubilæo extensionis anni 1901, sexaginta visitationes institui debebant, distribuendæ in 15 dies: in præsenti vero *viginti* tantum visitationes præscribuntur, ita nimirum ut per 5 *dies* sive continuos sive interpolatos quatuor singula die visitationes instituantur.

In sequentibus pauca notamus *de ecclesiis visitandis et ipsis visitationibus;* deinde indicamus quasdam *dispositiones speciales;* tandem de *visitationibus collectivis* agimus.

A. De ecclesiis visitandis et ipsis visitationibus.

Ecclesiæ visitandæ quædam ab ipso s. Pontifice desig-

(1) *Collat. Brugen.*, t. XXV, p. 80 ss.

nantur, nimirum in civitate episcopali ecclesia cathedralis, in ceteris locis (1) ecclesia principalis. Reliqua autem ecclesiæ et oratoria publica loci visitanda ab Ordinario sive per se sive per alios designanda sunt.

Pro nostra diœcesi, in epistola circulari Ill^mi^, distincte designantur ecclesiæ et oratoria visitanda in civitatibus et communitate enumeratis, et ubi *quatuor* non inveniuntur, aperte declaratur quænam sint bis visitanda. In reliquis locis, sive paræciis, sive præposituris, sive conglomerationibus ubi *una* tantum extat ecclesia, hæc *quater de die* visitanda designatur.

Visitatio ecclesiæ pia ac *devota* sit oportet, idest facta animo Deum colendi, quem quidem animum ipsa exterior reverentia aliquo modo patefaciat. Ecclesia autem clausa aut aditu ad eam quavis de causa impedito, satis erit ad ejusdem fores vel gradus Deum exorare. Quando visitationes ad eamdem ecclesiam multiplicandæ sunt, oportet egredi seu discedere ab ecclesia atque ad eam de novo ingredi vel accedere (2).

Singulæ quaternæ visitationes faciendæ sunt *intra spatium unius diei* sive naturalis, id est a media nocte ad mediam noctem, sive ecclesiastici, id est a meridie ad mediam noctem diei sequentis (3). Completa igitur una serie visitationum, licet a meridie ejusdem diei incipere et absolvere alteram seriem, ita tamen ut tertia series non fiat ante meridiem diei sequentis : unde quinque series visitationum intra spatium quatuor dierum naturalium absolvi possunt.

Visitationes factæ cum intentione lucrandi jubilæum debent esse *supererogatoriæ* adeoque distinctæ a visita-

---

(1) Hæc vox « locus », non significat paræciam, nec communitatem civilem, sed accipienda est sensu suo indeterminato quem ordinario habet, ita ut possit complecti etiam plures communitates, aut contra, ubi in una communitate civili vel duæ paræciæ extant vel una paræcia et una præpositura, utraque censeri possit locus diversus. Cfr *Collat. Brugen.*, t. VI, p. 265; *Nouv. Rev. Théolog.*, 1926, p. 135.

(2) Cfr *Collat. Brugen.*, t. XXV, p. 156.

(3) Cfr Can. 923.

tione ex præcepto obligatoria: unde missa dominicalis ad effectum jubilæum lucrandi suffragari non potest. Si quis tamen paulo ante missam dominicalem ad ecclesiam accederet, aut etiam, ut videtur, peracta missa per aliquod tempus in ecclesia maneret intentione lucrandi jubilæi, is satisfaceret conditioni visitationis præscriptæ (1). In altero tamen casu tutius erit ut exeat de ecclesia et statim postea visitationem jubilæi instituat.

B/ Dispositiones peculiares circa visitationes.

1°. Qui per annum fere semper *navigant* vel *iter faciunt* (2) possunt, quando ad certam stationem devenerint, ibidem jubilæum *semel* lucrari dummodo, ceteris parendo conditionibus, confessionis nimirum, communionis et precum, præcipuam loci ecclesiam intra spatium unius diei quinquies visitent.

2°. Personæ *impeditæ* infra memoratæ possunt ab Ordinario loci ejusve delegatis ad hoc facultate munitis diminutionem, separationem aut commutationem visitationum obtinere.

*a/ Personæ impeditæ in ipsa bulla pontificia enumerantur* (3) :

Moniales, sorores religiosæ, tertiariæ regulares, piæ feminæ et puellæ aliæve personæ in gynæceis seu conservatoriis degentes (4).

---

(1) *Nouv. Rev. Théol.*, 1926, p. 136.

(2) « Ce privilège vaut p. ex. pour les officiers et matelots de la marine marchande ou de guerre, les voyageurs de commerce, les bateliers, les forains etc. Il ne s'appliquerait pas à ceux qui feraient *un voyage* de cinq ou six semaines ou même de trois ou quatre mois ». *N. R. Th.*, *ibid.*, p. 137.

(3) Sunt eædem personæ quibus, anno superiore, utpote stabiliter impeditis privilegium concessum est ut extra Urbem jubilæum lucrari possent. Cfr *Collat. Brugen.*, t. XXIV, p. 432 ss., et t. XXV, p. 78.

(4) « Dans cette catégorie rentrent... les pensionnaires et les demi-pensionnaires, mais non les externes des établissements tenus par des religieuses ou même par des institutrices laïques; les institutrices logées dans ces mêmes maisons, les servantes dans les maisons religieuses... Les hommes [sont] exclus, p. ex. l'Aumônier » *N. R. Th.*, 1926, p. 138.

Anachoretæ ut trappistæ, camaldulenses, carthusiani.

Captivi in carceribus et ecclesiastici vel religiosi in cœnobiis aliisve domibus emendationis gratia detenti.

Qui aut domi aut in nosocomio morbo aut imbecilli valetudine laborant et quotquot ægrotis adsunt.

Operarii qui labore manuali victum comparant, et quidem omnes indiscriminatim (1).

Senes qui septuagesimum ætatis annum compleverunt.

Tandem generatim omnes qui certo seu determinato impedimento prohibentur quominus statutas visitationes obeant.

*b/ Quinam possunt visitationes imminuere, separare aut commutare in favorem illorum impeditorum ?*

« Ordinarii locorum aut per se aut per vicarios foraneos, per prælatos regulares quod ad eorum subditos, per parochos vel confessarios in diœcesi adprobatos, quibus hujusmodi fecerint potestatem — vel habitualiter et extra confessionem exercendam ».

In diœcesi brugensi Ill^mus^ dedit hanc facultatem omnibus parochis et confessariis, et quidem etiam extrasacramentaliter exercendem (2).

*c/ Quid comportat hæc facultas circa visitationes ?*

Delegati Ordinarii statim memorati possunt :

α/ Numerum visitationum reducere pro rerum et personarum necessitate.

β/ Separare visitationes, seu concedere ut non debeant quatuor eadem die institui, sed ut possint pro lubitu peragi nulla habita ratione conditionis præscriptæ ut scilicet una die fiant.

γ/ Imo, si impedimentum existens id postulet, dispensando commutare visitationes in alia opera bona, nimirum in opera religionis (v. g. assistere missæ), pietatis, (v. g.

---

(1) Cfr *Collat. Brugen.*, t. XXV, p. 253 sq.

(2) Confessarii hac facultate uti possunt in favorem omnium in quos jurisdictionem habent. Hanc facultatem parochi et confessarii non possent erga collectivitatem exercere, sed tantum erga individuos, ut videtur.

recitare quasdam preces), caritatis, (v. g. dare eleemosynam, visitare pauperes aut infirmos), ad singulorum conditionem accommodata, quæ tamen aliunde non sunt obligatoria.

C/ Visitationes collectivæ.

Ordinarii possunt per se vel per delegatos suos minorem visitationum numerum præstituere pro quibusdam qui collective cum quadam solemnitate, ad quam tamen nec vexilla nec insignia requiruntur, eas visitationes peragunt.

In nostra diœcesi concessum est ut his fidelibus statim enumerandis sufficiat ad lucrandum indulgentiam jubilæi ut bis, at diebus naturalibus distinctis, quatuor visitationes instituant, dummodo hæ *processionaliter* aut saltem collective et cum quadam solemnitate fiant : in via cantabunt aut orabunt, in ecclesia cantabunt v. g. *Adoro Te* aut *Magnificat*, ac omnes simul preces præscriptas ad mentem s. Pontificis alta voce recitabunt. Attendendum est ut singulæ visitationes processionaliter (sensu lato) fiant seu ut fideles processionaliter ingrediantur et egrediantur : unde ubi quatuor sunt ecclesiæ, fideles conveniant v. g. in ecclesia principali, quam tunc ultimo loco post visitationem trium aliarum visitabunt. Ubi vero una tantum datur ecclesia, in ea fideles conveniant, et deinde exeant ad instituendam primam visitationem, procedendo v. g. circa ecclesiam vel et cœmeterium.

*Fideles quibus hic favor conceditur sunt:*

1° Conlegia (groupements) sive clericorum sive religiosorum ab auctoritate ecclesiastica approbata.

2° Confraternitates, piæ uniones et omnes laicorum consociationes quarum scopus est catholica opera provehere, v. g. conferentiæ a s. Vincentio a Paulo.

3° Adolescentes qui in collegiis vivunt aut ea institutionis educationisque causa frequentant (1) (pensionnaires, demi-pensionnaires, externes).

---

(1) Sub hoc nomine *adolescentes* veniunt etiam puellæ: unde alumnæ externæ domorum institutionis, quæ non veniunt inter personas impe-

4° Omnes fideles qui duce parocho vel sacerdote quem parochus delegaverit, visitationes peragunt.

Ut videtur, non requiritur ut fideles sub ductu proprii parochi visitationes instituant, sed possunt sese jungere alii cuidam processioni quæ duce aliquo parocho aut ejus delegato ad ecclesias tendit (1).

Ubicumque autem quavis de causa ita incedendi per vias publicas copia non est, licet Ordinario loci aut ejus delegatis permittere ut processio fiat *intra ecclesiam* aut saltem ut visitatio fiat solemniter et communiter sine processione ab omnibus ibi congregatis.

3/ — **Preces ad mentem s. Pontificis.**

Eadem est *mens* s. Pontificis quam in indicendo jubilæum anni sancti aperuit, idest *pro evangelicæ fidei propagatione, pro populorum pace et concordia, pro congruenti ordinatione Terræ Sanctæ:* sufficit tamen ut fideles *implicite* et generatim ad mentem Romani Pontificis orent (2).

Nec quantitas precum in bulla determinatur nec ut simul cum visitationibus fiant et iterentur præscribitur. Practice tamen commendandum est ut in singulis visitationibus *quinquies Pater, quinquies Ave et quinquies Gloria Patri* aut æquivalentes preces recitentur.

Ut autem jubilæum plenum fructum ferat, commendat s. Pontifex, ac post ipsum Ill^mus episcopus noster, ut in omnibus parœciis fideles ad illam gratiam *præparentur per prædicationes et sacras exercitationes* v. g. per missionem aut renovationem missionis.

Utinam in nostra patria ac in universo orbe uberrimos fructus conversionis, renovationis vitæ christianæ ac animorum reconciliationis circa hierarchiam ecclesiasticam operetur jubilæum extensionis hujus anni! A. LEGRAND.

---

ditas supra enumeratas, possunt etiam collectivas instituere visitationes uti supra. Adverte etiam quod ii tantum possunt cum recitatis consociationibus visitationes collectivas instituere qui de facto ad eas pertinent.

(1) Olim expresse exigebatur præsentia proprii parochi. Cfr *Collat. Brugen.*, t. VI, p. 319; *N. R. Th.*, 1926, p. 141.

(2) Cfr *Collat. Brugen.*, t. XXV, p. 80.

## III. — DE FACULTATIBUS CONFESSARII JUBILÆI.

Quod spectat facultates vi constitutionis « *Servatoris Jesu Christi* » confessariis concessas in favorem pænitentium qui confitentur in ordine ad jubilæum hoc anno lucrandum, hæc nota :

Decretum I.

1/ Facultates absolvendi, dispensandi vel commutandi a Sede Apostolica concessæ et per elapsum jubilæi annum suspensæ, inde a festo Nativitatis Domini rursus exerceri queunt.

2/ His facultatibus, necnon iis quæ præsenti constitutione tribuuntur, uti possunt confessarii *cumulative*, servatis quæ jure præscribuntur ; et quidem *pluries* respectu ejusdem pænitentis, si rursus his facultatibus indigeat antequam impleverit omnia opera quæ ad lucrandum jubilæum præscribuntur, puta, quia in censuram de qua in confessione jubilæi absolutus est, interim reincidit. Quid si, postquam omnia opera præscripta adimpleverit, reincidat in eamdem censuram et in ordine ad jubilæum secunda vice lucrandum confiteatur? Anno elapso, vi constitutionis « *Si unquam* » confessarius facultatibus suis erga hujusmodi pænitentem iterum uti nequibat. Quamvis eadem restrictio non occurrat in præsenti documento, nondum tamen auderemus benigniorem sententiam sequi (1).

3/ Si pænitens post suam confessionem, sincere in ordine ad lucrandum jubilæum institutam, negligat cetera opera præscripta adimplere et jubilæum non lucretur, valent tamen absolutio, commutatio vel dispensatio in hac confessione datæ.

Decretum II.

Religiosæ possunt in ordine ad lucrandum jubilæum confessionem instituere apud quemcumque confessarium ab Ordinario loci pro mulieribus approbatum.

---

(1) Cfr tamen *Nouv. Rev. théol.*, 1926, p. 143.

Decretum III.

1/ Confessarius jubilæi absolvere potest a quovis peccato et, in foro tamen sacramentali, a censura quæ potest esse etiam publica, inflicta a jure vel ab homine, reservata sive ab Ordinario sibimet, sive a jure idque Ordinario aut Apostolicæ Sedi, et in hoc ultimo casu speciali quoque modo.

Ut pænitens, a *publica* censura absolutus, in actibus fori externi tanquam absolutum se gerere possit, scandalum removeatur oportet. Præterea, superioribus fori externi probare debet se esse absolutum, si id requirant. Ratio est quia absolutio in foro *conscientiæ* impertita est. Caveat autem confessarius ne quemquam publica censura irretitum in foro conscientiæ Deo reconciliet, nisi is paratus sit intra sex menses Ecclesiæ satisfacere et scandalum damnumque reparare.

2/ Quod spectat censuras S. Sedi *specialissimo modo* reservatas, non valet absolvere species consecratas abjicientes, aut violentas manus in romanum pontificem injicientes, aut confessarios sigillum directe violantes. Potest autem absolvere (1) directe, et sine onere recurrendi ad S. Sedem, a crimine absolutionis complicis non plus *semel* aut *bis per totam anteactam vitam* attentatæ, sed pænitenti præcipiat (2): a/ ut complicem, si forte ad confitendum redierit, moneat de invaliditate absolutionis a se inpertitæ in confessionibus in quibus peccatum complicitatis, nondum directe remissum, clavibus subjectum est; adeoque moneat quoque de necessitate has

---

(1) Formula absolutionis censuræ est formula *ritualis romani*, quæ solet a confessario adhiberi ante absolutionem sacramentalem a peccatis, inserta mentione censuræ et auctoritatis apostolicæ, in hunc modum :

«D. N. J. C. te absolvat, et ego, auctoritate Ipsius ac auctoritate Sedis Apostolicæ mihi occasione jubilæi delegata, te absolvo ab omni vinculo excommunicationis — in specie ab excommunicatione quam ob absolutionem complicis incurristi — suspensionis et interdicti, in quantum possum et tu indiges. Deinde ego.... etc. ».

(2) Ad liceitatem, non autem ad valorem.

confessiones apud alium iterandi; b/ ut abstineat se in posterum ab audienda hujus complicis confessione, in quantum sine scandalo vel infamiæ periculo fieri poterit.

Decretum IV.

Confessarius ne in foro quidem interno, nisi casus urgentior obtineat de quo in can. 2254, eos absolvat, qui, aut in censuram aliquam incurrerint a Pio X constitutione « *Vacante Sede Apostolica* » (1) Romano Pontifici reservatam, aut violaverint secretum s. Officii impositum iis qui in negotiis hujus congregationis quovis titulo implicantur; itemque prælatos cleri sæcularis ordinaria jurisdictione in foro externo præditos superioresque majores religionis exemptæ, qui in censuram Romano Pontifici speciali modo reservatam publice inciderint.

Decretum V.

1/ Hæretici, præsertim qui hæresim publice docuerint, ne absolvantur, nisi, abjurata saltem coram ipso confessario hæresi, scandalum reparaverint.

2/ Quicumque sectis massonicis aliisque similibus notorie adscripti sunt, non possunt absolvi, nisi, præmissa coram confessario abjuratione, a secta se separaverint et scandalo finem fecerint.

Clericos et religiosos nomen dantes sectæ massonicæ aliisque similibus associationibus denuntiare debent s. Congregationi s. Officii (can. 2336 § 2).

Decretum VI.

Qui bona vel jura ecclesiastica sine venia acquisiverint, iis ne impertiatur absolutio, nisi Ecclesiæ satisfecerint (recurrendo v. g. pro hoc negotio ad Ordinarium loci) vel saltem sincere promiserint se quamprimum satisfacturos.

Decretum VII.

Qui falsam sollicitationis denuntiationem admiserit, ne absolvatur a peccato isto S. Sedi reservato et a censura eidem S. Sedi speciali modo reservata (can. 894, 2363),

(1) Vide documentum I in codice juris canonici.

nisi denuntiationem formaliter coram Ordinario loci retractaverit, aut saltem ad eam quamprimum retractandam atque ad damna reparanda serio paratum se præbeat.

Decretum VIII.

1/ Confessarius in ipsa tantum jubilæi confessione, adeoque dum pænitens est adhuc in confessionali, justa de causa, omnia vota *privata*, quantumvis S. Sedi reservata (1) vel jurata, dispensando commutare potest in opera minora pietatis, charitatis, pænitentiæ etc.

2/ Quod spectat vota *publica*, i. e. in religione emissa, si quis jam obtinuit dispensationem a votis obedientiæ et paupertatis in professione religiosa emissis, non autem a voto castitatis perfectæ et perpetuæ, ita ut ad sæculum regressus hoc votum hucusque servare debuerit, potest confessarius hanc quoque obligationem dispensando in aliam commutare.

3/ Non valet confessarius dispensare ab obligatione cælibatus, in ordinatione subdiaconatus suscepta.

4/ Si votum aliquod in favorem tertii fuit emissum ab eoque acceptatum, hujus tertii liber et explicitus consensus requiritur ut confessario votum commutare liceat.

5/ Votum non peccandi aliave pœnalia vota a peccato præservantia commutari debent in opus, quod, non minus quam ipsum votum, a peccando refrenet.

Decretum IX.

Idem confessarius dispensare potest, pro foro interno tantum atque ad hoc unice ut pænitens ordines *jam susceptos* sine infamiæ vel scandali periculo exerceat, a quavis irregularitate ex *delicto* (can. 985) *prorsus occulto*, non excepta ea quæ provenit ex homicidio voluntario et abortu, sed debet in his duobus casibus pænitenti onus imponere, sub pœna reincidentiæ, recurrendi intra mensem ad s Pænitentiariam.

---

(1) Vota privata Sedi Apostolicæ reservata sunt tantummodo votum perfectæ ac perpetuæ castitatis et votum ingrediendi in religionem votorum sollemnium, quæ emissa fuerint absolute et post completum decimum octavum ætatis annum. Cfr *Collat. Brugen.*, XXV., p. 53-60.

Decretum X.

1/ Similiter, in solo foro conscientiæ et sacramentali, dispensare potest confessarius ab impedimento *prorsus* occulto (1) consanguinitatis illegitimæ lineæ collateralis, excepto solo primo gradu æquali ; attamen solummodo ad matrimonium convalidandum, minime vero ad matrimonium contrahendum vel in radice sanandum.

In convalidando matrimonio non satis est dispensare in impedimento consanguinitatis, sed ulterius oportet ut consensus renovetur : quam renovationem ad valorem necessariam esse enuntiat can. 1133, etiamsi initio utraque pars consensum præstiterit nec postea revocaverit. Renovatio autem consensus debet esse novus voluntatis actus in matrimonium quod constet ab initio nullum fuisse (can. 1134); adeoque qui renovat consensum, debet conscius esse vel fieri nullitatis matrimonii antea contracti. Quia agitur in præsenti de impedimento occulto, sufficit ut consensus renovetur privatim et secreto, et si nullitas matrimonii utrique parti notum est, ab utraque parte renovetur consensus, secus vero a parte nullitatis conscia (can. 1135).

2/ Dispensare potest confessarius, in foro sacramentali, ab occulto criminis (2) impedimento – neutro tamen machinante, i. e. ex adulterio et promissione vel attentatione matrimonii – imposita pænitentia gravi et diuturna, qua v. g. præcipiatur ut pænitens per duos menses quotidie recitet ter Pater et Ave, et semel actus fidei, spei, charitatis et contritionis.

Dispensare potest non tantum in matrimonio contracto, quo casu consensus privatim renovari debet, uti modo explicavimus, sed etiam in matrimonio contrahendo.

V. Coucke.

---

(1) Prorsus occultum est impedimentum quod a compartibus tantum, vel ad summum a tertia quoque persona cognoscatur.

(2) Cfr *Collat. Brugen.*, XXV, p. 145-149; 233-235.

# Notæ Bibliographicæ

**Roelants, A.** (S. J.) *Het Boek Isaïas* (Oud Testament, Deel V, nr 1), Brugge, Beyaert, 1924. — Gr. in 8, 180 bl.

**Beelen, Jo. Th** (Mgr) *De Handelingen der Apostelen* aangeteekend door **A. Vander Heeren** (Nieuw Testament, Deel II. nr 1). Brugge, Beyaert, 1925.—Gr. in 8, 142 bl.

Overbekend is aan onze lezers de *z. g.* uitgave van Beelen's Oud en Nieuw Testament, die in zes (Oud Testament) en drie (Nieuw Testament) deelen verscheen in 1891 en volgende jaren. Van Mgr Beelen was de vroeger reeds verschenen vertaling en commentaar van geheel het Nieuw en van eenige boeken van het Oud Testament; de overige boeken van het Oud Testament werden vertaald en uitgelegd door EE. PP. Corluy, S. J. en Haeghebaert, O. P. en *ZZ.* EE. HH. Coornaert, Dignant en Van de Putte. Wij hebben gemeend goed te doen met deze uitgaaf, sinds verscheidene jaren uitgeput, opnieuw te bewerken, in samenwerking met *Z.* E. H. Kan. Dignant, der vroegere medewerkers, en verscheidene andere Professors of Oud-professors in h. Schriftuur, als zijn EE. PP. Ceupens, O. P., te Leuven en Roelants, S. J., te Kandy (Ceylon), en *ZZ.* EE. HH. Camerlynck, voorheen te Brugge, Keulers te Roermond, Ryckmans te Mechelen, van Grinsven te Haaren ('s Hertogenbosch).

Wat de boeken door Mgr Beelen vertaald en uitgelegd betreft, die blijven substantiëel onveranderd, al worden ze dan ook, voor wat de spelling aangaat, naar de heden ten dage meest aanvaarde regels herzien en, voor wat den commentaar aangaat, bij plaatsen wat aangevuld. Op die wijze werd opgevat het boek « De Handelingen der Apostelen », dat nu pas verscheen.

Immers het werk van Mgr Beelen werd, voor wat de vertaling betreft, zoo grondig en nauwkeurig uitgewerkt, en geeft met zooveel juistheid tot de minste nuancen weer van den gewijden tekst, — en voor wat den commentaar betreft, is het zoo ernstig en bezadigd, en getuigt het van zulke diepgrondige kennis op gebied van Schriftuur en Theologie, dat wij het jammer zouden gevonden hebben er iets zakelijks aan te veranderen of van weg te laten. Daarom ook hebben wij de aanteekeningen, die we hier en daar, hetzij ter vollediging, hetzij om een anderen somtijds waarschijnlijker uitleg voor te stellen, bijgevoegd hebben, tusschen [ ] laten drukken.

Dieper zal de herziening ingrijpen voor de andere boeken, niet door Mgr Beelen bewerkt; voor verschillende boeken zelfs zullen vertaling en commentaar geheel nieuw zijn. Zoo is het werk van E. P. Roelants, professor aan het Pauzelijk Seminarie te Kandy, eene heel nieuwe bewerking van het Boek Isaïas. Voor wat de vertaling zelf betreft, is het zonder twijfel beter dan het vroeger werk van E. P. Corluy:

de deelen, in den oorspronkelijken tekst in verzen geschreven, zijn ook hier door twee- of drieledige verzen weergegeven; de taal is wel bezorgd en vloeiend; de tekst is in deelen en onderdeelen onderscheiden en met korte, kernachtige hoofdingen voorzien; (ditzelfde systeem wordt ten andere aan al de boeken der geheel uitgaaf, ook aan die van Mgr Beelen toegepast); het geheel maakt een heerlijken indruk.

Voor wat de inleiding en den commentaar betreft, werd met recht er opgewezen dat deze wat al te sober schijnen, al geven zij dan ook, over het algemeen, het strikt noodzakelijke. Het deed ons echter genoegen te vernemen en bij de reeds ingekomen handschriften te bestatigen dat de andere fasciculen van de geheele uitgaaf, ook de door E. P. Roelants bewerkte drie volgende groote Profeten, aan aanteekeningen rijker zullen zijn.

Onder druk zijn voor 't oogenblik het Evangelie van Mattheus, door Mgr Beelen, met bijgevoegde aanteekeningen, alsmede het Boek Esther, door Dr J. Keulers, Professor aan het Groot Seminarie te Roermond. — Laten wij hopen dat deze uitgaaf in haar geheel zal medehelpen om de kennis der Heilige Schriftuur bij priesters en geloovigen te bevorderen.

**Macaigne, R.** *La création.* Paris, Beauchesne, 1924. — In 12, 109 p. — Pr. 5 fr.

L'auteur, ancien ingénieur des ponts-et-chaussées, ancien professeur au grand séminaire de Soissons, s'adresse dans ce petit livre particulièrement à la jeunesse des grandes écoles et à tous les esprits cultivés de formation scientifique, déroutés trop souvent et sans raison aucune, par les explications scientifiques, incompatibles, leur semble-t-il, avec le récit si simple de la Genèse. Son but est donc de montrer comment se fait, en ces matières si délicates, le point de jonction de la science et de la foi. Il y a parfaitement réussi et comme dit très bien, M. Pierre Termier, de l'Académie des sciences, condisciple de l'auteur jadis à l'école polytechnique, dans la préface du présent volume: « La lecture en sera bienfaisante; elle dissipera les trop nombreux malentendus qui subsistent encore entre certains croyants qui se méfient de la science et certaines gens de science qui s'exagèrent la portée des récentes découvertes ».

**Frutsaert, E.** *Handboekje voor geloofsverdediging.* 3e uitg. Brugge, « Excelsior » en Jacqué, 1926. — In 12, 151 bl. — Pr. 4 fr.

In dit handboekje, niet een leesboek maar een handleiding en leerboek, worden de hoofdvraagstukken der geloofsverdediging, volgens de klassieke indeeling en methode, bondig en eenvoudig uiteengezet, doch volkomen tevens en klaar bewezen.

In drie deelen stelt S. achtereenvolgens vast, dat de mensch moet godsdienstig, christelijk en katholiek zijn. Hij beoogt door zijn handboekje een leiddraad te geven voor apologetisch onderricht in den vierden graad van 't lager onderwijs, wellicht ook in de vijfde en zesde

van 't middelbare, in zondag- en avondscholen of ook nog in studiekringen voor ontwikkelde werklieden; terecht merkt hij zelf op dat met een uitgebreider toelichting het nog wel voor hoogere klassen en meer ontwikkelde kringen kan dienstig worden. Daarom ook werd de verhandeling derwijze ingedeeld, dat zij naar gelang der mindere of meerdere ontwikkeling der leerlingen, kan worden aangepast; met kleiner letter wordt afgedrukt wat geen hoofdzaak is of voorloopig moeilijker te begrijpen valt.

Het handboekje van E. H. Frutsaert wordt hiermede, zooals vroeger reeds in dit tijdschrift gedaan werd (1), ten volle aanbevolen.

**Buysse, P.** *Vers la foi catholique.* II. *Jésus devant la critique.* Bruges, Beyaert, 1925. — In 12, 469 p. — Pr. 15 fr.

Nous avons rendu compte précédemment du tome premier de l'ouvrage *Vers la foi catholique*, dans lequel M. Buysse prouve la mission divine de l'Eglise par une double démonstration, la première, dite populaire, la seconde, appelée technique (2). Afin de conduire celle-ci à son terme, l'A. entreprend dans le présent volume d'établir le caractère surnaturel et divin de Jésus, fondateur de l'Eglise catholique.

L'A. renverse par conséquent l'ordre habituel de la démonstration traditionnelle; il place en effet la démonstration *catholique* avant la démonstration *chrétienne*, ce qui lui permet d'exposer complètement le problème du Christ, et de traiter non seulement de son existence historique et de sa mission divine, mais encore de sa filiation divine proprement dite. L'ordre choisi par l'A. peut se justifier, si l'on se place au point de vue strictement apologétique en tenant compte des difficultés modernes; il n'eût pas été inutile d'indiquer au moins dans l'introduction au premier volume, cet autre ordre, traditionnel, plus logique et plus strictement historique.

Nous avons loué dans notre premier compte-rendu les grandes qualités de l'ouvrage de M. Buysse; il nous plaît de pouvoir souligner encore sa prodigieuse érudition. Son ouvrage fera le plus grand bien aux laïques croyants, qui à cause surtout de leur formation religieuse insuffisante, se laissent trop facilement influencer et désemparer souvent, par des objections sans valeur certainement mais spécieusement présentées; il fera du bien également aux incroyants en quête sincèrement de la vérité. Il sera très utile aux directeurs de cercles d'études apologétiques, qui y trouveront une doctrine très sûre et une documentation très riche. Il sera reçu avec reconnaissance et lu avec grand profit par tous ceux qu'intéressent les questions apologétiques actuelles. C'est assez dire que nous souhaitons au beau livre de M. Buysse la plus large diffusion.

H. Lamiroy.

---

(1) *Collat. Brugen.*, XX, p. 59.
(2) *Ibidem.*, XXV, p. 332 s.

**Mohr, H.** *In Gods zonneschijn.* E. K. Sekretariaat, Averbode, 1925. — In 8, XII-314 bl. — Pr. 5,50 fr.

**Idem.** *Als de ziele luistert.* — In 8, XI-359 bl. — Pr. 5,50 fr.

Deze schoone vertaling der twee treffende boeken van den vromen priester Mohr zal van groot nut zijn voor alle priesters die met kristelijk onderricht belast zijn. De bestuurders van E. K. in 't bijzonder zullen blij zijn deze dubbele reeks levendige, i twat nieuwerwetsche homelieën op al de evangelieën van 't kerkelijk jaar aan de hand te hebben. Zij zullen er een rijken voorraad in vinden van voorbeelden, vergelijkingen, onderrichtingen, aanwakke en, best geschikt voor hunne aanspraak op de E. K.-vergadering

**Jombart, E.** (S. J.), *Le jubilé universel e 1926.* Museum Lessianum. Section théologique. Louv n, 1926. — In 8, 29 p. — Pr. 1,25 fr.

**Creusen, J.** (S. J.), *L'extension du jubi en 1926.* Museum Lessianum. Section théologique. Lou ain, 1926. — In 8, 31 p. — Pr. 1,25 fr.

Le R. P. Jombart et le R. P. Creusen ont exposé d'une manière succincte, le premier à l'usage des fidèles, le second à l'adresse du clergé, ce qu'il importe de savoir sur le jubilé présent en vue d'en tirer le plus grand profit possible. Le P. Jombart explique rièvement l'origine et l'historique du jubilé, les avantages qu'il accorde et les conditions à remplir. Le P. Creusen donne en tiré à part, avec de légères retouches, l'article publié dans la *Nouvelle revue théologique.* Il édite le texte de la bulle *Servatoris Jesu Christi* et en donne ensuite « un résumé et un commentaire succincts mais très exacts ». Fidèles et prêtres peuvent se fier pleinement à ces deux guides au isés.

**Plus, R.** (S. J.), *In Christus Jezus,* verta door P. Eleutheer van Lichtervelde (O. M. C.). ugge, Beyaert, 1925. — In 16, XVI-332 bl. — Pr. 10 fr.

De eerweerde pater Franciscaan heeft zeer goed werk verr t met 't zoo gunstig onthaalde werk van P. Plus in 't nederlandsch over te zetten. Dit boek is anders niet dan een volledige uitwerking van het « In Christo Jesu » dat bij s Paulus en s. Joannes voortdurend terugkomt. Onze inlijving in Christus-Jezus wordt er in 7 boeken uiteengezet : hoe een christen moet mede-christus zijn, mede-vergeestelijkt door Zijn Geest, hoe hij moet mede-lijden, mede-ingewijd, mede-eeuwig zijn ; hoe hij met Christus moet mede-sterven, mede-gehoorzamen, mede-offeren, mede-overlijden, — verrijzen en — heerschen. Wie al de woorden, uitdrukkingen, beelden hier aangewend streng op den keper wil beschouwen, kan wel van dogmatisch oogpunt uit een en ander minder goed vinden, doch het doel van den schrijver is eene grondwaardigheid op allerlei slaande wijzen in de ziel te doen dringen : hij slaagt er zeer goed in, en daarom zeggen we hem dank en wenschen aan deze vlaamsche vertaling al den bijval dien de fransche uitgave gevonden heeft.

A. Legrand.

# Collationes Brugenses

## Litteræ encyclicæ

AD VENERABILES FRATRES PATRIARCHAS, PRIMATES, ARCHIEPISCOPOS, EPISCOPOS, ALIOSQUE LOCORUM ORDINARIOS PACEM ET COMMUNIONEM CUM APOSTOLICA SEDE HABENTES: DE SACRIS MISSIONIBUS PROVEHENDIS (1).

### PIUS PP. XI

VENERABILES FRATRES

SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Romani Pontifices semper solliciti fuere de dilatando per orbem regno Christi, secundum ipsius Christi mandatum.

Rerum Ecclesiæ gestarum memoriam animo intento qui repetant, fugere eos nequaquam potest, inde a prioribus reparatæ salutis ætatibus, eo præcipuas curas cogitationesque Romanorum Pontificum fuisse conversas, ut evangelicæ lucem doctrinæ christianæque humanitatis beneficia populis « in tenebris et in umbra mortis » sedentibus, nullis unquam difficultatibus impedimentisque deterriti, impertirent. Neque enim ad aliud nata Ecclesia est, nisi ut, regno Christi ubique terrarum dilatando, universos homines salutaris redemptionis participes efficiat: quisquis autem est, qui Iesu Pastorum Principis vices in terris divinitus gerat, is tantum abest ut dumtaxat in tuendo ac servando, quem regundum accepit, grege dominico possit acquiescere, ut, contra, præcipuo muneri suo desit, nisi alienos externosque Christo lucrari atque adiungere omni contentione nitatur. Divinum profecto mandatum, quo obstringerentur, docendi baptizandique omnes gentes, nullo non tempore, decessores Nostros sic confecisse constat, ut missi ab iis sacri ordinis homines, e quibus non paucos aut ob vitam sanctissime ductam aut ob factum animose martyrium,

(1) *Acta Apost. Sedis*, XVIII, p. 65 s.

publice veneratur Ecclesia, Europam et vix inventas exploratasqus deinceps ignotas terras fide nostra, vario quidem exitu, collustrare studuerint : vario exitu, inquimus ; interdum enim contigit, ut, missionalibus pæne incassum laborantibus vel cæsis eiectisve, quem colere cœperant agrum, idem aut suam vix exueret asperitatem aut, in hortum floribus consitum ante conversus, deinde, sibi ipse relictus, denuo in vepres dumosque, gradatim, abiret. — Lætari interea licet, postremis hisce annis, sodalitates illas, quæ sacras Missiones apud infideles populos obeunt, novo quodam studio, curas et fructus duplicasse auctisque missionalium laboribus auctam respondisse ab christifidelibus opis subsidiique largitatem. Ad rem non est dubitandum quin magnopere valuerit Epistola illa Apostolica, quam proximus fel. rec. decessor Noster die XXX mensis novembris an. MDCCCCXIX « de fide catholica per orbem terrarum propaganda » ad Episcopos universos dedit ; etenim cum ipsorum a Pontifice acueretur ad opitulandum industria ac sollertia, tum sapientissimis monitis Vicarii Præfectique Apostolici docebantur, quæ propulsari incommoda, quæ a suis officia, ad fructuosiorem sacræ legationis exercitationem, præstari oporteret.

Lætari licet de novo studio missionum, ad quod magnopere contulit epist. apost. Benedicti XV.

Ad Nos quod attinet, cognitum ac perspectum habetis, Venerabiles Fratres, ab ipsis Pontificatus primordiis, deliberatum Nobis esse nihil non experiri, ut ethnicis gentibus, prælato cotidie latius per apostolicos præcones evangelicæ veritatis lumine, unam salutis viam sterneremus. Qua in re duo imprimis desiderari videbantur, utrumque non tam opportunum quam necessarium, alterumque arctissime cum altero coniunctum ; scilicet ut multo maior, isque ab variis cognitionibus instructior, in immensas interminatasque regiones, christiani adhuc cultus exsortes, dimitteretur operariorum numerus, itemque ut fideles intellegerent, ad opus tam sanctum ac frugiferum quo animi ardore, qua precum apud Deum instantia, qua denique liberalitate esset sibi conspirandum. Huc nonne etiam intendebamus, cum in ipsis Aedibus Nostris sacrarum res Missionum publice ad spectandum proponi iussimus ? Atque benignissimo Deo illud referimus acceptum, quod, quemadmodum audivimus, iuveniles nonnullorum animi, in eo conspectu et quasi spectaculo cum divinæ gratiæ tum magnanimitatis ac nobilitatis humanæ, primos catholici apostolatus

Voluntas Pontificis promovendi missiones sacras.

Hujus testimonium sunt res missionum publice expositæ necnon

concepere igniculos : et, quæ tanta invisentium multitudines incessit apostolicorum operariorum admiratio, non eam inanem, non ab omni vacuam fructu futuram iam nunc spe bona præcipimus. At vero, ne documenta ac monita maximi ponderis, quæ ex ipsis Missionum rebus quasi tacite significantibus exstiterunt, unquam concidant ac pereant, Museum — quod fortasse non ignoratis — ex delectissimis rebus, aptiore quidem modo dispositis, in Aedibus Nostris ad Lateranum constitui decrevimus, eo nempe loco, unde, post datam Ecclesiæ pacem, in regiones, quæ *albæ iam ad messem* viderentur, tot a decessoribus Nostris apostolici viri, sanctitate vitæ et religionis studio mirabiles, sunt deinceps dimissi. Quod quidem Museum quotquot invisuri sunt Missionum duces imprimis et gregarii, ut ita dicamus, milites, cum inter se singularum rationes comparaverint, iam ad meliora atque ad maiora spectabunt ; qui autem e populo illud adierint, eos putamus non minus commotum iri quam qui Expositionem Vaticanam celebrarunt. Interea, ut excitata hæc acriter christifidelium erga sacras Missiones voluntas acrius ad agendum incendatur, vos, Venerabiles Fratres, veluti inclamando, operam advocamus adhibitamque volumus vestram ; quam, si in alia unquam re collocari decuit oportuitque, at in hoc potissimum genere ne assiduam studiosissimamque recusetis, prohibet vestræ officium dignitatis, et vel pietas in Nos vestra suadet. Quantacumque sane Nobis divino consilio reliqua erit huius lucis usura, Nos habebunt continenter anxios sollicitosque hæ apostolici muneris partes : sæpe enim reputantes, ethnicos homines ad decies milies centena milia numerari, non habemus requiem spiritui Nostro, (1) et Nobis videmur Nosmet quoque voce illa percelli : *Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam.* (2)

Museum institutum in ædibus vaticanis, cujus maxima utilitas.

1°. — Operam *Episcoporum* advocat summus pontifex ad promovendas missiones.

Qui de ovili Christi sunt, eos nihil quicquam curare de reliquis qui extra sæpta infeliciter vagantur, quam longe a caritate abhorreat, qua Deum atque homines universos complecti debemus, non est cur multis dicamus. Postulat sane nostrum in Deum caritatis officium non modo ut pro viribus eorum numerum augeamus, qui ipsum cognoscunt et adorant « in spiritu et veritate (3) », sed

Caritas christiana postulat hanc sollicitudinem de dilatando regno Christi, ab omnibus fidelibus,

(1) *II Cor.*, VII, 5.
(2) *Isai.*, LVIII, 1.
(3) *Ioan.*, IV, 24.

etiam ut sub amantissimi Redemptoris imperium quamplurimos subiungamus, quo uberior in dies « utilitas in sanguine (1) » eius exsistat, magisque eidem gratificemur, cui quidem nihil esse gratius potest, quam ut homines salvi fiant et ad agnitionem veritatis veniant. (2) Quandoquidem vero Christus hanc discipulorum suorum notam fore edixit peculiarem ac propriam ut diligerent inter se, (3) numne maiorem insignioremque exhibeamus proximis nostris caritatem, quam si eos e superstitionis tenebris educendos germanaque Christi fide imbuendos curaverimus? Hoc immo ceteris caritatis operibus testimoniisque sic præstat, quemadmodum animus corpori, cælum terris, æternitas tempori antecellit; quod quidem caritatis opus quicumque, quantum in se est, exercet, donum fidei tanti se facere ostendit, quanti æquum est, et gratum præterea erga numinis benignitatem animum suum patefacit, id ipsum donum, omnium pretiosissimum, et alia quibuscum coniungitur, cum miserrimis ethnicis communicando. Quodsi eiusmodi officium detrectare nullus e fidelium communitate queat, num clerus possit, qui sacerdotium et apostolatum Christi Domini, miro ipsius delectu ac concessu, participat: num vos, Venerabiles Fratres, possitis, qui, pro vestra cuiusque parte, christiano clero et populo, sacerdotii plenitudine insignes, divinitus præestis? Legimus equidem, non uni Petro, cuius Cathedram obtinemus, sed omnibus Apostolis, quorum vos in locum successistis, Iesum Christum præcepisse: *Euntes in mumdum universum, prædicate evangelium omni creaturæ:* (4) unde liquet, propagandæ fidei curam ita ad Nos pertinere, ut in laborum societatem Nobiscum venire Nobisque hac in re adesse, quantum singularis ac propria vestri perfunctio muneris sinit, sine ulla dubitatione debeatis. Itaque ne gravemini, Venerabiles Fratres, Nobis paterno animo hortantibus pie obsequi, a quibus rationem tantæ rei haud exiguam Deus aliquando repetet.

a clero et ab episcopis utpote successoribus apostolorum.

Efficiant episcopi ut *preces* pro missionibus

Atque primum, alloquendo id scribendoque efficite, ut apud vestros sanctam inducatis et sensim increbrescere iubeatis consuetudinem cum rogandi *Dominum messis, ut*

(1) *Ps.* XXIX, 10.
(2) *I Tim.* II, 4.
(3) *Ioan.*, XIII, 35; XV, 12.
(4) *Marc.*, XVI, 15.

*mittat operarios in messem suam*, (1) tum cælestis luminis et gratiæ precandi infidelibus adiumenta; consuetudinem, inquimus, ac stabilem perpetuumque usum, quem nemo non videt multo plus, quam preces aut semel aut identidem indictæ, apud divinam misericordiam posse ac valere. Elaborent quidem in traducendis ad catholicam religionem ethnicis et desudent et vel vitam profundant evangelii præcones; industriam, sollertiam artesque omne genus humanas adhibeant; at vero nihil iidem profecturi sunt, omnia in irritum cadent, nisi gratiâ Deus suâ infidelium tetigerit animos mollitosque ad se traxerit. Facile autem intellegitur, quemadmodum orandi copia nulli non datur, ita hoc Missionum præsidium ac quasi alimentum in potestate esse omnium; atque idcirco rem feceritis ab optatis Nostris et a popularium ingenio sensuque haud alienam, si iusseritis, exempli gratia, Mariali Rosario aliisque eiusmodi precibus in curialibus ceterisque templis, aliquam unam pro Missionibus et pro ethnicis ad fidem deducendis precationem accedere atque adiungi. In id ipsum, Venerabiles Fratres, pueri præcipue et sacræ virgines advocentur, incendantur; cupimus scilicet, ut in Asylis, in orphanothropheis, quæ vocant, in puerilibus ludis et conlegiis, itemque in omnibus religiosarum feminarum domibus vel cœnobiis cotidie sursum adscendat oratio, et descendat in tot infelices homines, in tam crebras ethnicorum gentes Dei miseratio; innocentibus enim casteque viventibus quidnam abnuat Pater cælestis ac deneget? Nec alioqui diffidendum, in teneriores puerorum animos, quotquot, cum primum flos caritatis emergit, pro æterna infidelium salute orare assuescant, posse appetentiam apostolatus, Dei numine, insinuari: quæ, si accurate foveatur, datura fortasse est, successu temporis, operarios apostolico muneri non impares.

stabili et perpetuo usu a suis fundantur,

v. g. simul cum Mariali Rosario,

et præsertim, in religiosis institutis ac domibus.

Rem vix attingimus sane dignissimam, in quam, Venerabiles Fratres, perdiligentem ipsimet considerationem intendatis. Nullum putamus esse, qui ignoret, detrimenta profecto haud parva fidei propagationem e recenti bello cepisse, cum e missionalibus alii, domum revocati, per immanis conflictionis vices occubuerint, alii, e suo laborum campo deturbati, territorium quisque suum diu incultum reliquerint: quæ quidem detrimenta ac damna

Damna ac detrimenta missionibus illata per bellum.

(1) *Matth.*, IX, 38.

non tam reparari oportuit hodieque oportet, quàm res in pristinum restitui, immo etiam provehi atque amplificari. Præterea, sive infinitas locorum magnitudines spectemus, quæ christianæ humanitati nondum patuere, sive ingentem eorum numerum, qui redemptionis beneficiis ad hunc diem carent, sive necessitates et difficultates, quibus missionales, pro eorum paucitate, implicantur ac præpediuntur, eo concordes Episcoporum catholicorumque omnium conatus ferri oportet, ut sacrorum legatorum numerus augeatur et multiplicetur. Si qui igitur in diœcesi cuiusque vestra aut adulescentes aut clerici aut sacerdotes ad apostolatum eiusmodi præcellentissimum vocati divinitus videantur, propensis eorum consiliis studiisque gratia et auctoritas vestra obsecundet, nedum aliquo pacto obsistatis. Liceat quidem vobis, animo integro, probare spiritus si ex Deo sint; (1) at si saluberrimum propositum Deo auctore haberi cœpisse et maturescere iudicaveritis, iam nulla vos aut cleri penuria aut diœcesis necessitas exanimet atque ab consentiendo detineat, cum populares vestri, salutis adiumenta ad manum, ut ita dicamus, habentes, longe absint minus a salute, quam ethnici, ii præsertim qui in sua feritate ac barbaria consistunt. Data vero eius rei occasione, æquo animo, ob Christi animarumque caritatem, alicuius e clero iacturam faciatis, si quidem iactura dicenda est; quem enim amiseritis adiutorem laborumque vestrorum socium, eundem, vel copiosiore gratiarum in diœcesim effusione vel aliis excitatis sacri ministerii tironibus, divinus Ecclesiæ Conditor profecto supplebit.

Concordes episcoporum et catholicorum omnium conatus necessarii ad augendum *numerum missionalium*; itaque episcopi *vocationes* ad missiones ne prohibeant, sed potius ipsis faveant, et Deus adjuvabit.

Instituatur aut promoveatur *consociatio missionalis cleri.*

At tamen ut cum ceteris pastoralis officii curis huiusmodi negotium apte componatur, Consociationem cleri Missionalem apud vos aut iubeatis constitui aut iam constitutam ad acriorem in dies actionem consilio, hortatu, auctoritate vestra incitetis. Quam quidem Consociationem, octavo ante anno providentissime conditam, cum proximus decessor Noster multis indulgentiæ muneribus auxerit et in dicione Sacri Consilii christiano nomini propagando esse voluerit, tum Nosmet, in plurimas orbis catholici diœceses, postremis hisce annis, diffusam, non uno pontificalis benevolentiæ testimonio honestavimus. Quotquot enim de ea sunt sacerdotes — atque ad suam condicionem accommodate, sacrarum disciplinarum

(1) *I Ioan.*, IV, 1.

alumni — ii, pro instituto suo, fidei donum innumerabili ethnicorum multitudini et ipsimet, inter sacra potissimum, implorare et ad implorandum aliis auctores esse ; quoties et ubicumque licuerit, de apostolatu ad infideles provehendo aut contionari apud populum aut curare identidem ut, statis diebus ac cœtibus, communiter fructuoseque agatur ; opuscula in rem edita vulgo propagare; in quibus eiusdem apostolatus semina auspicato inesse animadverterint, iis ad congruentem institutionem eruditionemque expedire aditum; in suæ diœcesis finibus Opus a Fidei Propagatione et duo illa, quæ huic tamquam subsidiaria inserviunt, quoquo pacto fovere. Quantum vero stipis adhuc Consociatio cleri Missionalis ad opitulandum iis ipsis operibus conrogaverit, quanto plus posthac — crescente in annos singulos largitate fidelium — sperare iubeat, vos, Venerabiles Fratres, non præterit, quorum plerisque, pro uniuscuiusque territorio, patronis atque impulsoribus utitur ; optandum tamen, ut nullus iam sit clericus qui huiusmodi caritatis flammâ sit expers Etenim Operi a Fidei Propagatione, aliorum quidem omnium, quæ ad sacras Missiones pertinent, sane principi, quod, incolumi piissimæ feminæ, quæ eam condidit, et Lugdunensis urbis gloria, huc, novata ordinatione, transtulimus et romana veluti civitate donavimus, ea christianus populus liberalitate subveniat oportet, quæ multiplicibus Missionum, quæ nunc sunt, quæque iis deinceps accedent, necessitatibus omnino respondeat. Quæ profecto necessitates quot quantæque numerentur, qualis sit plerumque evangelii præconum inopia, ex ipsa Vaticana Expositione satis apparebat, at fortasse ne perspexere quidem bene multi, oculis copia, novitate ac pulcritudine rerum propositarum præstrictis. Ne vos igitur, Venerabiles Fratres, pudeat pigeatve, quasi mendicos pro Christo animarumque salute fieri, et, scripto profectaque ex medullis eloquentia popularibus instare vestris, ut quam Opus a Fidei Propagatione quotannis colligit messem, eandem munificentia et benignitate sua multiplicent multoque faciant auctiorem. Cum, ceteroqui, nulli tam inopes aut nudi habendi sint, nulli tam infirmi aut ieiuni aut sitientes, quam qui Dei cognitione gratiaque carent, nemo non videt, qui misericordiam egentissimis omnium hominibus exhibuerint, eos divina misericordia et remuneratione non posse destitui.

Quid possint ac facere debeant consociati pro missionibus.

Foveant *Opus a fidei propagatione*, quod tantum adjuvat missiones et adjuvabit.

Hoc idem Opus commendatur zelo episcoporum.

Operi autem a Fidei Propagatione principi duo alia

Commendantur duo opera conjuncta huic Operi principi : alterum a *S. Infantia*, alterum *a Petro Apostolo* nuncupatum.

adiuncta sunt, ut diximus, quæ, cum Apostolica Sedes fecerit sua, christifideles præ ceteris operibus, quæ peculiare aliquid sibi propositum habent, conrogata collatave stipe adiuvent ac sospitent, alterum scilicet a S. Infantia, alterum a Petro Apostolo nuncupatum. Illius est, ut habent omnes exploratissimum, pueros nostros asciscere, qui peculium suum reponere assuescant præsertim infidelium infantibus, ubicumque eos proiici vel necari contingit, redimendis catholiceque educandis ; huius vero et precibus et collecta pecunia efficere, ut delectos indigenas in Seminariis rite excoli et ad sacros Ordines evehi liceat, quo ipsorum tribules facilius, successu temporis, ad Christum traducantur vel in fide confirmenrur.

Huic sancta Teresia ab Infante Jesu tribuitur cælestis patrona.

Petriano huic sodalicio, ut nostis, Teresiam ab Infante Iesu haud multo ante cælestem patronam attribuimus, utpote quæ, cum in terris claustralem vitam ageret, unum vel alterum missionalem, sibi, quasi quodam adoptionis iure, adiuvandum sumpsisset, pro quo et preces et voluntarias vel præceptas corporis castigationes et præcipue vehementes morbi, quo laborabat, cruciatus Divino Sponso offerre consueverat. Atque, auspice Lexoviensi virgine, uberiores rei fructus Nobis pollicemur : quo in genere magnopere lætamur, quod Episcopis bene multis placuit inter socios Operis perpetuos se numerari et quod Seminaria aliique catholicorum iuvenum cœtus aliquem unum clericum indigenam communi suo ipsorum sumptu alendum instituendumque suscepere.

Ne patiantur fideles se liberalitate vinci ab acatholicis.

Utrumque sane Opus, quod recte subsidiarium Operis principis appellari solet, ut Episcoporum sollertiæ fel. rec. decessor Noster Benedictus XV per Epistolam Apostolicam, quam memoravimus, commendavit, ita Nos vobis commendare non desinimus ; quibus suasoribus, confidimus, christifideles neutiquam passuros, se ab acatholicis, qui errorum suorum propagatoribus tam large adsunt, liberalitate vinci ac superari.

2° — Sermo *ad Vicarios et Præfectos apostolicos*, summopere laudandos ob eorum caritatem et sollertiam.

Iam ad vos, Venerabiles Fratres, Dilecti Filii, sermonem convertimus, qui, ob gestam diu, laboriose prudenterque sacram inter ethnicos legationem, digni facti estis, qui vicariatibus ac præfecturis apostolica auctoritate præficeremini. Atque ut affari vos aggrediamur, quæ in universum incrementa, annis proxime superioribus, cepere Missiones, vestræ debita caritati ac sollertiæ, ea vobis et evangelii nuntiis, quos regitis ac moderamini, summopere gratulamur. Præcipua sane, quæ incumberent

vobis officia, quæque vitanda essent in perfunctione eorum incommoda proximus decessor Noster tam sapienter magnificeque docuit, ut nihil supra potuisset; placet tamen, quid de quibusdam rebus sentiamus, vobiscum, Venerabiles Fratres, Dilecti Filii, communicare.

Maxime interest *indigenas in clerum* cooptari.

Ac primum omnium, cogitationes eò vestras revocamus, quanti intersit, indigenas in clerum cooptari: quod nisi pro viribus effeceritis, non tam mancum fore censemus apostolatum vestrum, quam Ecclesiæ in regionibus istis constitutioni atque ordinationi diutius moram allatum iri ac tarditatem. Cui quidem necessitati libenter fatemur atque agnoscimus alicubi consuli ac provideri cœptum Seminariis excitandis, ubi optimæ spei adulescentes indigenæ ad adipiscendam sacerdotii dignitatem atque ad suæ stirpis homines fide christiana imbuendos recte instituuntur ac conformantur; verumtamen ab iis rei progressionibus, quas haberi necesse est, nimio longius absumus. Meministis quænam fel. rec. decessor Noster Benedictus XV hac in re conquestus sit: « Dolendum est, regiones esse, in quas abhinc pluribus sæculis catholica Fides illata sit, atque ubi tamen clerum indigenam, nisi deterioris notæ, non reperias: item populos esse nonnullos, mature Evangelii luce illustratos, qui ex barbaria ad eum iam humanitatis gradum emerserint, ut in omni civilium artium varietate præstantes viros habeant, quique, cum multa iam sæcula salutari Evangelii Ecclesiæque virtute sint affecti, tamen adhuc nec Episcopos a quibus regerentur, nec sacerdotes, quorum disciplina civibus imperitaret, efferre potuerint » (1).

Huic necessitati jam alicubi provisum est Seminariis excitandis, sed ab iis rei progressionibus, quas haberi necesse est, nimio longius absumus.

Hæc fuit ratio agendi in primitiva ecclesia ab ipsis apostolis usurpata.

Nunquam fortasse perpensum satis est, qua via et ratione cum Evangelium propagari tum Ecclesia Dei ubique gentium constitui cœperit; quod cum leviter, in claudenda publice Expositione Missionaria, ut aiunt, attingeremus, monebamus, ex primis christianæ antiquitatis litterarum monumentis manifesto apparere, clerum novæ cuivis fidelium communitati ab Apostolis præpositum, non aliunde importatum, sed ex natis in ipsa regione electum atque adscitum. Quod autem vobis adiutoribusque vestris apostolicum munus Romanus Pontifex concrediddit christianæ veritatis ethnicis gentibus prædicandæ, non idcirco putetis sacerdotes indigenas in id unice esse oportere, ut missionalibus in minoris momenti minis-

(1) Ep. ap. *Maximum illud.*

Itaque ad omnia, et non tantum ad minora ministeria sacerdotes indigenæ admittantur et ad populi sui etiam gubernationem.

teriis adsint eorumque actionem aliquo pacto compleant. Quorsum, quæsumus, sacræ Missiones pertinent, nisi ut in tanta immensitate locorum Ecclesia Christi instituatur ac stabiliatur? Et unde hæc apud ethnicos hodie constabit, nisi ex omnibus iis elementis, ex quibus apud nos olim coaluit, id est ex suo cuiusque regionis et populo et clero, suisque religiosis viris ac feminis? Curnam clerus indigena ab eo, qui proprius et nativus ipsius est, agro colendo, scilicet a populi sui gubernatione arceatur? Iam ut vobis liceat ad alios aliosque infideles Christo lucrandos cotidie expeditioribus progredi, nonne proderit vehementer, sacerdotibus indigenis stationes custodiendas uberiusque excolendas relinquere? Immo etiam, in regno Christi latius proferendo, quam maxime iidem præterque omnem exspectationem profecturi sunt. « Nam sacerdos indigena — ut verbis Nostri ipsius decessoris utamur —, utpote qui ortu, ingenio, sensibus studiisque cohæreat cum suis popularibus, mirum quantum valet ad Fidem eorum mentibus insinuandam; multo enim melius, quam quisquam alius, novit quibus modis quidpiam eis persuaderi queat. Ita sæpe fit ut illuc faciles aditus habeat, quo advenæ sacerdoti pedem inferre non licet » (1). Quid quod missionales externi, ob inchoatam sermonis cognitionem, sensa quidem sua exprimere interdum prohibentur adeo, ut valde prædicationis suæ vis atque efficacitas infirmetur? Huc profecto aliæ accedunt incommodorum causæ, quorum æquam rationem habeamus oportet, licet aut ea rarius incidere aut non magno negotio amoveri posse videantur. Fac, ex bello aliisve politicis eventis in alicuius Missionis territorio alterum regimen alteri suffici, et aut posci aut decerni missionalium exterorum e certa quadam natione discessum : fac item — quod sane difficilius eveniet — indigenas, qui ad altiorem humanitatis gradum pervenerint et civilem quandam maturitatem attigerint, velle, ut sui iuris fiant, externæ civitatis sibi imperantis et procuratores et copias et missionales ab suo territorio exigere, idque aliter, quam vi adhibita, impetrare non posse. Quæ tum, rogamus, impenderet per eas regiones Ecclesiæ pernicies, nisi, quasi quodam rete sacerdotum indigenarum per totum territorium disposito, necessitatibus plebis Christo adiunctæ esset plene consultum? At præterea — neque enim præsenti rerum condicioni minus

Multas habet sacerdos indigena præ advena facilitates.

Incommoda vitari possunt haud pauca hac ratione agendi;

(1) Ep. ap. *Maximum illud.*

illud Christi congruit: *Messis quidem multa, operari autem pauci* (2) — vel ipsa Europa, unde plerique missionalium proficiscuntur, clero hodie eget, eoque magis eget, quo pluris interest, adiuvante Deo, dissidentes fratres ad Ecclesiæ unitatem restitui et acatholicis errores suos eripi; nec quisquam ignorat, ad sacerdotalem vel religiosam vitam si quidem haud minor in præsenti adulescentium numerus, quam antea, vocatur, tamen divini afflatus permotioni numerum parere longe minorem.

præterea ratio habenda conditionis hodierræ in Europa.

Ex hisce, quæ memoravimus, Venerabiles Fratres, Dilecti Filii, efficitur, eam sacerdotum indigenarum copiam territoriis vestris suppetere oportere, quæ, nulla cleri adventicii habita ratione, cum ad propagandos christianæ societatis fines, tum ad communitatem fidelium e sua natione regundam ipsa per se satis valeat. Alicubi quidem, ut paulo ante significavimus, Seminaria erigi cœpta sunt alumnis indigenis excipiendis, et ea pleraque medio sita loco inter finitimas Missiones, uni eidemque Ordini vel Congregationi commissas; atque illuc adulescentes Vicarii ac Præfecti Apostolici mittunt singuli lectissimos, sumptu cuiusque suo alendos, quos sacerdotio initiatos et ad sacra idoneos ministeria aliquando recipiant. Itaque quod alicubi a nonnullis inchoatum, id ab omnibus, qui Missionibus præsunt, haud dissimili ratione perfici non tam cupimus quam volumus et iubemus: ut ex indigenis nullus bonæ spei sit, quem ab sacerdotio et apostolatu, utique a Deo instinctum vocatumque, arceatis. Certe, alumnos rite instituendos quo plures delegeritis — et plurimos delegi omnino opus est — eo vos maiorem facere sumptum cogemini: verum, ne animo concidite, amantissimo hominum Redemptori confisi, cuius providentiâ futurum, ut, aucta catholici orbis liberalitate, Apostolicæ Sedi ne desit unde vobis, ad saluberrimi effectum consilii, largius opituletur.

Oportet igitur tanta sit sacerdotum indigenarum copia, quæ ad communitatem e sua natione regundam per se satis valeat; itaque curandum ut alumni indigenæ quam plurimi ad Seminaria mittantur.

At si curandum, ut alumnorum indigenarum frequentia sit unicuique vestrum quam maxima, eos præterea rite effingere atque excolere studete ad sanctitatem sacerdotali vitæ congruentem ad eumque apostolatus spiritum cum studio fraternæ salutis coniunctum, ut parati sint vel vitæ iacturam pro tribulibus civibusve suis facere. Summopere tamen interest, eos uno tempore de disciplinis

Ibidem efformentur imprimis ad sanctitatem sacerdotalem.

(1) *Matth.*, IX, 37; *Luc.*, X, 2.

Ad studia quod attinet, ne fiant breviora sed solida.

profanis ac sacris non confusam atque incompositam, non breviorem et quasi compendiariam institutionem suscipere, sed per usitatum studiorum curriculum bona doctrinarum copia instrui. Quos enim et integritate vitæ ac pietate conspicuos et ad sacra ministeria apprime aptos et peritissimos divinarum legum magistros intra Seminarii sæpta effeceritis, ii non modo apud suos, vel optimates litteratosve homines, in honore erunt, sed etiam parœciis ac diœcesibus tandem aliquando, vixdum Deo placuerit, constituendis nihil quicquam obstabit quominus auspicato præponantur. Perperam sane iudicat quisquis eiusmodi indigenas quasi inferioris generis ac retusi ingenii homines habet. Etenim diu experiundo cognitum est, populos, qui dissitas orientales australesque incolunt regiones, interdum nostris non cedere, atque etiam certare mentis acie et contendere cum his posse; quodsi in hominibus ex intima barbaria summam fere tarditatem reperias, id quasi quadam necessitate fit, cum ad cotidianas vitæ necessitates, sane exiguas, eorum intellegentiæ usus contrahatur. Cuius quidem rei si vobis licet, Venerabiles Fratres, Dilecti Filii, esse testibus, at Nos quoque fidem afferre possumus, quorum pæne ante oculos indigenæ, quotquot in urbanis conlegiis ad omne genus disciplinas instituuntur, non tam ceteris alumnis celeritate ingenii sunt pares doctrinæque fructibus, quam sæpe antecedunt ac præstant. Est præterea cur sacerdotes indigenas ne patiamini inferiore veluti loco haberi et humilioribus ministeriis addici, quasi non eodem ipsi, ac missionales vestri, sacerdotio potiantur, aut non sint eiusdem omnino apostolatus participes; quin etiam eos in oculis ferte, ut qui conditis vestro sudore ac labore Ecclesiis futurisque catholicorum communitatibus præesse aliquando debeant. Quamobrem europæos inter et indigenas missionales nihil esto dicriminis nullusque disiunctionis terminus intercedito, sed alteri cum alteris reverentia et caritate copulentur.

Porro, sic efformati, non tantum apud suos, vel optimates litteratosve homines in honore erunt, sed et parœcias et diœceses aliquando regere poterunt.

Non sunt enim inferioris generis, et alioquin eodem sacerdotio potiuntur quam missionales et ejusdem apostolatus sunt participes.

*Religiosæ* pariter ex utroque sexu *sodalitates* indigenæ sunt instituendæ.

Quod autem, ut supra monuimus, ad ordinandam in populis vestris Ecclesiam Christi, omnia, ex quibus ipsa divino consilio conflatur, elementa adhiberi necesse est, ex hoc consequitur, in potioribus officii vestri partibus eam numerari, ut religiosas ex utroque sexu sodalitates indigenas instituatis: quos enim novos Christi asseclas superno Deus afflatu tetigerit atque ad altiora impulerit, quidni iidem consilia evangelica profiteantur? In quo ne

missionales, ne religiosas feminas, in ipso agro vestro laborantes, Instituti cuiusque sui caritas, honesta sane ac recta, plus æquo abripiat atque a latiore rerum comprehensione detineat. Si qui enim indigenæ sunt, qui in veteres Sodalitates cooptari cupiant, modo ad imbibendos earum spiritus et non degenerem dissimilemve in regionibus suis subolem gignendam apti videantur, eos a consilio dehortari atque ab re prohibere nefas esto; verumtamen integre religioseque consideretis, utrumnam expediat, novas potius condi Sodalitates, quæ cum ingenio studiisque indigenarum et cum locorum rerumque condicione aptius cohæreant.

Necessitas multiplicandi *numerum catechistarum.*

Nec alia de re silendum, quæ ad evangelii propagationem permagni referat: quantum scilicet proderit, catechistarum multiplicari numerum — sive ex europæis, sive, potius, ex indigenis deligantur — qui missionalibus operam navent suam, catechumenos potissimum erudiendo et ad baptismum comparando: quos quidem catechistas quales esse oporteat, ut non tam verbo quam vitæ exemplo infideles ad Christum alliciant, dicere vix attinet. At vobis, Venerabiles Fratres, Dilecti Filii, certum decretumque sit, eos accurate instituere, ut doctrinam catholicam calleant, et, cum eam proponent atque explanabunt, ad mentem intellegentiamque auditorum accommodare se sciant: quod facturi eo commodius sunt, quo indigenarum naturam interius perspexerint.

In missionum territoria *vita contemplativæ consuetudo*, conditis cœnobiis, inducatur vel latius provehatur.

De adlectis adlegendisve laborum vestrorum consortibus cum usque adhuc locuti simus, unum hoc in genere restat ut studiosæ voluntati vestræ insinuetur: quod si quidem ad effectum deducatur, censemus fidei ocius dilatandæ esse haud mediocriter profuturum. Quanti equidem contemplativam Nos vitam, quam vocant, faciamus, testis satis superque est Constitutio illa Apostolica, qua legem Cartusiensis Ordinis propriam, pontificali inde ab initio auctoritate probatam, altero ante anno, post exactam ad Codicis canones emendationem, Apostolicæ confirmationis robore perlibenter munivimus. Austerior sane ista vitæ contemplativæ consuetudo ut in Missionum territoria, conditis cœnobiis, inducatur latiusve provehatur, summos horum Ordinum moderatores, quemadmodum Nosmet impense adhortamur, sic vos, Venerabiles Fratres, Dilecti Filii, opportune importune rogando, curatote; solitarii enim ii viri mirum quantum cælestium gratiarum vobis laboribusque vestris conciliabunt. Atque

dubitare non licet quin eiusmodi monachi locum opportunum apud vos nanciscantur, cum incolæ, alicubi potissimum, etsi maximam partem ethnici, natura sint ad solitudinem et ad orandum contemplandumque proclives.

Exemplum Cist. reform. de Trappa in vicariatu Pekinensi.

Qua in re animo obversatur Nostro magnum illud cœnobium, quod Cistercienses Reformati de Trappa in vicariatu apostolico Pekinensi condidere; ubi centum fere monachi, quorum plerique Sinenses, perfectissimarum exercitatione virtutum, assiduitate precum, vitæ asperitate laborisque tolerantia, ut Dei numen sibi et infidelibns placando propitiandoque demerentur, ita hos ipsos, per exempli efficacitatem, Christo lucrifaciunt. Unde luce clarius apparet, anachoretas nostros, lege ac spiritu Conditoris sui prorsus incolumi nullamque vitæ actionem experiundo, posse haud parum momenti ad prosperiorem sacrarum legationum exitum cotidie afferre. Quodsi Ordinum id genus gubernatores vestris postulationibus morem gesserint et sedes suorum, ubicumque de communi consilio placuerit, collocaverint, rem fecerint et tantæ ethnicorum multitudini imprimis salutarem et Nobis, ultra quam credibile est, acceptam et gratam.

*Monita* ad meliorem missionum temperationem.

Iam ad nonnulla, Venerabiles Fratres, Dilecti Filii, gradum faciamus, quæ ad meliorem Missionum temperationem pertinent: quo in genere si qua proximus decessor Noster haud dissimilia dudum docuit ac monuit, idcirco ea iterare placet, quia magno fore ad fructuosam apostolatus exercitationem præsidio iure meritoque censemus.

Nulla pars territorii ab evangelii prædicatione vacet.

Itaque cum catholici inter ethnicos apostolatus magnam partem in vos recidat exitus, res aptius volumus a vobis ordinari, ut facilior posthac ad christianæ sapientiæ propagationem pateat aditus et numerus eorum augeatur quibus ea feliciter collucet. Sacros igitur præcones ita vobis cordi sit dispertire, ut nulla territorii pars ab evangelii prædicatione vacet et in aliud tempus excolenda reservetur. Quare longius, per mansiones, procedite, missionalibus in aliquo loco, quasi quodam centro, constituendis, quem locum minores undique stationes circumstent, uni saltem catechistæ commissæ et sacrâ ædiculâ auctæ, quas missionales e sede media identidem, stato scilicet tempore, ministerii causa, adeant atque invisant.

Exemplum divini Magistri,

Meminerint interea evangelii præcones, haud secus sibi ad indigenas accedendum, ac Divinus Magister cum

populo in terris se gessit. Qui, ante quam turbas doceret, ægros sanare consueverat : *Omnes male habentes curavit ;* (1) *Et secuti sunt eum multi et curavit eos omnes ;* (2) *Misertus est eis, et curavit languidos eorum.* (3) Atque id ipsum, facta potestate, Apostolis imperavit : *Et in quamcumque civitatem intraveritis... curate infirmos, qui in illa sunt, et dicite illis : appropinquavit in vos regnum Dei ;* (4) *Egressi autem circuibant per castella evangalizantes et curantes ubique.* (5) Ne obliviscantur quidem missionales, quam se Iesus benignum amabilemque infantibus puerisque præberet : quos cum discipuli increpuissent, præcepit ne ad ipsum venire prohiberent. (6) Ad rem id commemorare libet, quod alias diximus : missionales nimirum, qui Deum infidelibus prædicant, probe nosse, in iis quoque regionibus — ut facile caritatis officiis capiuntur humana corda — quisquis publicam valetudinem curat ægrotantibusque medetur, quisquis infantibus ac pueris blanditur, hunc profecto hominum sibi benevolentiam studiumque conciliare.

qui ægros sanare consueverat, qui pueris benignus et amabilis se præbebat.

Atque ut ad ea quæ modo attigimus redeamus, si iis in locis, ubi sedem domiciliumque ipsorum vestrum, Venerabiles Fratres, Dilecti Filii, constitueritis, itemque in amplioribus ob incolarum numerum stationibus, domum Dei et cetera Missionis ædificia latius patere opus est, vitandum tamen, ne sumptuosa magnique pretii aut templa aut ædificia excitentur, quasi cathedrales ædes et episcopales domus futuris diœcesibus comparatæ ; hæc suo quidem tempore commodius. Numne ignoratis, in certis quibusdam diœcesibus iam pridem canonice erectis, templa eiusmodi ac domicilia aut paulo ante fuisse exstructa aut in præsenti exstrui ? Nec recte ac provide aut in principem aliquam stationem aut in eum, quem incolitis ipsimet, locum instituta atque opera coguntur ac veluti conglobantur, quæcumque bonum animorum ac corporum tuentur ; nam si magni sint momenti ac ponderis, iam vestram vel missionalium vindicare adeo sibi præsentiam ac sollicitudinem possunt, ut saluberrima

Vitanda quædam in organisatione missionum, tum quoad templa ac ædificia, tum quoad congeriem operum in una statione principi.

(1) *Matth.*, VIII, 16.
(2) *Matth.*, XII, 15.
(3) *Matth.*, XIV, 14.
(4) *Luc.*, X, 8-9.
(5) *Luc.*, IX, 6.
(6) *Matth.*, XIX, 13-14.

totius territorii, evangelii causa, lustratio gradatim remittat ac desinat. Quoniam vero horum operum mentio huc incidit, præter hospitia vel conclavia ægris curandis remediisve diribendis, et litterarios elementorum ludos — quæ quidem instituta nusquam desiderari patiemini — præstat, iis qui ex pueris excesserint, nisi agrorum cultionem suscipiant, ad altiores disciplinas vel ad operosas præsertim artes, in scholis per vos conditis, aditum fieri. Atque hoc loco hortamur, ne optimates regionis, eorumque subolem, neglegatis. Esto quidem, ab humilioribus e plebe verbum Dei ejusque præcones facilius admitti ; esto, Jesum Christum de se testificatum esse : *Spiritus Domini..... evangelizare pauperibus misit me* (1). Sed, præterquam quod debemus illud Pauli ante oculos habere propositum : *Sapientibus debitor sum* (2), usu atque experientia præterea docemur, primoribus civitatis ad Christi religionem semel traductis, tenuiores e populo eorum vestigiis facile ingredi.

Quænam opera præsertim curanda.

Ne negligantur optimates regionum.

Quod autem postremo occurrit, id, Venerabiles Fratres, Dilecti Fillii, ut est gravissimum, pro cognito ac perspecto, quo flagratis, religionis animarumque salutis studio, piis accipite animis atque ad prompte obtemperandum compositis. Territoria ea quidem, quorum curam navitati Apostolica Sedes vestræ demandavit ut ea Christo Domino adiungeretis, cum sint plerumque amplissima, fieri interdum potest, ut missionalium ex Institutis cuiusque vestris longe inferior sit numerus quam necessitas postulet. Ne igitur dubitetis, quemadmodum in diœcesi rite constituta solent Episcopo alii ex alia Sodalitate aut clericali aut laicali religiosi viri, aliæ ex alia Congregatione Sorores, adesse atque auxiliari, ita in propagationem christianæ Fidei, ad institutionem iuventutis indigenæ, ad ceteras huiusmodi utilitates promovendas, laborum socios advocare atque adsciscere religiosos sodales ac missionales qui e vestro sodalicio non sint, sive ii sacerdotio potiantur, sive ad laicalia, quæ vocant, Instituta pertineant. Sancte quidem glorientur Ordines ac Congregationes religiosæ cum de sibi data ad ethnicos populos missione, tum de partis ad hunc diem Christi regno accessionibus ; at meminerint, se territoria Missio-

Ubi necesse laborum socii ex aliis sodalitiis advocandi sunt.

(1) *Luc.*, IV, 18.
(2) *Rom.*, I, 14.

num non iure quodam proprio ac perpetuo accepisse, sed ad Apostolicæ Sedis nutum habere, cui propterea et ius et officium incumbit rectæ et plenæ eorum cultioni prospiciendi. Nec igitur Romanus Pontifex apostolico muneri hoc unice satisfaciat si territoria maioris minorisve magnitudinis alia inter alia Instituta distribuat ; sed — quod pluris interest — nullo non tempore omnique sua cura providere debet, ut ea ipsa Instituta tot missionales ac, potissimum, tales in regiones sibi creditas dimittant, qui his, qua late patent, christianæ veritatis luce complendis abunde sufficiant atque efficacem dent operam. Quoniam vero Divinus Pastor gregem suum requiret de manu Nostra, quotiescumque necessarium vel opportunius utiliusque ad proferendos Ecclesiæ sanctæ fines videbitur, territoria Missionum cum de altera in alteram Sodalitatem transferre, tum iterum iterumque partiri, et clero indigenæ aliisve Sodalitatibus novos vicariatus ac præfecturas committere neutiquam cunctabimur.

Territoria missionum data sunt ordinibus et congregationibus religiosis ad nutum s. Sedis, quæ supremam curam et directionem conservat.

Iam reliquum non est, nisi ut vos omnes, Venerabiles Fratres, quotquot per catholicum orbem pastoralis muneris et sollicitudines et solacia Nobiscum participatis, denuo hortemur, velitis iis, quas diximus, artibus præsidiisque sacras, Missiones adiuvare, ut eædem, quasi quadam renovatione virium, messem in posterum afferant multo uberiorem. Communibus autem benigne adrideat faveatque cœptis sanctissima Regina Apostolorum Maria, quæ, cum homines universos in Calvaria habuerit materno animo suo commendatos, non minus eos fovet ac diligit, qui se fuisse ab Christo Iesu redemptos ignorant, quam qui ipsius redemptionis beneficiis fruuntur feliciter.

Exhortatio finalis ad missiones juvandas, quibus faveat Maria Apostolorum regina.

Cælestium interea donorum auspicem paternæque benevolentiæ Nostræ testem, vobis Venerabiles Fratres, et clero populoque vestro, apostolicam benedictionem peramanter impertimus.

Benedictio apostolica.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum die XXVIII mensis Februarii anno MDCCCCXXVI, Pontificatus Nostri quinto.

**PIUS PP. XI**

# RESPONSA

## ad quæstiones in conferentiis mensis decembris propositas.

—

### I.

### Interpretatio Psalmi LXXXI.

Q. *Interpretare Psalmum LXXXI :* Deus stetit in medio deorum.

R. *Adjuncta generalia* quæ Psalmo supponuntur sat facile determinantur (1).

Qui inferiorem locum in societate Israëlitica occupant multum patiendum habent a classibus superioribus. Violenter ab ipsis opprimuntur, nec valent ab eorum impugnationibus jus suum defendere. Judices enim, quorum esset justitiam vindicare, munus illud suum eximium pervertunt, indigna acceptione personarum potentioribus ditioribusque faventes. Et jam diu durat miser ille status.

Quare Psalmista, quo causam miserorum agat oppressoresque eorum redarguat :

*In Iª stropha*, ficta quadam theophania, Deum repræsentat quasi stantem in medio judicum illorum iniquo-

---

(1) Immerito quidam Psalmum interpretantur quasi directum contra reges et principes gentiles qui populum Israël opprimerent ; tales enim Psalmista nec deos nec filios Excelsi vocaret, vv. 1 et 6 ; cæteroquin non intelligitur ex cujusnam manibus ii principes pauperem eripiendum haberent, v. 4. — Nec magis arridet deos intelligi angelos ; in hos enim non quadrant ea quæ vv. 2-4 de mala eorum administratione dicerentur. — Obvie intelligimus Psalmum de quadam epocha historiæ Israëliticæ, in qua satis generaliter exercitium justitiæ corruptum existebat. — Quæ autem ulterius dici possent ad determinandam pressius illam epocham, fundamento carere videntur : nimis enim generalis est descriptio Psalmi nimisque frequenter potuerunt hujusmodi adjuncta decursu historiæ verificari.

rum, v. 1, crimenque eorum ipsis exprobrantem, vv. 2-46.

V. 1. Deus describitur, tamquam judex omnium supremus, adstans in medio judicum et judicium exercens. Judices autem illos Psalmista vocat deos, denominatione non insolita (1), et ob rationem obviam : quia nimirum munus aliquod divinum exercent, regere et gubernare alios et justitiam vindicare.

Deus adstat in cœtu deorum (2),
in medio deorum judicium exercet :

Vv. 2-4. Accusatio Dei adversus judices illos iniquos v. 2, eorumque campellatio ut munus suum erga afflictos et oppressos debito modo exerceant, vv. 3-4. — Quam intolerabilis sit hæc oppressio Psalmista in lucem ponit ipsa accumulatione vocabulorum ad miseros illos designandos.

« Usquequo judicabitis inique,
et personam impiorum accipietis (3) ?

Tribuite jus tenui et orphano,
miserum et egenum justificate !

Eripite tenuem et pauperem,
de manu impiorum liberate *eos* » (4) !

*In II^a stropha* conscium se ostendit Psalmista inutilitatis monitionis divinæ, v. 5, judicibusque iniquis minatur dignam punitionem Deumque ut eamdem exsequatur precatur, vv. 6-8.

---

(1) Cfr *Exod.*, XXI, 6 ; XXII, 8 ; *Ps.* LVII, 2 ; *Jo.*, X, 35.

(2) Textus hebr. habet : in cœtu *Dei*, quod significare potest : in cœtu divino, cui Deus præest ; sed sic haberetur in v. 1^a tautologia : *Deus* adstat in cœtu *Dei*, et deficeret parallelismus, cum v. 1^b. Unde vel *Dei* est singulare collectivum, vel cum versionibus legendum est : *deorum*.

(3) Ipsum vocabulum quo inchoatur : *Usquequo*, ostendit jam diu durare miserum illum statum. — *Personam impiorum accipere* idem est ac : spreta justitia, ob potentiam vel divitias illorum oppressorum, ipsis favere. — Vocantur *impii* non quod sint gentiles vel idololatræ, sed quia leges divinas sicque ipsum Deum nihili faciunt.

(4) Tenues vocantur, i. e. parvuli hujus mundi ; orphani. i. e. omni ope destituti ; miseri, pauperes et egeni.

V. 5. Describit Psalmista (1) hebetudinem moralem judicum iniquorum : munus suum ignorant nec intelligunt ; spreto lumine veritatis et conscientiæ suæ, in tenebris ambulant, indeque totus ordo socialis in periculo versatur ne ruat ; jus enim et justitia, et integritas et impartialitas judicum sunt hujus mundi fundamenta : porro hæc vacillant !

Nesciunt neque intelligunt, in tenebris ambu-
[lant ;
vacillant omnia fundamenta terræ.

Vv. 6-7. Minatur Psalmista (2) punitionem adventuram. Equidem, sic ait, munus vestrum divinum est ; vos vocavi (cfr v. 1) deos et filios Excelsi ; sed hac vestra præcelsa dignitate invita, sicut reliqui vulgares homines morte corripiemini, imo, sicut dæmones cadetis, de thronis altissimis in ignobilitatem detrusi !

Ego dixi : Dii estis
et filii Excelsi, omnes ; —
vos autem sicut homines moriemini
et sicut unus (*sicut quivis*) de dæmonibus (3)
[cadetis !

V. 8. Orat Psalmista Deum ut ipse terram judicet, id est, ut pauperes et oppressos vindicet et defendat et judi-

---

(1) Passim hæc verba v. 5 habentur ut verba Dei ; ast mira esset et violenta transitio in eadem allocutione Dei a 2ª persona, in vv. 2-4, ad 3ªm personam, in v. 5, ad eosdem judices designandos. — Melius videtur esset animadversio ipsius Psalmistæ circa inanitatem objurgationis quam, nomine Dei, in judices illos iniquos fecit in vv. 2-4.

(2) Etiam hæc verba habentur passim ut verba Dei. Sed nonne manifeste in memoriam revocant verba v. 1, ubi etiam *dii* vocati fuerant ? Nonne obvius est sensus: Equidem ego (Psalmista) dixi vos deos ! tam excelsi estis, utique ; sed nihilominus puniemini. — Hæc verba v. 5 a Jesu adhibentur in *Ev. Jo.*, x, 35.

(3) Equidem textus hebr. habet : sicut unus de principibus, i. e. sicut infimus de principibus ; sub qua expressione ss. Patres merito intelligunt diabolum ; imo probabilius textus hebr. corruptus est, et loco *sarim* (principes) legi debet *sedim* (dæmones). Non pauci hanc correctionem textualem propugnant.

ces iniquos pauperumque oppressores confundat et puniat, v. 8ª ; — nec sane, quantumvis sint isti alti et potentes, deest Deo potentia : ipse enim omnium populorum, totius mundi est dominus.

Surge, Deus, judica terram,
quoniam tu heres, *dominus* es super omnes [gentes !

A. Vander Heeren.

## II.

## De morte.

Q. *Breviter explica et proba responsum* de morte *in catechismo nostro*, l. 41, q. 4.

R. — Quæritur in catechismo, loco citato, quid credendum sit de morte, et respondetur : 1/ nemo natus mortem vitare potest ; 2/ mors tunc nobis obvenire potest, quando etiam eamdem nullatenus timemus.

Unde duplex hæc veritas *credenda* proponitur : *certitudo mortis subeundæ* ab omnibus hominibus ; *incertitudo* simul *horæ mortis*. De utraque hac veritate constat Scriptura sacra ; quare sufficiat recitare textus sacros, qui rem clare exprimunt, additis hinc inde quibusdam explicationibus.

1/ Nemo natus in hoc mundo vitare potest mortem, quæ in ipsis litteris sacris tanquam separatio corporis et animæ describitur (1).

Legem mortis in pænam peccati sic statuit Deus ab initio : « In sudore vultus tui vesceris pane, donec revertaris in terram, de qua sumptus es : quia pulvis es, et in pulverem reverteris » (2) ; sic etiam scribit s. Paulus ad

(1) Lege v. g. *I Cor.*, xv, 35 coll. *Philip.*, i, 23 ; *Jac.*, ii, 26 etc.

(2) *Gen.*, iii, 19 et recole quæ in tract. de Deo elevante disputantur de dono immortalitatis per peccatum deperdito, et adhuc in tractatu de Deo redemptore, ubi probatur Christum, utpote immunem a peccato, mori non debuisse sed libere mortuum esse, multiplices ob

romanos : « Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt » (1) ; adhuc ad hebræos : « Statutum est hominibus semel mori » (2).

Libere nihilominus disputatur inter theologos (3), num mors futura sit *physice universalis*, uti aiunt ; aliis verbis, num ultima generatio a lege mortis excipienda sit, quod aperte docere videtur Apostolus (4) et ss. Patres græci plerique admittunt ; ss. Patres autem latini potius propendunt in sententiam, quæ statuit universalitatem omnimodam mortis et eamdem s. Thomas pariter propugnat (5).

Ab ea controversia abstrahit catechismus et ubi agitur de explicandis verbis symboli : « Venturus est [Christus] judicare vivos et mortuos », sic interpretatur vivos ut intelligantur ii, qui circa tempus quo mundus consummabitur adhuc vivent (6) ; non dicit eos morituros sed hoc tamen insinuare videtur et favere potius sententiæ, quæ universalitatem physicam mortis defendit (7).

Igitur ubi catechismus docet *omnes homines esse morituros* et hoc *fide divina* credendum proponit, inculcat

---

rationes, quas s. Thomas concinne proponit in *Sum. theol.*, III, q. 50, a. 1, c. ; ita et in tractatu de B. M. V. exponitur Mariam, quoniam præservatam ab omni peccato etiam originali, mori non debuisse nec mortem subiise in pænam peccati.

(1) *Rom.*, v. 12 coll. *I Cor.*, xv, 22.

(2) *Hebr.*, ix, 27 coll. *Job*, xxx, 23 ; *Ps.* lxxxviii, 49 et *Eccli.*, viii, 8.

(3) Quæstionem hanc latius expositam videsis apud Corluy, *Spicilegium dogmatico-biblicum*, I, p. 332 s., Gandavi, 1884 vel apud Lahousse, *De Deo creante et elevante*, n. 290 s., p. 517 s., Brugis, 1904 ; cfr etiam *Collat. Brugen.*, II, p. 611 s.

(4) Cfr *I Thess.*, iv, 12-17 et *I Cor.*, xv, 51 s. ; ad hoc autem testimonium adverte textum græcum primigenium.

(5) Ita *Sum. theol.*, III, suppl., q. 78, a. 1, coll. q. 74, a. 8 necnon I-II, q. 81, a. 3, ad 1 et *Quæst. disp. de malo*, q. 4, a. 6, ad 1.

(6) Ita in lect. 10, ad 7.

(7) Hanc sententiam etiam proponit *Catech. conc. trid. ad parochos*, P. I, ad explic. symboli, art. 11, n. 6 (ed. Desclée, p. 98 s.).

omnes homines *per se* esse morti subjectos. De eadem veritate ceterum experientia quotidiana constat, adeoque fides christiana naturalis etiam rationis argumento confirmari potest.

2/ Quod spectat *incertitudinem horæ mortis* observa prius : catechismus non dicit neminem posse unquam prævidere se mox esse moriturum, sed potius in hac veritate insistit, quam ipse Christus sæpius instanter docuit, mortem scilicet imprævisam plerumque rapere homines.

Testimonia sacra sunt omnino aperta : « Vigilate itaque, quia nescitis diem, neque horam » (1) ; « et vos estote parati, quia qua hora non putatis, Filius hominis veniet » (2).

Ad vigilantiam itaque hortatur Dominus, quoniam mors plerumque hominibus obvenit, quando de eadem minime cogitant, licet etiam multis signis præmoniti fuerint, uti quotidiana experientia rursus confirmatur.

Eamdem doctrinam sæpius proponunt ss. Patres, qui hac occasione simul rationes expendunt, *cur Deus homines horam mortis latere voluerit*, nimirum ut hæc incertitudo homines a peccati libidine refrænaret, pertinaciam eorum in peccatis persistendi frangeret, eosque ad bona opera solerter quovis tempore perficienda incitaret (3) ; multum etiam insistunt in necessitate bonæ mortis, quoniam homo *semel* tantum moritur, itaque morte status viæ seu tempus merendi et demerendi definitive terminatur (4).

H. Lamiroy.

---

(1) *Mt.*, xxv, 13 coll. xxiv, 42 s.

(2) *Lc.*, xii, 40, coll. v. 19 s. et *Apoc.*, iii, 3 ; *Jac.*, iv, 13 etc.

(3) Ita v. g. s. Gregorius magnus, *In evang. hom.* xiii, 6 (MPL, LXXVI, 1126) et cfr B. Jungmann, *De novissimis*, n. 4, p. 4, Tornaci, 1871.

(4) Cfr Jungmann, *o. c.*, n. 7, p. 9 s., ubi testimonia quædam reperies et adverte non posse itaque admitti metempsychosim seu transmigrationem animarum, quem errorem antiquum renovavit theosophismus adstruens reincarnationes successivas, uti notatur apud *Collat. Brugen.*, XX, p. 491, ad decretum s. Officii, diei 16 julii 1919.

## III-IV.

### De sigillo sacramentali.

Q. *Explica can. 889 § 2 et 890 § 2.*

R. Ad I^m.

Obligatione servandi sigillum, præter confessarium, tenentur quoque :

1) *Interpres*, qui pænitentis *sacramentalem* confessionem ministro sacramenti intelligibilem reddit sive verbis, sive scriptis, sive quibusvis signis. Ratio est quia sacramentalis accusatio sigillo protegitur. Ab obligatione autem servandi sigillum solus pænitens liberare potest. Ab hac autem obligatione non censetur liberare quem tanquam interpretem suæ confessionis assumit.

Naturali secreto, non autem sigillo, tenetur qui ante confessionem peccata rudis scribit ut hic postea melius confiteatur. Rudis enim ipsi extrasacramentaliter suæ conscientiæ statum aperit.

2) *Aliique omnes ad quos notitia confessionis quoquo modo pervenerit.*

a/ *Superior* a quo confessarius facultatem petit absolvendi a casu aliquo reservato. Scientia enim sacramentalis, quæ indirecte hic revelatur, sigillo protegitur. Tenetur quoque si ipse pænitens hanc facultatem pro confessario petit. Proteguntur etiam litteræ quibus facultas petitur. Quare, qui eas casu et inculpabiliter legit, sigillo tenetur. Qui vero eas culpabiliter legerit, eo ipso jam sigillum violavit.

b/ *Quicumque a confessario consulitur, cum pœnitentis licentia.* Communicatur enim ipsi scientia *sacramentalis*, quæ sigillo protegitur. Porro, uti dictum est, ab hac lege sigilli solus pænitens liberare potest. Non autem ab ea liberari censetur doctor cui confessarius, consilii petendi causa, scientiam sacramentalem communicat. Licentia pænitentis per se hoc non importat. Licentia tamen col-

loquendi de sacramentali scientia tam diu durare præsumitur, quam diu judicium sacramentale nondum est perfectum.

Qui ab ipso pænitente consulitur in ordine ad confessionem quam instituturus est, non tenetur lege *sigilli*, non enim ipsi communicatur scientia *sacramentaliter*. At si pænitens exponeret apud confessarium statum suæ consciëntiæ, ut paucis postea et magnis lineis suam accusationem resumeret in ordine ad absolutionem, confessarius sigillo obstringeretur : colloquium enim illud habet rationem confessionis *inchoatæ*.

c/ *Quicumque casu, quantumvis sine culpa, audit aliquid de actuali confessione quam pænitens instituit.* Qui vero consulto aures erigit ut aliquid de accusatione sacramentali percipiat, jam contra sigillum peccat. Et non obstat pænitentem ob aliquam necessitatem vel angustias aut ex inadvertentia alta voce locutum esse, ita ut multi confessionem ejus perceperint ; dummodo non constet ipsum consulto, ad confusionem suam, *publicam* voluisse confessionem instituere.

d/ *Omnes quibus aliquid directe vel indirecte, culpabiliter vel inculpabiliter, de scientia sacramentali communicatum est*, sive a confessario, sive a superiore de quo supra, sive a viro quem confessarius adivit consilii petendi causa, sive ab eo qui aliquid de confessione pænitentis percepit. Scientia enim sacramentalis sigillo tegitur. Uti dicit Génicot-Salsmans : « res in confessione manifestata onus sigilli annexum habet, quod onus prius afficit rem ipsam et deinde personam ; quare res semper cum eodem onere transit » (1).

e/ *Qui scriptam confessionem invenit*, sigillo tenetur si charta probabiliter a *confessario* deperdita est. Est enim hæc amissio, ex parte confessarii, revelatio scientiæ sacramentalis. Non autem sigillo protegitur charta quam ipse pænitens sive ante sive post confessionem amittit. Sic

---

(1) *Institutiones theologiæ moralis*, ed. 8a (1920), n. 384.

enim ipse pænitens *extrasacramentaliter* statum conscientiæ suæ revelat (1). Manifestum est res quæ in tali charta scriptæ sunt, secreto naturali protegi.

Ad IIm.

Decreto « Sanctissimus », 26 maii 1593, Clemens VIII statuit: « § 4 Tam superiores pro tempore existentes, quam confessarii, qui ad superioritatis gradum fuerint promoti, caveant diligentissime, ne ea notitia, quam de aliorum peccatis in confessione habuerunt, ad exteriorem gubernationem utantur » (2). Decretum pro superioribus regularibus editum erat, et initio maxima pars theologorum ad solos superiores *religiosos* hujusmodi usum scientiæ sacramentalis restrinxit (3). At paulisper, inde a sæculo XVII, opinio magis severa prævalere cœpit, et in novo codice juris de *omni* superiore statuitur : « Tam superiores pro tempore existentes, quam confessarii qui postea superiores fuerint renuntiati, notitia quam de peccatis in confessione habuerint, ad exteriorem gubernationem nullo modo uti possunt » (can. 890 § 2).

Ratio cur id prohibeatur habetur in can. 890 § 1, quem supra (4) explicavimus : « Omnino prohibitus est confessario usus scientiæ ex confessione acquisitæ cum gravamine pænitentis, excluso etiam quovis revelationis periculo ». Ceterum, uti dicit Cl. Aquaviva in sua instructione anni 1594 ad superiores societatis Jesu : « ita prorsus in omnibus casibus nostri se gerant confessarii ac si in confessione nihil penitus audivissent sibique persuadeant, ut humanarum rerum regimen ab hoc sacramento longissime distat, ita debere nullatenus ab eo pendere » (5).

---

(1) Sunt qui dicunt chartam, in qua peccata *peractæ* confessionis scripta continentur, esse veluti permanentem confessionem, at hæc ratio quæ passim datur parum firma nobis videtur. Cfr Vermeersch, *Theologia moralis*, III, n. 507.

(2) *Bullarium*, IV, p. 68.

(3) Lege Honoré, L. (S. J.), *Le secret sacramentel*, 1924, p. 81 ss.

(4) Cfr *Collat. Brugen.*, XXII (1925), p. 391 ss.

(5) *Institutum S. J.*, Avenione, 1838, t. VII, p. 252.

Usus scientiæ sacramentalis *non fit licitus eo quod pænitens non advertat superiorem hac scientia uti* Ad rem Lugo hæc scribit : « Unde obiter adverte, ad hoc non requiri quod pænitens sciat id [læsio in honore, muneribus, officiis etc.] fieri occasione confessionis ; nam, si revera fiat ea occasione, licet id pænitens ignoret, redderet confessionem maxime difficilem : si enim antecedenter pænitens sciret, posse confessarium uti illa notitia occulte contra pænitentem, retardaretur non minus, sed potius magis, a confessione peccati, quam si sciat, posse illum tale aliquid facere, advertente ipso pænitente : magis enim lædunt illa, quorum causam ignoramus quam illa, quorum causas scimus, quibus facilius possumus adhibere remedium per causam contrariam » (1).

Illæsa lege de usu scientiæ sacramentalis cum gravamine pænitentis, uti possunt superiores scientia sua *extrasacramentali* ad gubernationem domus, puta ad compescendos delinquentes ; attamen, ad vitandas conscientiæ anxietates, imo et suspiciones malas et sacrilegia, præstat ut superiores munus confessarii in sua domo non exerceant. Quare sapienter statuit can. 891 : « Magister novitiorum ejusque socius, superior seminarii collegiive sacramentales confessiones suorum alumnorum secum in eadem domo commorantium ne audiant, nisi alumni ex gravi et urgenti causa in casibus particularibus sponte id petant ».

V. Coucke.

## V.

## De via crucis (2).

Q. *A quonam erigi potest via crucis et quibusnam in locis ?*

I. *A quonam erigi potest via crucis?*

---

(1) Lugo, *De sacr. pænit.*, disp. XXIII, sect. 5, n. 98.

(2) Cfr Mocchegiani, O. F. M., *Collectio indulgentiarum*, Quaracchi, 1897, p. 497 ss. ; Bernardinus a Portu Romatino, O. F. M., *Instructio de stationibus s. viæ crucis erigendis visitandisque*, Quaracchi, 1884 ; P. Stein, O. F. M., *Tractatus de indulgentiis lucrandis*, 1912, p. 31 ss. ; Beringer-Steinen, *Die Ablässe*, 1921 t. I, p. 330 ss., n. 681 ss.

R. Breviter: 1° auctoritas *ordinaria* erigendi stationes viæ crucis a s. Sede concessa est Ordini Fratrum Minorum. 2° Extranei vero ab hoc ordine, nullam prorsus habent auctoritatem erigendi viam crucis, nisi hæc per speciale indultum eis *delegata* fuerit vel a s. Sede vel a superiore generali Ordinis Minorum.

*Explicatur.*

1° Facultas erigendi vias crucis, quæ evidenter tamquam ordinaria et suprema residet in Romano Pontifice, a s. Sede concessa fuit religiosis subditis ministro generali Fratrum Minorum tam de Observantia quam Reformatorum, et quidem privative quoad alios quoscumque. Adeoque prohibetur aliis eas erigere et si aliter erigantur, christifideles indulgentiis minime gaudent (1).

Erigi nequeunt nisi a superioribus locorum prædicti ordinis, vel ex eorum commissione ab alio religioso ejusdem ordinis, qui tamen sit aut concionator aut confessarius approbatus (2).

Adverte igitur reliquos franciscanos, Conventuales scilicet et Capuccinos, non habere ullam potestatem circa viam crucis nisi quæ ipsis fuerit delegata.

2° Hæc tamen facultas extraneis ab Ordine Minorum generosa manu delegatur sive a s. Sede sive a Generali Fratrum Minorum.

Ita s. Sedes in novo Codice concedit *cardinalibus* et *episcopis* facultatem erigendi in ecclesiis et oratoriis etiam privatis aliisque piis locis, stationes V. C., cum hac tantum differentia quod cardinales hanc facultatem exercere

---

(1) Cfr *Monita* [*Clementis XII*] *necessaria ad recte ordinandum devotum exercitium viæ crucis*. S. C. Indulg. 3 aprilis 1731. *Decr. auth.*, n. 100. *Monitum 1m*. Ratio historica cur huic ordini talis potestas ordinaria concessa fuerit est quia Fratribus Minoribus inde ab anno 1312 custodia locorum sacrorum in Terra Sancta commissa fuit, et quia ipsi maxime allaborarunt ad inducendas aut spargendas stationes V. C. in Europa. Beringer, *o. c.*, t. I, p. 331, n. 681.

(2) *Ibid.*, *Monitum 2m*.

possunt « sub unica benedictione », episcopi vero « ritibus ab Ecclesia præscriptis » uti debent (1).

Similiter superior generalis Fratrum Minorum communicare potest per totum orbem facultatem erigendi V. C. extraneis sacerdotibus sive sœcularibus sive regularibus (2). Hæc autem delegatio in scriptis fieri debet sub pœna nullitatis (3). — Ita v. g. sodalibus *Unionis apostolicæ sacerdotum sœcularium ss. Cordis Jesu* (*Omnia pro Jesu*, uti apud nos vulgo appellatur), 10 julii 1920 *ad decennium*, ex concessione Generalis O. M., data est facultas benedicendi et erigendi sacras V. C stationes, prævia Ordinariorum licentia, in locis ubi conventus O. M. non habentur, vel etiam in magnis civitatibus (supra 100.000 oppidanorum) ubi prædicti conventus habentur (4).

Imo tum s. Sedes tum Generalis Fratrum Minorum aliquibus extraneis ab Ordine Minorum, præsertim locorum Ordinariis, vicariis apostolicis, missionum exterarum præsidibus etc. concedere solent *auctoritatem subdelegandi*, seu committendi subditis viæ crucis erectionem : hæc

---

(1) Can. 239, § 1, 6° et can. 349 § 1, 1°. Hæc facultas circa V. C., quum non sit de potestate ordinaria episcopi, sed quum potius sit favor ipsi personaliter tributus, non est communis episcopo et vicariis suis generalibus, quamvis hi unam personam moralem efficiant cum illo, saltem quoad jurisdictionem ordinariam. Cfr decr. S. C. Indulg. 24 maii 1843, *Decr. auth.*, n. 321. Sed neque hanc facultatem saltem habitualiter communicare potest episcopus presbyteris suæ ditionis. Cfr decr. s. Pœnitentiariæ, 18 julii 1919. *Acta Apost. Sedis*, t. XI, 1919, p. 332. Latior tamen interpretatio expectanda videbatur juxta decretum s. Officii 17 dec. 1898. *Acta s. Sedis*, t. XXXI, p. 384.

(2) Superiores autem inferiores Minorum, scil. provinciales, locales, guardiani, præsidentes. præfecti missionum possunt tantum delegare ad erigendas vias crucis religiosos sacerdotes sui ordinis sibi subditos (decr. S. C. Indulg. 26 sept. 1892, ad I, *Acta s. Sedis*, t. XXV , p. 347), dummodo sint aut concionatores aut confessarii approbati. Hæc delegatio in scriptis fieri debet sub pœna nullitatis. (Decr. S. C. Indulg, 3 aug. 1748, *Decr. auth.*, n. 175).

(3) Cfr decr. S. C. Indulg. 3 aug. 1748, *Decr. auth.*, n. 175. Directio (adres) R^mi Generalis O. M. : Collegio di s. Antonio, Via Merulana Roma.

(4) Cfr *Summarium indulgentiarum Unionis apostolicæ*.

iterum *subdelegatio* seu commissio in scriptis sub pœna nullitatis fieri debet (1).

Ita s. Sedes rescripto 5 martii 1874 contulit superioribus provincialibus *Capuccinorum* facultatem erigendi in ecclesiis sui ordinis et in adnexis oratoriis viam crucis, cum potestate subdelegandi superiores locales (2).

Similiter s. Sedes *Nuntiis* tribuit facultatem « erigendi sacras stationes V. C. ..... cum potestate communicandi hujusmodi facultatem ecclesiasticis viris pro suo prudenti arbitrio ; sub lege tamen et conditione ut hæc facultas [subdelegata] non exerceatur ubi cœnobia adsint religiosorum, qui ex apostolica concessione ejusmodi privilegio gaudent » (3). — Item s. Congregatio de Propaganda Fide *Ordinariis in terris missionum* procurare solet facultatem erigendi pium exercitium V. C. ritu ab Ecclesia præscripto cum facultate subdelegandi (4).

Quando alicui episcopo data est « facultas ab Apostolica Sede [aut etiam a Generali O. M.] subdelegandi etiam parochos indiscriminatim ad effectum erigendi stationes V. C. in ecclesiis etc., idem episcopus potest subdelegare quemvis parochum, non modo in sua respective parochia, sed in qualibet ecclesia parochiali etc. prout in Domino opportunum judicaverit » (5).

*Nota*. Quum hæc facultas delegata tota quanta pendeat ab indulto impetrato adeoque terminis ejus limitetur ac coarctetur, stricte standum erit his terminis ne erectio V. C. periculo nullitatis exponatur. Jam autem duo præcipue quoad exercitium hujus facultatis (6) imponi solent in rescripto, nimirum :

---

(1) Cfr decr. supra citatum, *Decr. auth.* n. 175, et decr. S. C. Indulg. 6 aug. 1890, ad II, *Acta s. Sedis*, t. XXIII, p. 350.

(2) Cfr *Bullarium O. F. M. Cap.* t. X, p. 669, cit. apud P. Hubertus O. M. C., *Leer en praktijk der aflaten*, p. 91 sq.

(3) Cfr *Facultates Nuntiorum* n. 27, apud J. Creusen, *Epitome juris canonici*, t. I, n. 715.

(4) Cfr J. Creusen, *o. c.*, I, n. 718, formula secunda minor, n. 21, et n. 720, formula tertia minor, n. 31.

(5) Decr. S. C. Indulg. 23 sept. 1839, *Decr. auth.*, n. 276.

(6) Quoad loca in quibus V. C. erigi potest, vide alteram partem hujus responsi.

1. Sacerdos qui obtinuit ab Apostolica Sede [vel a Generali O. M. (1)] facultatem erigendi stationes V. C., debet eam exhibere Ordinario (2), non tamen sub pœna nullitatis (3).

2. Sacerdotes extranei Ordini Minorum delegati ad viam crucis erigendam, ea facultate uti possunt tantum in iis locis ubi non existit aliquis conventus Fratrum Minorum (4), et hæc quidem limitatio apponitur sub pœna nullitatis. Per hæc autem « loca » intelligendum est civitas, oppidum, pagus cum respectivis suburbiis, sive locis eis adjacentibus, non vero parœcia, vel universa diœcesis, aut alia quælibet diœcesis sectio seu pars (5).

II. *Ubinam erigi potest via crucis?*

R. — « Stationes V. C. juxta primævas concessiones erigi tantum poterant in ecclesiis piisque locis Ordini Minorum Observantium subjectis, atque indulgentiis fruebantur [eæ tantum] personæ quæ eidem ordini erant addictæ. Tractu tamen temporis ad omnes christifideles, qui in ecclesiis piisque locis prædicti ordinis tam sanctæ devotioni vacarent, indulgentiarum concessio extensa fuit ». Tandem Pius IX, decreto s. Congregationis Indulgentiarum 14 maji 1871, indulsit ut erectio stationum V. C., sublata limitatione supra enuntiata, ubique in ecclesiis piisque locis fieri possit, salva tamen privativa

---

(1) Mocchegiani, *o. c.*, p. 530, n. 1190; Beringer-Steinen, *o. c.*, t. I, p. 336, n. 700.

(2) Decr. S. C. Indulg., 5 febr. 1841, ad II, *Decr. auth.*, n. 286. Fratres Minores autem, qui jure ordinario habent hanc facultatem, non debent eam Ordinario exhibere. Beringer-Steinen, *o. c.*, t. X, p. 336, n. 700.

(3) Mocchegiani, *o. c.*, p. 531, n. 1190.

(4) In facultatibus quæ a Generali O. M. accipiuntur sic sonat clausula restrictiva: « volumus autem ut hæc facultas pro iis dumtaxat locis valeat, ubi conventus nostri seraphici ordinis desunt aut Fratres nostri eo commode vocari non possunt ». Beringer-Steinen, *o. c.*, t. I, p. 335, n. 696.

(5) Decr. S. C. Indulg. 14 dec. 1857, *Decr. auth.*, n. 382. Adverte iterum quod præsentia alicujus conventus *Conventualium* aut *Capuccinorum* non restringit facultatem delegatam de qua in textu.

seu exclusiva facultate Ordini Minorum concessa in peragenda erectione V. C. (1).

Jam autem quoad *loca :* Fratribus Minoribus facultas competit erigendi viam crucis (2) :

*a*/ in ecclesiis, publicis et semipublicis oratoriis, cœmeteriis, aliisque locis publicis, etiam sub dio, ut in mœniis cœnobiorum, clivis montium, viridariis, religiosorum nemoribus ;

*b*/ in oratoriis internis aliisque locis decentibus sed communibus (3) conventuum, monasteriorum, seminariorum, hospitalium, conservatoriorum (4) aliorumque locorum piorum ;

*c*/ in oratoriis privatis seu domesticis, quæ privilegio inibi celebrandi missam sunt ditata (5).

Excipiuntur ergo oratoria privata seu domestica prædicto privilegio destituta, destinata tantum ad orandum, necnon cellæ item privatæ seu domesticæ, tum sœcularium, tum religiosorum et religiosarum. Pro erectione V. C. in hujusmodi locis requiritur speciale indultum Apostolicæ Sedis, quæ tamen ordinarie remittit preces ad Generalem O. M. cum facultatibus necessariis et opportunis.

Quicumque autem facultatem *delegatam* accipit erigendi

---

(1) Decr. S. C. Indulg. 13 maji 1871. *Decr. auth.*, n. 429.

(2) Cfr Mocchegiani, *o. c.*, p. 524 sq., n. 1178 sq., 1181. Stein, *o. c.*, p. 32.

(3) Inter hæc loca veniunt etiam ambulacra (quæ aliquando *dormitoria* vocantur), dummodo sint decentia, profano usui non obnoxia, nec incompositis rumoribus subjecta. Cfr rescriptum Pii IX, 15 martii 1852, *Rescr. auth.*, n. 375. — Dormitoria vero proprii nominis, ubi scilicet revera dormiunt pueri vel puellæ, infirmi vel senes etc., v. g. in conservatoriis, in hospitalibus, perfugiis etc., sunt loca profano usui subjecta et pro stationibus V. C. indecentia. Cfr Mocchegiani, *o. c.*, p. 525 sq., n. 1181. Sat severa est s. Sedes quoad illam decentiam requisitam, uti constat ex decreto S. C. Indulg. 4 aug. 1767, *Decr. auth.*, n. 236, coll. Beringer-Steinen, *o. c.*, t. I, p. 332, nota (4).

(4) « Conservatorium » est omne institutum servandis educandisque puellis deputatum. Cfr Vermeersch, *De jubilæo 1925*, p. 37.

(5) In his oratoriis non tantum minister generalis O. M. sicut olim

V. C., sive a s. Sede (1), sive a Generali O. M., (2), stricte stare debet terminis sui rescripti quod spectat loca inibi determinata (3).

*Nota.* 1. In uno eodemque loco pio, præsertim in conventibus, monasteriis, conservatoriis, hospitalibus etc., plures constitui possunt stationes V. C. Erigi nimirum possunt tum in ecclesia, tum etiam in choro, in novitiatu, in infirmaria, capellis, aliisque locis internis, dummodo sint communia, decentia ac irreverentiis minime obnoxia (4).

2. « Ubi via crucis erigi vellet extra ecclesiam, curandum erit semper ut ea ab ecclesia aut loco sacro ducat initium, vel usque ad ecclesiam vel sacrum locum finem habeat » (5).

A. Legrand.

---

putabatur, sed etiam ceteri superiores Ordinis Minorum erigere possunt stationes V. C., cum facultate ad id delegandi proprios subditos. Mocchegiani, p. 524 sq., n. 1178.

(1) Vide supra exempla allata.

(2) « Minister generalis O. M. sacerdotibus sibi non subjectis concedere solet facultatem erigendi stationes V. C. in ecclesiis, aut publicis [vel et semipublicis] oratoriis, aut cœmeteriis aut aliis locis publicis; vel præterea in oratoriis privatis, apostolico tamen brevi erectis [ubi missa celebrari potest]; vel demum in conservatoriis et aliis locis piis, quamvis indulto celebrandi missam non munitis ». Mocchegiani, *o. c.*, p. 528, n. 1185. In facultate facta sacerdotibus *Unionis apostolicæ*, loca non determinantur : unde interpretanda videtur juxta communem concessionem modo recitatam.

(3) Ita ubi in indulto terminus est : *in publicis ecclesiis*, excluduntur a facultate non tantum oratoria privata, sed etiam semi-publica. Cfr decr. s. C. Indulg. 12 martii 1855 ad I; *Decr. auth.*, n. 365.

(4) Mocchegiani, *o. c.*, p. 519, n. 1168. — Imo « in eadem ecclesia... ad majorem populi commoditatem utile erit duas vias crucis erigere, unam nempe pro viris, alteram vero pro feminis ». *Monitum* 4m. *Decr. auth.*, n. 100.

(5) *Monitum* 3m, quod ita pergit: « et omnino attendatur ut ædiculæ cancellis tutentur, ne homines vel animalia in eas ingredi queant, utque tam memoratæ ædiculæ quam cruces collocentur in locis irreverentiis minime obnoxiis; quod si in decursu temporis loca, in quibus erectæ fuerint, minus decentia evaderent, superiorum erit eas interdicere super quo eorum conscientiæ stricte onerantur ». *Ibidem.*

## VI.

Q. *Titius domicilium habens in parœcia S^i Antonii in civitate Bruxellensi, sepulcrum majorum possidet in quadam parœcia prope civitatem Lovaniensem ; subito moritur dum ambulat in littore maris in civitate Ostendana ; familia autem ejus curat ut cadaver tranferatur et exsequiæ fiant in parœcia S^æ Walburgæ in civitaie Brugensi. — Nitens doctrina de portione paræciali supra exposita* (1) *indica*, an, quid *et* quare *parochus S^æ Walburgæ solvere debeat parocho sive domicilii defuncti, sive loci ubi habet sepulcrum majorum, sive loci ubi mors accidit.*

R. Nullus titulus datur ob quem prædictæ exsequiæ *legitime* fieri possent in ecclesia S^æ Walburgæ. Etenim, non adest *titulus domicilii* nec quasi-domicilii, cum defunctus domicilium Bruxellis habeat, nec in quæstione proponitur eum habere quasi-domicilium in civitate Brugensi ; nec *titulus electionis*, cum, ut supponitur, subito mortuus sit nec antea de eligenda funeris ecclesia cogitaverit ; nec titulus *præsumptæ electionis* fundatæ in præsentia *sepulcri majorum*, cum illud in parœcia prope civitatem Lovaniensem possideat ; nec titulus oriens ex *facto decessus* in loco extra propriam paræciam sito, a quo simul commode transferri non potest ad ecclesiam propriam, cum mortuus sit in civitate Ostendana et non Brugensi.

Illegitime proinde familia exsequias exigit persolvendas in ecclesia S^æ Walburgæ. Et ideo parochus hujus loci nullum titulum habens ad funebria peragenda ministerium suum recusare debet. Quodsi nihilominus ad majora mala vitanda voluntati familiæ morem gerere velit, prius consensum Ordinarii exquirere debet (2).

Obtenta autem licentia, ad exsequias procedere potest, sed *omnia* emolumenta tunc parocho proprio, qui in casu

---

(1) Cfr *Collat. Brugen.*, t. XXV, p. 322 et 398.
(2) Cfr *Conc. Mechl. IV*, decr. n. 216, 7°.

est parochus Bruxellensis, detractis impensis necessariis cedere debet (1). Nec quæstio fit de portione parœciali illi parocho solvenda, nam, ut supra diximus, conditio primaria ut illa solvi debeat est ut ecclesia funerans exsequias alieno parœciano legitime procuraverit (2).

Nihil solvere tenetur parocho Ostendano seu loci ubi mors accidit, quia de facto familia jure suo usa non est ad ibidem petenda funera.

Nec parocho sepulcri majorum est solvenda portio quia quarta funeralis supponit *proprium* defuncti parochum (3).

J. Brys.

(1) Cfr *ibidem*.

(2) Cfr *Collat. Brugen.*, *t.* XXV, p. 324.

(3) Notandum tamen venit quod scribit Claeys-Bouuaert, in *Collat. Gandav.*, t. X., p. 94 : « Possessio sepulcri majorum involvit electionis præsumptionem. Si ergo *tumulatio* in hoc sepulcro facienda est (vi can. 1229, § 1) vel revera fit (vi can. 1218, § 3), hæredes obstare nequeunt, ne ibi *funus* etiam fiat. Quodsi nihilominus obstent, parochus sepulcri majorum jus habet, non quidem ad portionem parœcialem, sed ad compensationem pro damno quod passus est. Quæ compensatio, deficiente juris communis statuto, determinanda est ab Ordinarii sententia ; juxta circumstantias solvenda videtur sive ab hæredibus, sive a parocho funerante, sive ab utrisque ».

# RESPONSA

## ad quæstiones in conferentiis mensis januarii propositas.

—

### I.

### Psalmus LXXXVI.

Q. Interpretare Psalmum LXXXVI : *Fundamenta ejus in montibus sanctis...* (1).

R. Argumentum generale hujus Psalmi, quantumvis meritò inter obscuriores computandi, nihilominus facile patet : cantatur dilectio Dei pro sua civitate Jerusalem hujusque civitatis gloria per accessum variarum nationum ut Dominum agnoscant et civitatis incolæ fiant.

Non pauci interpretes hodierni, post quosdam veteres, Psalmo assignant tempora Ezechiæ regis : sub hoc enim rege miro modo adaucta fuit gloria civitatis, per insignem ejusdem liberationem a Sennacherib et Assyriis ; præterea sub hoc rege agnitio et cultus Domini apud exteras regiones multum increvit : « Multi (extranei, ut patet ex fine hujus textus) deferebant hostias et sacrificia Domino in Jerusalem, et munera Ezechiæ regi Judæ, qui exaltatus est post hæc coram cunctis gentibus » (2) ; et tandem, ut novimus ex Isaïa et ex IV Reg., Ezechias revera amicas habuit relationes cum variis populis in v. 4 enumeratis (3). — Huic interpretationi litterali Psalmi, addunt interpretes catholici interpretationem mysticam, quate-

---

(1) Cfr *Collat. Brugen.*, t. IX, a. 1904, pp. 77 ss., et opera ibidem citata, quibus adde : Zorell in *Zeitschrift für Katholischen Theologie*, t. XXX, a. 1906, pp. 761 ss. et *Rev. Eccl. de Liège*, 1906-07, pp. 176 ss.

(2) *II Par.*, xxxii, 23.

(3) Cfr *Collat. Brugen.*, *l. c.*, p. 79, *nota* (4) ; — Lesêtre, *Le Livre des Psaumes*, 1883, p. 411.

nus prophetice descriptus fuerit accessus omnium populorum ad Jerusalem cælestem, id est ad Ecclesiam Christi : unde dicunt Psalmum esse messianicum in sensu typico.

Minus tamen placet hæc historica interpretatio : num enim sub Ezechia verificatum fuit extraneos illos fuisse populo Dei aggregatos, ita ut, suscepta Judæorum religione, eorum concives fierent ? Præterea nonne Psalmus obvio sensu intellectus proclamat, non accessum quorumdam tantum hominum, sed ingentis multitudinis, imo integrarum et omnium nationum ? Et hoc sane iterum nec tempore Ezechiæ nec ullo alio tempore historiæ judaicæ evenit.

Unde præplacet interpretatio qua Psalmus intelligitur ut messianicus in sensu litterali, describens populos gentiles versus Sion ascendentes et, Deum verum agnoscentes, populo Israël, id est Ecclesiæ Christi, per Sion figuratæ, adscriptos. — Miro modo convenit Psalmus cum eis quæ leguntur apud Isaïam, II, 2 ss. et LVI, 3 ss.

**Textus Psalmi** sic describi (1), dividi et explicari potest :

*1ª stropha* alloquitur Psalmista civitatem Jerusalem : Insigni amore te prosequitur Deus, et præclara de te prædicta sunt, vv. 1-3.

1. Te, fundationem suam in montibus sanctis,
   diligit Dominus portas tuas Sion (2),
2. super omnia habitacula Jacob.
   Gloriosa dicuntur de te, civitas Dei !

In hisce vv. alloquitur Psalmista civitatem Jerusalem ; eam vocat fundationem Dei, utpote quam revera Dominus fundaverat in montibus Sion et Moria, montibus sanctis. Dominus diligit eam, diligit portas Sion, i. e., per synecdochen, totam civitatem, super omnia habitacula Jacob, plus quam omnes reliquas civitates Israël. — Et

(1) Vertimus ex t. hebr., notando paucas correctiones textuales eidem allatas.

(2) *Fundationem suam* et *portas tuas* sunt duo coordinata objecta verbi *diligit*. — *Portas tuas, o Sion*, litteraliter : *Portas Sion* ; eodem modo Ps. LXXXIII, 3 : *in atria Domini* = *in atria tua, Domine*.

magnitudo amoris divini demonstratur per gloriosas prædictiones quæ de hac civitate sua Deus edixit.

IIª stropha recitat illam ipsius Dei prædictionem præclaram.

4. « Adnumerabo Rahab et Babylon scientibus [me (1) ;
« ecce Philistæa (2) et Tyrus et populus (3) [Ethiopiæ,
« iste natus est ibi (4) ;
5. « et de Sion dicetur : Homo et homo (5) natus est in ea » !

Verba sunt Dei præsagientis. Veniet tempus quo Rahab, i. e. Ægyptii et Babylonii recensebuntur inter numerum eorum qui scient et colent verum Deum ; item Philistæi et incolæ Tyri et Ethiopes, quantumvis ad diversas nationes pertineant, nihilominus habebuntur qua nati in Sion, qua cives Jerusalem ; et imo de Jerusalem dicetur hominem et hominem, i. e. innumeros homines ex omnibus populis, qua cives ad eam pertinere.

— Quibus verbis prædicitur vocatio omnium gentium ad Ecclesiam Christi. Ægyptus enim ad occidentem terræ sanctæ, Babylon ad orientem, Philistæa et Tyrus ad septentrionem, Æthiopia ad meridiem obvie ponuntur qua typice repræsentantes omnes gentes ; quod cæteroquin brevi formula dicitur in fine : homo et homo, i. e. omnes populi.

---

(1) Sensu haud differt Vulg. : Memor ero Rahab et Babylonis *tamquum* scientium me.

(2) *Philistæa* ; vocabulum hebr. vertit LXX et exinde Vulg. per *alienigenæ*.

(3) *Populus Æthiopiæ*, hebr. : *cum Æthiopia* ; sed *populus* et *cum* hebraice quoad consonantes idem sunt : *'am* et *'im*.

(4) *Iste*, hebr. *zè* : litteraliter refertur ad *populum* Æthiopiæ, realiter vero ad omnes populos enumeratos.

(5) *Homo et homo* : forma superlativi, ad designandam multitudinem vel universitatem hominum. — Cæteroquin *homo* ponitur hîc pro *populo*, ut patet tum ex enumeratione populorum in vers. præcedenti, tum ex IIIª stropha ubi Dominus catalogo inscribit populos.

**IIIa stropha.** Utique Deus illud aliquando verificabit, ad gaudium omnium populorum.

Utique Ipse efficiet illud (1), Altissimus (3),
6. Dominus scribet, in recensendo populos :
« Iste natus est ibi ».
7. Et cantantes et saltantes *dicent* omnes : Habi-
[tatio (2) mea in te *est !*

Verbum a se prædictum (stropha II) exsecutioni mandabit Altissimus ; quod jam valde poëtice describitur, quasi nempe Dominus librum scriberet seu catalógum in quo recenset omnes populos cum origine et patria sua, et in hoc catalogo, tamquam incolas Jerusalem, enumerat istum et istum — quorum nomina sunt lectori mente supplenda — populum : omnes populos, sic significans omnes istos ad populum Dei pertinere. — Quod gaudio replet omnes illos populos : in cantu et choreis celebrant se cives esse Jerusalem.

A. Vander Heeren.

## II.

## De judicio particulari.

Q. *Quid tenendum est et quonam assensu de judicio particulari post mortem ?*

R. — Oportet sedulo distinguere primo *judicium discussionis,* quo causa dijudicanda disputatur, seu processus accusationis et defensionis præcedens sententiam

---

(1) *Efficiet illud* ; hebr. habetur suffixum femininum, adeoque efficiet *illam* ; ast notum est femininum sæpe adhiberi pro neutro, quo Hebræi carent ; ergo Deus efficiet *illud,* illud nempe quod statim supra promisit.

(2) *Habitatio mea,* hebr. : *fontes mei,* textus qui videtur corruptus et facile corrigitur in vocabulum aliud quod vertitur : habitatio mea, prout legunt versiones.

(3) In Vulg. hæc verba, quæ junguntur cum præcedentibus, essent ratio quare Deus gloriosa illa de Jerusalem prædixerit : est enim civitas ab Ipso ædificata. — Sed sic esset, in tam parvo Psalmo, inanis repetitio v. 1a ; et rumperetur æqualis extensio trium stropharum.

pronuntiandam, recte cognita causa ; deinde ipsum judicium *retributionis*, uti vocatur, quo fertur sententia remunerativa vel punitiva, nam de hoc imprimis heic agitur. Revelatione enim constat de lata tali sententia pro unoquoque hominum statim post mortem, et hoc vocare possumus *factum* judicii particularis ; constat adhuc *de exsecutione immediata* sententiæ judicialis, sed non ita liquet *de modo* quo judicium privatum obtinet, ideoque de hoc breviter tantum proponemus, quæ theologi communiter docent, et ita quædam tamen dicemus de judicio discussionis, quod in prædicationibus plerumque describunt.

1/ Quamquam nullibi *in litteris sacris* explicite nominatur hoc judicium particulare (1), nihilominus *factum judicii singularis* absque ullo dubio colligitur ex multis Scripturæ sacræ testimoniis, ut puta ex parabola de Lazaro mendico et divite nequam (2), vel ex adhortationibus ad vigilantiam, quas in præcedenti responsione indicavimus (3) ; adhuc ex sequenti textu, quo constat hominem post mortem præmiari vel puniri secundum merita vel demerita : « Facile est coram Deo, in die obitus retribuere unicuique secundum vias suas » (4).

Iisdem testimoniis satis liquet *de exsecutione immediata* sententiæ judicialis ; secus non intelligitur quomodo dives epulo rogare queat ut fratres ipsius moneantur.

Plurima pariter testimonia *in traditione orali* reperire licet, quæ clare omnino loquuntur de præmio recipiendo vel pæna luenda *statim* post mortem (5) ; in aliis quibus-

---

(1) *Hebr.*, IX, 27 : « Statutum est hominibus semel mori, post hoc autem judicium », videtur potius respicere judicium universale ; sæpius tamen accommodatur hoc testimonium ad judicium particulare, etiam apud ss. Patres.

(2) *Lc.*, XVI, 19 s.

(3) Recole v. g. testimonium *Lc.*, XII, 37 s.

(4) *Eccli.*, XI, 28.

(5) Cfr TERTULLIANUS, *De anima*, 58 (MPL, II, 751) ; ORIGENES, *De principiis*, I. Præf. 5 (MPG, XI, 118) ; S. EPIPHANIUS, *Adv. hæres. panar.*,

dam textibus, ut puta s. Hilarii, s. Basilii, s. Joannis chrysostomi et s. Augustini, aperte etiam de judicio particulari dicitur (1). Sufficiat hæc præclara verba s. doctoris hipponensis recitare : « Illud quoque rectissime et valde salubriter credit judicari animas cum de corporibus exierint, antequam veniant ad illud judicium, quo eas oportet jam redditis corporibus judicari ; atque in ipsa in qua hic vixerunt carne torqueri sive gloriari ; hoc itane tandem ipse nesciebas ? Quis adversus evangelium tanta obstinatione mentis obsurduit, ut in illo paupere qui post mortem ablatus est in sinum Abrahæ, et in illo divite cujus in inferno cruciatus exponitur, ista non audiat vel audita non credat ? ».

Unde *fide certum* est *dari judicium privatum* post mortem uniuscujusque, *cum exsecutione immediata :* quod fidelibus prædicandum multum inculcat catechismus concilii tridentini ad parochos (2). Adverte adhuc eamdem doctrinam contineri implicite in variis Ecclesiæ definitionibus, in quibus asseritur animas justorum perfecte puras ad visionem Dei intuitivam admitti statim, imperfecte puras ad purgatorium destinari, dum impiorum animæ ad infernum detruduntur (3).

Plures etiam *rationes convenientiæ* assignat s. Thomas cur judicium singulare debeatur homini, in quantum

---

LXXV, 8 (MPG, XLII, 513) ; s. AUGUSTINUS, *In Jo. evang.*, XLIX, 10 (MPL, XXXV, 1751) ; *Enchir.*, 109 (MPL, XL, 283) ; GENNADIUS, *Lib. eccl. dogm.*, 45 (MPL, LVIII, 998) ; s. CÆSARIUS ARELAT., *Sermo* CCCI, 5 (MPL, XXXIX, 2323) ; s. GREGORIUS MAGNUS, *Dialog.*, IV, 28 (MPL, LXXVII, 365).

(1) S. HILARIUS, *Tract. super Ps.*, II, 49 (MPL, IX, 290) ; s. BASILIUS, *In Ps. hom.* VII, 2 (MPG, XXIX, 232) ; s. JOANNES CHRYS., *In I Cor. hom.* XLII, 3 (MPG, LXI, 367 ; s. AUGUSTINUS, *De anima*, II, 4, 8 (MPL, XLIV, 498).

(2) *Catechismus conc. trid.*, P. I, ad explicationem symboli, a. 7, n. 3 (ed. Desclée, p. 64 s.).

(3) Cfr *Conc. ludg. II*, œcum. XIV, *Profess. fidei (Enchir.*, n. 464) ; BENEDICTUS XII, *Constitutio* « Benedictus Deus », 29 jan. 1336 (*Enchir.*, n. 530) ; *Conc. florent.*, œcum. XVII, *Decretum pro græcis (Enchir.* n. 693).

nimirum est singularis quædam persona, dum judicium universale debetur ipsi secundum quod est membrum totius generis humani. « Nec tamen Deus judicabit bis in idipsum, quia non duas pænas pro uno peccato inferet, sed pæna quæ ante judicium [universale] complete inflicta non fuerat, in ultimo judicio complebitur, postquam impii cruciabuntur quoad corpus et animam simul » (1).

2/ Quod *modum* vero attinet, quo judicium particulare obtinet, prius observa *judicium discussionis* supra descriptum non nisi *metaphorice* sumendum esse, cum Deo nuda sint atque aperta quæcumque ad causam uniuscujusque pertinent, nec Ipse indigeat testimoniis.

Quæ itaque a ss. Patribus dicuntur quandoque de angelo custode advocati et de diabolo accusatoris partes agentibus, hac de causa proferuntur ut divinum judicium *humano modo* propositum fideles melius intelligant et vividius expavescant.

Ipsa *prolatio sententiæ judicialis* obtinet, uti videtur, per intellectualem locutionem seu illuminationem, qua statim cognoscit anima se damnari vel salvari aut ad locum purgationis destinari, et hoc quidem imperio et efficientia non solum Dei sed etiam Christi hominis, cui Pater « omne judicium dedit » (2).

Ergo nec animæ judicandæ deferuntur ad cœlum, nec Christus descendit ad judicandum illas, sed probabilius *eodem momento et loco* quo mors accidit, unusquisque a Deo illuminatus sortem suam plene percipit.

Unde rursus quæ apud ss. Patres interdum leguntur, animas scilicet deduci ab angelis et malignis spiritibus ad judicem, potius sapiunt figuratam repræsentationem judicii ; attamen cum doctrina fidei cohæret omnino ut

---

(1) *Sum. theol.*, III suppl., q. 88, a. 1, ad 1 et cfr *Contra gentiles*, IV, 91. — Eamdem doctrinam breviter contrahit *Catech. conc. trid.*, *l. c.*, ad 4.

(2) *Jo.*, v, 22.

dicamus homini morienti adesse angelum custodem (1) et eidem doctrinæ plane consonum est adesse etiam malignum. Quamobrem quamvis judicium non fiat humano modo, nec præsertim Deus indigeat angelo et diabolo, alternantibus testibus, nihilominus præsentia hæc spirituum, qui de sorte hominis valde solliciti sunt, velut in quoddam objectivum testimonium haberi potest (2).

Quare juvat hæc in fine notare : ex dictis de modo judicii singularis præpostere ne concludatur jam hæc omnia, quæ modum vulgarem et popularem judicii concipiendi sapiunt, penitus esse omittenda, ubi de judicio privato prædicandum venit ; exemplo contra ss. Patrum edocemur ut ad captum audientium ea exponamus, adeoque sæpius licet, imo oportet, separatim et successive describere quæ simul in instanti accidunt, vel adhuc quædam aliquantisper evolvere fas est, secundum solidum utique fundamentum, quod in revelatione habent. Eo minus erit periculi in hac methodo adhibenda, quo perfectius cognoscetur quidnam præcise fide certum sit, non tantum ut hoc rite exponatur, sed adhuc ut credendum nihil doceatur, quod ad fidem non certo vel et nullatenus pertinet.

H. Lamiroy.

## III.

## De modo observandi festa.

Q. *Quænam in specie, diebus feriatis, prohibentur opera forensia necnon commercii ?*

R. Quamquam opera quæ dicuntur forensia, fori scilicet sive judicialis sive mercatus, non sint proprie servilia,

(1) Cfr *Collat. Brugen.*, XXVI, p. 61 s.

(2) Hæc vel similia reperies apud omnes libros manuales theologiæ, qui sequuntur communiter Suarezium et cfr B. Jungmann, *De novissimis*, n. 15, p. 18 s., Tornaci, 1871 ; C. Mazzella, *De Deo creante*, n. 1406 s., p. 978 s., Romæ, 1880² ; C. Pesch, *De novissimis*, n. 577 s., p. 272 s., Frib. Br., 1899 ; Lahousse, *De Deo creante et elevante*, n. 276 s., p. 526 s., Brugis, 1904.

eas tamen actiones in genere prohibitas voluit Ecclesia: « quia licet non sint serviles nec mechanicæ, sed ad cognitionem et conventum humanum ordinatæ, prohibentur tamen propter jurgia et dissensionem, et sæcularem distractionem quam secum afferunt; unde quietem et vacationem in die festo intentam maxime impedirent » (1).

Porro, ut refert canon 1248 jam supra citatus, abstinendum est: « ab operibus servilibus, actibus forensibus, itemque, nisi aliud ferant legitimæ consuetudines aut peculiaria indulta, publico mercatu, nundinis, aliisque publicis emptionibus et venditionibus ».

*a*/ Itaque diebus feriatis (2) prohibentur primo *actus judiciales* fori tum civilis tum ecclesiastici: illi nempe quos concomitat sic dictus *strepitus judicialis*. Scilicet his diebus « citationes intimare, audientias habere, partes et testes excutere, probationes assumere, decreta et sententias ferre, denuntiare et exsequi vetitum est, nisi necessitas, christiana caritas, aut bonum publicum aliud postulent » (3).

Non ergo prohibentur actus qui a strepitu judiciali alieni sunt; « ita licet partibus consulere causidicum aut inquirere testes, causidico parare defensionem, judici studere causis audiendis vel auditis; item licet sine judicii strepitu ferre censuram; item absolvere a censura, absolvere, dispensare, conferre beneficia etc. » (4).

*b*/ Insuper vetatur *mercatus publicus*, seu publica negotiatio quæ in foro vel in alio loco publico peragitur singula hebdomada aut imo singula die in magnis civitatibus;

---

(1) SUAREZ, *De virtute et statu religionis*, tract. 2, lib. 2, c. 29, n. 1.

(2) Inter feriatos dies computantur etiam, pro tribunalibus ecclesiasticis, tres ultimi dies hebdomadæ sanctæ.

(3) Canon 1639. Notetur actus judiciales fori ecclesiastici, hic prohibitos, non tantum illicitos sed et invalidos esse; actus vero prohibitos fori civilis validos manere ex hac parte, nisi leges civiles alicujus regionis illos positive irritent. Cfr MATTHÆUM A CORONATA, *De locis et temporibus sacris*, n. 293.

(4) DIGNANT, *De virtute religionis*, n. 292.

simul cum *nundinis*, quæ nempe singulo anno semel aut quandoque pluries celebrantur : nisi tamen legitima consuetudo aut particularia indulta rem permittant. Jamvero quoad nundinas, universalis certe consuetudo eas licitas reddit (1). Quod autem mercatus hebdomadarios attinet, apud nos feriali die communissime fiunt ; et si quandoque dies fixa sit festum de præcepto, transferri aut præveniri consueverunt. Ubi tamen secus est, populus ex consuetudine aut etiam ex necessitate excusatur. Hoc ultimum applica, in magnis civitatibus, mercatui quotidiano ; necnon mori pluribus in locis inolito vendendi in foro diebus dominicis, saltem per aliquot horas, illa quibus rusticani indigere solent, necnon alia plura.

c/ Tandem, prohibentur per se *aliæ publicæ emptiones et venditiones*. Privatæ quidem licitæ manent transactiones hujusmodi ; sic « licite venduntur et emuntur domus, equi, boves aliæque merces, sive præsentes sive absentes, sive in parva sive in magna quantitate, etiamsi in hoc notabile tempus impendatur, dummodo hæc fiant inter privatos » (2).

Publicæ autem videntur hic dicendæ primo emptiones-venditiones in officinis mercatorum (3) ; verum apud nos consuetudine licent, quamvis apprime conandum foret ut ad mensuram necessitatis tantum ineantur. A fortiori publicæ sunt hæ emptiones et venditiones quæ sub hasta

---

(1) Restrictiones plures quæ celebrationi nundinarum et mercatui dominicali apponuntur apud *Statuta Diœcesis Brugensis*, p. 163 s. consuetudine contraria variis in locis abrogatæ videntur, quamvis res dolenda sit.

(2) GURY, *Compendium theol. mor.*, I, n. 356. Hoc utique intelligendum est *per se* ; aliis verbis, nisi contraria proborum consuetudo aut communis æstimatio in aliquo loco rem illicitam jam reddiderit.

(3) Cfr VERMEERSCH et CREUSEN, *Epitome juris canonici*, II, n. 360 : « Aliæ publicæ emptiones et venditiones sunt certo auctiones, hastæ. Videntur esse quoque, per se, emptiones-venditiones in publicis officinis..... In non paucis locis exigebatur ut, in signum reverentiæ, officinæ semi-clausæ manerent ; qui pius usus inculcandus est ». — In eumdem sensum cfr MATTHÆUM A CORONATA, *l. c.*

fiunt, scil. per auctiones clamorosas in loco publico sive etiam in officina mercatorum. Quid tamen consuetudo rursus hic introduxerit, quisque singulo in loco videat (1).

Tandem, utrum notarii de jure communi instrumenta sua, puta venditionum privatarum, locationum, testamentorum, his diebus conficere possint, affirmandum videtur, seclusa consuetudine contraria : quamvis enim de contractibus solemnibus hic agatur, coram auctoritate publica initis, inde tamen stricte publicæ non evadunt hujusmodi conventiones, in sensu Codicis canonici (2).

*d*/ Gravitas autem transgressionis, in hac materia, minus a tempore impenso pendet quam a modo agendi et a qualitate seu momento operis. Præter scandalum enim, quod hic facile mortalem reatum constituit, gravis objective foret malitia contra præceptum Ecclesiæ si causa judicialis diebus prohibitis publice ageretur sine proportionata ratione ; aut etiam, ad mentem s. Alphonsi (3), si omnino publice et cum magna solemnitate fieret prohibita venditio rei magni momenti, etiam brevi tantum tempore.

## IV.

Q. *Explica quatenus excusent a labore prohibito, diebus feriatis*, a/ *cultus Dei*, b/ *bonum publicum*, c/ *necessitas propria aut aliena, et speciatim caritas erga pauperes aut ecclesias indigentes.*

R. Præter causam eximentem legitimæ dispensationis, quam ex canone 1245 etiam parochi concedere queunt, variæ causæ excusantes in præsenti materia ad aliquam

---

(1) Testatur Gury, *l. c.*, in quibusdam locis ex consuetudine tolerari publicas venditiones sub hasta, diebus dominicis, peractis divinis Officiis, quia aliis diebus pauciores essent concurrentes.

(2) Cfr Vermeersch et Creusen, *l. c.* — S. Alphonsus, *Theol. mor.*, I, n. 287 testatur suo tempore doctrinam communiorem esse oppositam ; rem tamen ex consuetudine tunc licere.

(3) *Ibid.*, n. 307.

impotentiam sive absolutam sive relativam reducuntur, quæ quidem erit ordinis temporalis aut spiritualis. In qua impotentia determinanda seu potius demetanda, consuetudo rursus fidelium in pluribus casibus usuveniet. Claritatis autem gratia, species diversas causarum excusantium in tres classes reponimus, sigillatim expendendas.

*a*/ Igitur *cultus Dei* seu pietas primum locum inter rationes has occupat, utpote qui ipse finis est præcepti de quo agitur. Nequaquam ergo prohibentur actus quibus sacerdotes externum cultum religionis Deo tribuunt, nec magis opera ministrantium sacerdotibus in ipso ritu sacro. Inde logice extenditur licentia ad ceteros actus qui proxime divino cultui inserviunt : ut campanas pulsare, organis insufflare, cruces aut vexilla gestare, altaria ipsa sive ornare sive præparare ; quæ omnia absolute licere dicenda sunt, etiamsi lucri forsan intuitu peragantur (1), et quamvis die præcedenti commode fieri potuissent.

Quæ vero non ita proxime, adhuc tamen sat propinque cultui accedunt : ut ecclesiam ornare sive mundare, hostias coquere, tabulata ad funus erigere aut ad expositionem sanctissimi Sacramenti, a peccato gravi certe sunt immunia, licet facili negotio pridie potuissent præveniri. In hoc tamen casu a culpa veniali non carent (2), theoretice loquendo ; practice tamen res a consuetudine pendet (3).

Tandem, quæ remote solummodo ad cultum spectant atque de se servilia sunt ; ut conficere ornamenta vel mappas aut cereos, construere ecclesias etc., non licent

---

(1) Illogice requirit hic Prümmer, *Manuale theol. mor.*, II, n. 492, intentionem operantis a lucro alienam ; nisi forsan alicubi mens fidelium hoc exigat.

(2) Hoc scilicet sensu quod pridie admissa fuerit negligentia culpabilis ; verum, commissa tunc culpa, inculpabiliter jam ipso die festo talia peraguntur.

(3) Affert quidem s. Alphonsus, *Theol. mor.*, l. 3, n. 292, pro suo tempore, testimonium generalis consuetudinis ea inconditionate permittentis, etiamsi pridie æque bene fieri potuerint.

ratione cultus ; utrum vero paupertas alicujus ecclesiæ sit hic ratio excusans, infra perpendemus.

*b/* Secundo, *bonum publicum* excusat sane opera servilia reipublicæ necessaria, illa nempe quæ moram non patiuntur : ut pontium viæque ferreæ restaurationem, opera militaria urgentia, v. g. sæviente aut imminente bello, laborem advehendi merces necessarias quarum sufficiens copia communitati deest, et cetera hujusmodi. Similiter occasione profanæ cujusdam solemnitatis publicæ, cum talia pertineant, ut ait s. Alphonsus (1), ad moralem aliquam reipublicæ necessitatem, die dominica licebit theatra ornare, lampades ad illuminandam civitatem disponere, machinas pyrotechnicas præparare, etc. : modo die præcedenti hæc commode expediri nequiverint ; secus enim pridie admittitur, objective loquendo, negligentia culpabilis, imo gravis in labore notabili ; nisi consuetudo hoc iterum a tanto vel forsan a toto excuset.

*c/ Necessitas propria aut aliena* frequentius adhuc causam laborandi ministrare poterit. Inde inter alios excusantur, seclusa consuetudine contraria : « 1° pauperes qui revera, nisi laborent, se suosque alere non possunt. 2° Famuli, uxores, filii, aliive subditi, metu notabilis damni sive gravis indignationis ad labores illicitos coacti. Famuli tamen qui sæpius ita coguntur, debent, in quantum sine gravi incommodo possunt, sibi alium dominum quærere. 3° Operarii utriusque sexus, per hebdomadam mercede conducti, qui in festo suas suorumve vestes resarciunt aut lavant, instrumenta reficiunt, hortulum colunt, aliaque peragunt, quæ alio tempore nec per se nec per alios facere possunt, quin debitæ suæ quieti aut sustentationi detrahant (2). Cavendum tamen ne limites necessitatis excedant et ita contrahant consuetudinem in

(1) *Ibid.*, n. 304.

(2) Idem dic de ancillis, quibus a dominis aliud tempus ad reficiendas vestes suas non conceditur ; sed et ipsæ, secluso gravi incommodo, alium famulatum sibi quærere debent, si sæpius ad laborem hujusmodi adigantur.

festis laborandi. 4° Agricolæ qui, ad damnum arcendum, fœnum aut segetes vertunt, ligant, vehunt, fructus colligunt, olera rigant etc. 5° Fabri ferrarii qui equos calceant, vomeres reducunt, instrumenta reparant, ex aliquali necessitate labori proportionata. 6° Illi quorum opus inceptum intermitti nequit sine notabili damno (1) ut coctores laterum aut calcis, conflatores ferri aut vitri. 7° Pistores qui ante festum sufficientem copiam panum conficere non possunt (2), aut recentes habere debent ut ementibus satisfaciant. 8° Sartores (aut sutores) qui laborant, urgente necessitate funeris, nuptiarum, itineris et similium; imo extra hos casus urgentiores, si ex dilatione operis notabile detrimentum oritur pro sartore : cui nempe clientes in posterum opera denegabunt, aut apud notos suos detrahent, si promissas vestes stato die non recipiant. Sed peccant sartores, quando temere promittunt vestes quas sine labore festivo perfici non posse prævident, aut quando per hebdomadam negligunt operam, aut quando tot operarios conducere nolunt quot labor consuetus requirit. Hinc facile excusantur tales si indentidem tantum, non vero si regulariter vigiliam

(1) « Attamen notandum heros officinarum teneri sub gravi ad prosequendam diebus festis eam tantum operum *partem* quam sine notabili damno interrumpere non possint. Sæpe enim omnia indiscriminatim prosequuntur eo tantum fine ut majus lucrum reportent ». Génicot-Salsmans, *Theol. mor.*, I, n. 337.

(2) Similis necessitas quandoque excusare potest laniones in occidendis animalibus ipso die festo; cf. Lehmkuhl, *Theol. mor.*, I, n. 707. — Pariter certis casibus ex aliqua necessitate labori proportionata, vel ex consuetudine quandoque « excusantur aliqui artifices qui in die festo, ad vesperam, materiam aliquo modo præparant pro labore diei sequentis, non proprium artis opus efficiendo, sed solum applicando materiam ad certum locum, vel instrumenta artis mundanda, vel quidpiam simile ». Suarez, *ib.*, c. 33, n. 14. — His adde molitores, qui die festo laborare poterunt, v. g. si opus sit farinæ, aut si quidam absque damno proportionato exspectare non possint, ut rustici ; vel etiam ne ipsi damnum patiantur propter opportunitatem venti aut aquæ amissam : in quo tamen rationabili consuetudini locorum se conformare tenentur ; cfr Ballerini-Palmieri, *Opus mor.*, II, n. 763. — Et idem dici posset de piscatoribus, circa opportunitatem certæ classis piscium certo anni tempore non amittendam.

sabbatinam in diem dominicam longe producunt. 9° Tandem quoad judicialia: sufficit ratio succurrendi pauperibus aut oppressis, præveniendi fugam aut fraudem delinquentium, vitandi expensas et itinera litigantium: quas ob causas applicari poterit art. 8. Proc. civ.: « Ils (les juges de paix) pourront juger tous les jours, même ceux de dimanches et fêtes ». Item, cum lex non sine ratione statuat causam criminalem inceptam non esse interrumpendam (a. 353 Instr. crim.), liceret etiam judicibus ac juratis die festo rem prosequi. At de facto in dominicis et festis tribunalia vacant » (1).

Præterea, ad necessitatem propriam reducitur, saltem probabiliter et practice tuto, occasio lucri non diurni tantum sed pro conditione operantis extraordinarii ; præsumitur nimirum Ecclesia præceptum suum cum tanta jactura urgere nolle.

Denique necessitas peccati vitandi, seu moralis impotentia ordinis spiritualis, consideranda venit. Otium nempe, quamvis per se solum rationem excusantem non constituat, certis tamen hominibus pro sua fragilitate periculum probabile peccati mortalis infert ; et licet theoretice loquendo piis lectionibus aut labore quodam liberali malum vitare possent, experientia tamen constat illos de facto ebrietate tunc aut malis colloquiis sive lectionibus etc. otiosum tempus terere. Quo in casu, siquidem jam ad temporale damnum notabile vitandum serviliter laborare licet, ad spiritualem gravemque jacturam fugiendam a fortiori licebit, modo scandalum satis removeatur. Et a pari addendum videtur periculum probabile peccati levis a brevi labore, v. g. per horam protracto, excusare posse secluso scandalo: utique si hoc medio culpa reapse vitetur, secus vero non vitetur. Denique proborum consuetudo aut communis æstimatio fidelium, sicubi existat, efficere potest ut jam solum otium vitandum, seu sola recreationis causa sufficiat ad

(1) Dignant, *De virtute religionis*, n. 299.

quosdam labores serviles, præsertim leviores, licite exercendos (1).

*Ratione tandem caritatis* certe licet ægrotantibus in suis necessitatibus inservire, mortuos sepelire, casu incendii aut inundationis proximo succurrere ; necnon ea servilia pro pauperibus peragere quæ ipsi pro se facere possunt, ut v. g. eorum reficere vestes. Sed quæritur an aliter adhuc liceat pro pauperibus aut ecclesiis sive locis piis, qui in communi egestate versantur, servili modo laborare, an vero gravis eorumdem requiratur ad hoc necessitas. De qua quæstione scinduntur auctores etiam moderni. Dum enim quidam, ut Bouquillon (2), Berardi (3), Dignant (4), severiorem absque restrictione tuentur sententiam, alii communius, ut Ballerini — Palmieri (5), Lehmkuhl (6), Génicot (7), Noldin (8), Cornelisse (9) sub distinctione respondent : sufficere nempe communem hic necessitatem ad vestes v. g. pro pauperibus aut ornamenta pro ecclesiis gratis conficienda, requiri vero necessitatem gravem ad serviliter laborandum intuitu mercedis postea pauperibus aut ecclesiis hujusmodi distribuendæ (10). Ut

---

(1) Talem æstimationem communem revera affert *Theol. mor. gen. mechl.*, n. 84, q. 15, cujus textum supra retulimus ; verum, utrum apud nos reapse existat, dubitari licet.

(2) *Revue des sciences ecclésiastiques*, t. XXXIV, p. 167 s.

(3) *Theol. mor.*, II, n. 587 et 588.

(4) *Loco cit.*, n. 300.

(5) *Loco cit.*, n. 751.

(6) *Op. cit.*, n. 710 et 711.

(7) *Op. cit.*, n. 336 et 337.

(8) *Theol. mor.*, II, n. 273 et 274.

(9) *Comp. theol. mor.*, I, n. 394.

(10) Gury, *o. c.*, I, n. 360 et Bucceroni, *Inst. theol. mor.*, I, n. 661 sententiæ benigniori pro pauperibus etiam patrocinantur, silent vero de ecclesiis. Aertnys autem, *Theol. mor.*, I, n. 124 et 126 sententiam severiorem pro pauperibus sequitur, benignam pro ecclesiis. Prümmer tandem, *op. cit.*, n. 496, communem necessitatem sufficere dicit modo universali, nec distinctionem facit inter diversos modos laborandi. — Ad antiquiores auctores quod attinet, sufficiat notare s. Alphonsum hic, *op. cit.*, n. 293, plures quæstiones diversasque doctorum sententias sat confuse miscere.

si quis arte sua mechanica v. g. sutoris fungeretur die festo, et pecuniam sic obtentam pauperibus elargiretur; aut si pia mulier varia objecta serviliter conficeret postea vendenda in commodum ecclesiarum indigentium. In hoc enim casu finis tantum operantis caritas est, non vero finis operis; in priore vero hypothesi finis uterque caritatem assequitur.

Stante ergo utrinque probabilitate theoretica, consuetudo aut communis æstimatio singulorum rem practice et quidem obligatorie dirimet : et sane facilius laborem quemdam leviorem aut non ita diuturnum in ordinaria necessitate permittet sensus fidelium quam arduum et valde protractum (1); similiter confectionem vestium aut ornamentorum ipsis indigentibus personis sive ecclesiis destinatorum citius admittet quam laborem intuitu mercedis ipsis postea distribuendæ.

Quamquam in certis locis faciliorem theologis se præbere potest mens communis; et in aliis contra difficiliorem, ita ut etiam concessa ab auctoribus, propter æstimationem delicti et scandalum in populi, illicita evadant (2).

E. Hosten.

## V.

## De Kerk van Belgie onder het hollandsch bewind.

### IX. Het « Collegium philosophicum »

V. *Verhaal bondig de lotgevallen van het collegium philosophicum door koning Willem I te Leuven opgericht. (1825).*

---

(1) Cfr *Theol. mor. gen. mechl.*, n. 84, q. 15: « non sunt inquietandæ personæ quæ ad pietatem fovendam die festo post officia conficerent rosaria, scapularia, imagines, flores artificiales et alia hujusmodi, pauperibus vel ecclesiæ pauperi distribuenda.... Sic enim habet communis hominum æstimatio ». — Quæ utique in singulo loco practice valent in quantum reapse mens fidelium his dictis concordet.

(2) Supponitur utique æstimationem populi manere rationabilem. In locis vero ubi nec pro nec contra opus quoddam hujusmodi mens fidelium se pronuntiaret, liceret tunc diversas sequi auctorum sententias probabiles.

A. De oprichting van een philosophisch college, waartoe een decreet van 14 Juni 1825 voorloopig beslist had, moest de kroon stellen op de antikerkelijke schoolpolitiek van koning Willem (1). Het bleek alras hoe het sinds lang in 't geheim gesmeedde plan een erge inbreuk zou zijn op het heilig recht der bisschoppen zelf hunne geestelijkheid tot het heiligdom voor te bereiden. Onder het groot verlof werd te Leuven het berucht college ingericht; het was een soort algemeen seminarie zooals in den tijd van Joseph II; daar zouden voortaan zij, die zich geroepen achtten tot het priesterschap, na hunne middelbare studien afgemaakt te hebben en alvorens in een seminarie te kunnen aanvaard worden, gedurende twee jaar onder de leiding van professors door de Regeering aangesteld, een cursus te volgen hebben, van wijsbegeerte en andere hoogere wetenschappen, maar ook van kerkrecht en kerkgeschiedenis. Het was duidelijk dat de regeering, onder voorwendsel van beter onderwijs voor de R. K. geestelijken, vooral op het oog had de invoering van de zoogenaamde verdraagzame, verlichte, gallicaansche beginselen. (2)

In de regeeringskringen was men zeer met deze plannen ingenomen: een plechtige inauguratie geschiedde te Leuven op 17 october, (3) en de koning zelf vond de nieuwe instelling gewichtig genoeg om er, bij de opening der kamers, in de troonrede van te gewagen. Hij noemde ze voor zijne katholieke onderdanen noodzakelijk, en geschikt om de wetenschappelijke vorming te geven, die in dien tijd van beschaving niet mocht ontbreken (4). De gouverneurs van hunnen kant, gehoorzamend aan een ministerieel bevel, noodigden de kerkelijke overheid uit 's konings gunst met dankbaarheid te aanvaarden. Vooral

(1) Zie hooger bl. 75.

(2) ALBERS, *Herstel* t. I, bl. 108.

(3) Omstandig beschreven in een geestdriftig relaas van P. Van Ghert aan minister Van Maanen, door P. ALBERS overgedrukt t. a. pl. bl. 115. Zie ook TERLINDEN *o. c.* t. I, p. 423, een beschrijving der inhuldiging door een student.

(4) ALBERS *t. a. pl.* bl. 118 v.

Goubeau, de referendaris Van Ghert, en minister van Maanen beijverden zich om de nieuwe instelling vooruit te helpen.

Doch de uitkomst beantwoordde niet aan de hooge verwachting : noch de troonrede, noch missiven van gouverneurs, noch zelf gevlei en schoonspreken konden de geestelijkheid voor de gehate inrichting gunstig stemmen. Men betreurde de kleinseminariën en stelde tegenover alle tyranieke maatregelen een krachtig lijdelijk verzet, hoe bitter ook de gevolgen mochten zijn (1).

Reeds dadelijk na het verschijnen der onzalige decreten, kwamen de hoofden der bisdommen in verzet ; de prins de Méan, dien de regeering zeker meende op haren kant te hebben, weigerde het hem wat laat aangeboden ambt van curator te aanvaarden en de voorgestelde regenten en leeraars goed te keuren. Op last des konings gingen daarop Goubeau en Van Ghert naar Mechelen om den aartsbisschop te overhalen, maar ook thans misten zij hun doel ; Mgr de Méan liet duidelijk verstaan dat zijn geweten hem niet toeliet in welke wijze ook zijn medewerking te verleenen aan het booze spel der regeering, en op 23 juli zond hij aan Willem I zijn *Représentations respectueuses*, waarin ten slotte werd gezegd « Wij dienen u, sire, wanneer wij den godsdienst verdedigen, die uw troon bevestigt en 4/5 uwer onderdanen daarom vereenigt » (2). De paus, Leo XII, prees het moedig optreden der kerkelijke overheid in Belgie, en vooral de standvastigheid van Mgr de Méan ; daarenboven deed Z. H. aan den nederlandschen gezant te Rome, Reinhold, een nota overreiken waarin krachtig werd geprotesteerd

(1) Het aantal seminaristen moest natuurlijk, gedurende de vijf jaren dat het Coll. phil. bestond, op ontzettende wijze verminderen. In 1825 telde het seminarie van Mechelen 363 leerlingen, dit van Gent 330, dit van Luik 350, dit van Namen 285, dit van Doornik 158 ; in 1828 waren deze getallen gevallen op 56, 140, 80, 50 en 18. DELPLACE, *o. c.* p. 151.

(2) Zie een omstandig verhaal van het verzet der geestelijkheid volgens onuitgegeven bronnen bij TERLINDEN *o. c.*, p. 375-396.

tegen de onbillikheid der besluiten van 14 juni en verklaard dat Z. H. zich *moest* verzetten en geen minnelijke schikking *kon* aanvaarden, maar wel bereid was de onderhandelingen voor een te sluiten concordaat te hervatten (1). Deze nota bleef eerst zonder gevolg; zij zette integendeel kwaad bloed bij de voorstaanders van het philosophicum. « Gij moet handelen, schreef Goubeau aan Mgr de Méan, gij alleen, en volstrekt geen leiding van Rome vragen of verwachten... De paus tusschenbeide doen komen is een omverhaling der beginselen... een aanslag op de vrijheden der *Belgische Kerk* ».

Intusschen was ook bij de beraadslaging over de staatsbegrooting op 13, 14 en 15 december 1825 het onzalig collegium philosophicum in de Kamer ter sprake gekomen. De liberalen, ook de belgische, ondersteunden het: maar scherp en vrijmoedig werd er tegen geprotesteerd door de katholieke afgevaardigden, en een ware storm brak los toen de Utrechtsche afgevaardigde, Van Utenhoven van Heemstede, het leuvensch college een weldaad noemde, die dienen moest, « om de dweepzieke geestelijkheid, in nevelen van bijgeloof verzonken, tot ware verlichting te brengen ». De strijd der kamer vond weerklank in het land en verscherpte de oppositie (2).

De regeering ging niettemin voort op den ingeslagen weg. In haren overmoed, scheen het haar niet te deeren dat de aartsbisschop weigerde curator te zijn; dat de waardige regent van het, thans afgeschafte, klein seminarie van Hageveld, C. van Bommel (den lateren

---

(1) Mgr de Mean, niet rechtstreeks met den H. Stoel kunnende handelen, had de bemiddeling gevraagd van den nuntius te Parijs, die Rome op de hoogte hield. De romeinsche congregatie, belast met de buitengewoone kerkelijke zaken, stelde de kerkelijke overheid der nederlanden volledig in 't gelijk, maande ze aan tot eensgezindheid en stelde de strenge nota op, die Z. H. aan den nederlandschen gezant deed overreiken op 14 aug. 1825; ook werd beslist bij de vreemde hoven aan te dringen, die eenigen invloed op Willem I hadden. TERLINDEN, *o. c.*, p. 396 v.

(2) ALBERS, *t. a. pl.* bl. 113, TERLINDEN, *o. c.*, p. 438.

bisschop van Luik), het hem aangeboden bestuur des colleges afwees, omdat « zijn geweten hem verbood mede te werken tot hetgeen hij als schismatiek beschouwde » ; dat schier de gansche geestelijkheid en met haar het katholieke volk de koninklijke stichting verfoeide.

Trots allen wederstand was zij overgegaan tot de benoeming van regenten en professors, die, volstrekt geen vertrouwen konden inboezemen, (1) en had de leergangen geopend op 17 october voor een honderd vijftig studenten, waarvan de groote meerderheid, zonder roeping, ofwel gedwongen, ofwel met het inzicht kosteloos onderwijs te genieten, zich hadden aangemeld. Zij was beslist kost wat kost de instelling vooruit te helpen (2).

Maar de kerkelijke overheid bleef ook in haar verzet volherden ; weldra liet zij openbaar weten dat ze wel beslist was geen leerlingen uit het philosophicum in de bisschoppelijke seminariën te aanvaarden en Rome hierover geraadpleegd had deze maatregel goedgekeurd (3).

---

(1) Bijna allen waren vreemdelingen en niet best genoteerd. De regent Michaelis, even als de twee subregenten Lamesch en Kintzelé waren Luxemburgers, een ander subregent Tirion was franschman. De professor van wijsbegeerte, Seber, was van Bonn ; de professor van geschiedenis De Greuve, een augustijn, was Amsterdammer, hij zou later apostasieeren, terwijl de eenige belg Winsinger, professor van kerkelijk recht en kerkgeschiedenis, bekend stond om zijne vijandige gevoelens tegenover de Kerk. TERLINDEN, *o. c.*, p. 425.

(2) De regeering, om leerlingen voor het philosophicum te winnen, had, benevens de maatregelen die we hooger (bl. 82) opgaven, nog andere getroffen die hier moeten vermeld : een decreet van 24 juli gat aan de leerlingen van het phil. coll. alleen vrijstelling van militie, een ander van 3 sept. behield voor de leuvensche instelling een derde der studiebeurzen, bestemd voor leerlingen van seminariën; daarbij werd, door de politie de wacht gehouden bij de bisschoppelijke seminariën, opdat soms geen leerlingen zouden aangenomen worden, die volgens de nieuwe decreten eerst te Leuven hun voorbereidende studiën moesten doen. TERLINDEN, *o. c.*, p. 369, 425 v.

(3) Te Rome had men wel de koninklijke decreten van 14 juni in 't algemeen gelaakt, doch tot nog toe was geen uitspraak gedaan geweest over het coll. phil. in 't bijzonder. Toen echter, reeds in nov. 1825, de regeering een leerling van het coll. in het seminarie van

In het noorden was het verzet niet min hevig dan bij ons : daar werd het geleid door Mgr Ciamberlini, overste der hollandsche missie, ook door van Bommel, die zich geen moeite ontzag om eenheid van handelen onder de katholieken der beide landen te bewaren ; alleen het groothertogdom Luxemburg maakte uitzondering (1). Vooral Mgr de Méan maakte zich in deze omstandigheden zeer verdienstelijk, hij liet de regeering nooit met rust, immer voort hopende dat ze de verkeerdheid harer handelwijze zou inzien ; hij verwachtte dit zooveel te meer daar hij wist, dat met september 1826, nieuwe onderhandelingen betreffende een concordaat met Rome waren aangeknoopt, en de koning, evenals zijn nieuwe gezant te Rome, de graaf de Celles, vurig wenschte tot een goed einde te komen (2).

Doch de koning wenschte ook de tot nu toe gevolgde politiek te behouden, hij hoopte zelf, door eenig toegeven te Rome, zijne maatregelen op het gebied van het onderwijs zoo niet goedgekeurd dan ten minste geduld te zien. Graaf de Celles had dan ook uitdrukkelijk verbod gekregen in onderhandeling te treden over het collegium philosophicum. Weldra echter bemerkte de gezant, dat het romeinsche hof dit college als de bron

---

Namen wilde doen aannemen, staken de bisschoppen de hoofden bijeen; ze waren eensgezind om te weigeren, maar vonden geraadzaam daarvoor Rome te raadplegen ; de vikaris capitularis van Luik, gelastte zich hermee en stelde tevens de vraag, of « de biechtvaders de jongelingen konnen absolveeren die weigerden het coll. phil. te verlaten ». De paus antwoorde op 28 jan. 1826 dat de bisschoppen eensgezind voort moesten weigeren ; maar dat, wat de biecht betrof, elk geval in 't bijzonder moest onderzocht.

(1) TERLINDEN, *o. c.*, p. 396.

(2) Over het concordaat handelen we in het eerstvolgend antwoord ; zie daarover intusschen de zeer volledige uiteenzetting van ALBERS *t. a. pl.* bl. 146 vlg en TERLINDEN *o. c.*, 2e vol. Het weze hier reeds opgemerkt dat het coll. phil. een der hoofdoorzaken was der niet uitvoering van het in 1827 gesloten concordaat, en een der gevaarlijkste klippen, waarop de onderhandelingen van Mgr Capaccini herhaaldelijk schipbreuk leden.

aller oneenigheid beschouwde en, tenzij men daarmede begon, volstrekt elke overeenkomst weigerde. Men hield nu vooreerst vriendschappelijke, niet officieele conferenties, waarin de Celles de overtuiging won dat de nederlandsche regeering eenige toegeeflijkheid moest toonen. Daarom vroeg hij den paus welke veranderingen gewenscht waren omtrent het leuvensch college. Om 's konings gevoelige eigenliefde niet te kwetsen, stelde Leo XII voor, het coll. phil. in een inrichting voor hoogere kerkelijke studiën te veranderen, waar men de reeds in seminariën gevormde priesters onder toezicht der bisschoppen zou kunnen heen zenden. Daar nam echter de koning geen vrede mee ; doch hij liet de Celles toe te Rome een voorstel der nederlandsche regeering aan te bieden, om het coll. phil. *facultatief* te maken, in dien zin, dat de jongelingen niet verplicht zouden zijn het te bezoeken, om opgenomen te worden in de seminariën, en de bisschoppen ook diegenen mochten opnemen, die het niet bezocht hadden. De Celles voegde daarbij dat de koning die zaak zou regelen door een koninklijk besluit, en wel *motu proprio* voor de ratificatie van het concordaat, om allen schijn van dwang te vermijden.

Rome, daarop betrouwend, liet de concordaatsbul verschijnen op 17 aug. 1827 ; doch Willem bleef in gebreke : hij bekrachtigde wel het concordaat maar liet tevens aan den H. Stoel weten dat hij het beloofde besluit nog niet *kon* geven. De paus achtte zich hierop gerechtigd, in een aanspraak aan de kardinalen (18 sept 1827), zelf de facultatiefstelling van het leuvensch college kenbaar te maken.

De bekendmaking van het concordaat, en vooral de allocutie van den paus brachten groote beroering onder de nederlandsche protestanten en de belgische liberalen : de regeering kreeg schrik, en volgens haar gewone politiek van geven en nemen, wilde ze nu voldoening geven aan de tegenpartij met de uitvoering van het concordaat op de lange baan te schuiven ; maar wat nog het ergst

was : in een schrijven aan de gouverneurs der provinciën liet zij weten dat, wat het onderwijs betrof, niets veranderd was, dat integendeel Rome, door de facultatiefstelling van het bezoek aan het leuvensch college, dit feitelijk als deugdelijk erkende (1).

Deze beruchtte circulaire van 5 october 1827 bracht een geweldigen indruk teweeg : tot nog toe, zoo schreef baron de Gerlache (2), was ons verzet gematigd, geduldig, eerbiedig geweest : maar het veranderde van toon toen wij erkenden dat er geen vrede mogelijk was met lieden, die zoo onbeschaamd al hunne beloften schonden. De kerkelijke overheid bleef ook onverbiddelijk op haar standpunt, spijts drukking en bedreigingen der regeering. Zoo verliep weerom een jaar en ondertusschen bleef het concordaat een doode letter.

Ook te Rome was men zeer gegriefd om dit trouweloos handelen der nederlandsche regeering ; doch Z. H. vond het geraadzaam een laatste middel te beproeven, en zond, in juli 1828, Mgr Capaccini met een confidentieele zending naar de nederlanden : de romeinsche prelaat zou ter plaats zelf middelen moeten beramen om den toestand te redden en vooral om de koninklijke belofte ten uitvoer te brengen : hij gelukte erin de gunst van den koning te winnen. Na herhaalde pogingen om een omvorming van het coll. phil. te verkrijgen, die aan de bisschoppen kon voldoening geven, meende hij eindelijk den koning overhaald te hebben. Werkelijk verscheen op 20 juni 1829 een koninklijk besluit, waarbij het coll. phil. niet langer meer verplichtend was (3).

---

(1) Vroeger geschiedschrijvers (ook nog Blok, *Geschiedenis van het nederl. volk* D. VII, bl. 418) trachtten de regeering te verschoonen en doen het voorkomen alsof de paus in zijn allocutie van 18 sept. te veel had gezegd, meer dan overeengekomen was. P. Albers (*t. a. pl.* bl. 226) heeft geen moeite om te bewijzen dat de kwade trouw aan den kant der nederlandsche regeering lag.

(2) *Hist. du Royaume des Pays-Bas* (3e ed.) t. II, p. 193.

(3) De koning stond natuurlijk ook onder den indruk der vijandelijke beweging in België ontstaan. In den aanvang van 1829 begint, het

Doch op denzelfden dag werd een ander besluit getroffen, dat de eerste toegeving als t'ware vernietigde : van de groot-seminariën werden uitgesloten niet alleen zij die in het buitenland hadden gestudeerd, maar ook zij die in het land, studeerden, en niet door een openbaar examen het bewijs van bekwaamheid konden leveren (1).

Enkele minder klaarziende katholieken, ja ook Mgr Capaccini, vonden eerst geen erg in dit tweede decreet, en meenden te moeten aannemen, in afwachting van gunstiger schikkingen later te veroveren. Doch meest allen vonden dat de tijd van toegeven en van aannemen van halve maatregelen voorbij was ; de katholieke dagbladen, reeds gewonnen in dien tijd voor een samengaan met de liberalen in de oppositie tegen de willekeurige regeering, durfden openlijk den bisschoppen aanraden geen gevolg te geven aan het tweede koninklijk besluit. Aan hunne zijde stond de nieuw benoemde bisschop van Luik, Mgr van Bommel. Deze geleerde en kranige prelaat overtuigde de andere kerkelijke overheden van ons land, en allen lieten thans aan hunne diocesanen weten dat ze zich niet naar de nieuwe schikking zouden gedragen ; ook Mgr Capaccini veranderde van gevoelen (2).

Dit verbitterde den koning en zijn onverbeterlijke raadgevers ten zeerste ; men wilde eerst weerom geweldige middelen gebruiken ; doch de tijd was daarvoor ook niet meer gunstig, zoodat de koning zich verplicht zag den weg der toegevingen op te gaan. Hij had thans wel gewild dat Mgr de Méan, hem een nieuw « eerbiedig verzoek » deed, en gaf zulks te verstaan aan Mgr Capaccini, die er mede instemde. Doch Mgr van Bommel was

---

eerst van katholieke zijde, de stroom der petities, vooral voor de vrijheid van onderwijs. ALBERS, *t. a. pl.* bl. 285.

(1) *Ibid.* bl. 301.

(2) Dit geschiedde in de samenkomst te Contich van 17-20 juli 1829. Is de regeering van kwaden wil, zoo redeneerde Mgr van Bommel, dan zullen alleen de leerlingen van het coll. phil. in het admissie-examen slagen, zoodat die inrichting in schijn facultatief is, in werkelijkheid echter verplichtend blijft. ALBERS, *t. a. pl.*, bl. 304 vlg.

daarvoor ook niet meer te vinden ; hij vond het geraadzamer, door openlijk optreden de openbare opinie te winnen en aldus de regeering te verplichten datgene toe te staan, waarop het katholieke volk recht had, krachtens de overeenkomst met den H. Stoel en krachtens de vrijheid van godsdienst, uitgedrukt in de grondwet. Hij schreef zelf een naamloos werkje (1), dat veel indruk maakte en niet het minst op den koning, die eindelijk de verkeerdheid zijner handelwijze begon in te zien. Naar Darris verhaalt (2), was de bisschop van Luik den 2 October op audientie, toen de koning hem opdroeg een ontwerp-besluit op te stellen, dat voldeed aan de verlangens der bisschoppen. Na de audientie ontwierp Mgr van Bommel met den groot vikaris van Mechelen, Sterkx, het besluit in de pastorie van N. D. de la Chappelle te Brussel. Alhoewel het de volledige intrekking was van het decreet van 20 Juni werd het onveranderd door den koning overgenomen en verscheen aanstonds in het staatsblad. De bisschoppen mochten thans hunne seminariën openen en inrichten volgens de bepalingen van het concordaat en er ook de jongelingen opnemen die in het buitenland hadden gestudeerd (3).

Mgr van Bommel bleef verder nog op de bres om de volledige vrijheid van onderwijs te bekomen : hij had het genoegen reeds in October 1829, van den koning te vernemen, dat het philosophisch college, dat nog als facultatief bestond, zou volledig afgeschaft worden. Het besluit echter werd slechts in Januari 1830 getroffen en besliste de opheffing voor het einde van het schooljaar ; als reden werd opgegeven dat er geen noodzakelijkheid meer bestond de schatkist langer met de onkosten dier inrichting te bezwaren ; men had kunnen bijvoegen dat

---

(1) *Trois chapitres sur les deux arrêtés du 20 juin 1829 par un père de famille pétitionnaire.* Bruxelles, 1829.

(2) *Histoire du diocèse et de la principauté de Liège,* t. IV, p. 345 s.

(3) ALBERS, *v. a. pl.*, bl. 308.

het bij gebrek aan studenten zeker weldra van zelf zou verdwijnen (1).

Deze maatregelen, die eindelijk voldoening schonken aan de katholieken kwamen echter te laat, ze waren niet meer in staat het samengaan van katholieken en liberalen te verbreken ; de verbittering was te diep ingeworteld. Eenige maanden nadien brak de omwenteling los.

R. Deschepper.

## VI.

## De pluviali.

Q. *Paucis indica originem, ornatum et usum pluvialis* (2).

I. **Nomen**. Indumentum de quo quæritur, in *Cæremoniale episcoporum* vocari solet *cappa*. Quo nomine primitus S. Isidorus Hispalensis et forte alii designant indumentum

---

(1) Een ambtenaar van het departement van R. K. eeredienst heeft een nauwkeurig statistiek over het berucht college gemaakt, door P. Albers (*t. a. pl.* bl. 143) geraadpleegd. Daaruit het volgende :

Het coll. phil. was ingericht voor 1200 leerlingen ; toch telde het er het eerste jaar slechts 167 ; in het tweede bijna 100 meer, om daarna voortdurend af te nemen. In 't geheel zijn er in de vijf jaren 551 opgenomen. Ten bewijze hoe sterk het college, trots alle zorg der regeering, achteruit ging, kan dienen, dat het eerste jaar 167, het tweede 208, 124 in het derde, 44 in het vierde en in het vijfde 8 kweekelingen werden aangenomen. Van deze 551 zonden de noorderlijke provinciën er maar 15, de zuidelijke 364, het groot hertogdom Luxemburg gaf betrekkelijk de meeste leerlingen, nl. 180, terwijl er twee uit Pruisen afkomstig waren. Van de 551 waren 523 leerlingen in het genot van beurzen ; heel weinig gingen over tot de theologie : voor de opheffing des colleges werden 71 op kosten van het rijk buitenslands ter theologie gezonden (vooral naar Bonn en Trier), een enkele werd in een nederlandsch seminarie, dat van Doornik opgenomen. Wat met de leerlingen gebeurd is die nog bij de afschaffing aanwezig waren, weet men niet met zekerheid ; doch, ingezien de gegronde bezwaren die de nederlandsche kerkvoogden hadden tegen de kweekelingen van het philosophicum, mag men veilig besluiten, dat er maar zeer weinig tot de seminariën en nog minder tot het priesterdom zijn geraakt.

(2) J. Braun, S. J., *Die liturgische Gewandung*, 1907, Freiburg, p. 306-358 ; *Die liturgischen Paramente*, 1924, Freiburg, p. 119-127 ; Rohault de Fleury, *La Messe*, t. VIII, p. 1-17 ; Fr. Bock, *Geschichte der liturgischen Gewänder*, Borm, 1866, t. II, p. 287-321 ; taf. xxxix-xlviii ; Edm. Bishop, *The origin of the cope as a church vestment* (*Dublin Review*), Jan. 1897, p. 17-37.

quod caput aut caput et humeros ac truncum tegebat. Inde a s. VII solet « cappa » designare pallium quoddam vel cucullam monachorum ; postea cappam choralem, cappam magnam episcoporum, et sæpissime pluviale liturgicum.

Nomen *pluviale*, quod communiter adhibetur in Missali et Rituali, occurrit jam s. IX et in Italia usitatissimum fuit. Etymologice designat pallium quod, caputio instructum, adhiberi potest contra pluviam (regenmantel). Sed hunc in finem jam non adhibebatur quando de illo agitur in documentis liturgicis.

II. **Origo** non videtur deducenda, saltem directe, a veste quadam antiqua romana ; nec a *lacerna* quæ sicut pluviale erat aperta in parte anteriori et in pectore fibula claudebatur, sed quæ jam non erat in usu quando de cappa clericali aut liturgica primum fit mentio. Nec a *casula*, cui solet opponi et a qua solet distingui caputio. Sed origo repetenda est a primitiva cappa monachorum.

Jam in fine sæc. VII et sæpius inde a s. VIII mentio fit, præsertim apud monachos, sub nomine « cappæ », de vestimento in modum pallii (mantel) confecto. Cappa monachorum et cappa romana, ad instar casulæ, erat undequaque clausa ; cappa vero clericorum videtur fuisse scissa a parte anteriori. Videtur generatim fuisse munita caputio.

Hujusmodi cappam, quæ in habitu communi deferri solebat, cœperunt in multis monasteriis, saltem quibusdam diebus, induere omnes etiam fatres laici, qui (præter celebrantem et ministros) officiis in choro aut processionidus intererant. Unde in inventariis monasterii S. Richarii (S. Riquier) circa an. 800 commemorantur 200 cappæ, circa an. 831 vero 377 cappæ (1).

Brevi autem pro diebus festis cæperunt confici cappæ magis pretiosæ de pallio, quarum sæpe mentio fit in inventariis monasteriorum inde a s. IX (2).

---

(1) Cf. Braun, *o. c.*, p. 310.
(2) Cfr J. Braun, *o. c.*, p. 311 ; E. Bishop, *a. c.*, p. 30 s.

Sed nondum adhibebatur ab iis qui functiones liturgicas peragebant. Unde Amalarius describens, c. 820, totum habitum liturgicum ne verbulum habet de cappa, notat vero casulam « a singulis ordinibus portari », etiam a cantoribus. Pedetentim tamen cœpit cappa seu pluviale loco casulæ adhiberi in variis functionibus præter missæ celebrationem. Jam in sacramentario Drogonis Mettensis, sæc. IX mediantis, tam in cooperculo eburneo quam in imaginibus ipsius manuscripti videre est episcopum, cappa cum caputio indutum, confirmantem, exorcizantem et oleo inungentem.

III. **Usus**. Induebatur notatim a *cantoribus*, adeo ut Honorius Augustodunensis ca. 1150 notet quod cappa, quamvis « a singulis ordinibus portatur », est tamen « vestis propria cantorum » (1). Etiam adhibebatur interdum cappa a *sacerdote incensante* altare ad Vesperas aut Laudes ; ab episcopis in *synodis;* sæpe etiam ad peragendas *processiones* et solemnes *benedictiones*.

Pari modo hodie adhibetur a sacerdote vel episcopo in omnibus functionibus solemnibus, præter missam, in qua induenda est casula: notatim in processionibus, in benedictionibus quæ fiunt ad altare, in aspersione aquæ benedictæ in dominicis ante missam, in absolutione pro defunctis, in officio solemni Laudum et Vesperarum, in danda benedictione cum SS. Sacramento in ostensorio ; pluviale etiam induit presbyter assistens in missa pontificali. « Cum celebrans utitur pluviali, semper deponit manipulum; et ubi pluviale haberi non potest, in benedictionibus quæ fiunt in altari, celebrans stat sine planeta, cum alba et stola » (2).

IV. **Forma et ornatus**. Ex quo factum est pluviale vestimentum liturgicum, forma et dimensio vix aut ne vix quidem mutatæ sunt. Primitivæ cappæ, ut vidimus, aliæ in parte anteriori apertæ, aliæ vero consutæ erant. Sed a s. XI-XII semper fuerunt apertæ.

---

(1) *Gemma animæ*, l. I. c. 227.
(2) *Missalis Rubricæ Generales*, XIX, 3, 4.

*Clipeus* seu scutum quo hodie instruitur cappa, originem ducit a caputio, quo muniri solebant cappæ antiquæ. Hoc innuit primitiva significatio vocis cappæ et pluvialis (v. supra). Hoc ostendunt plura quæ ex sæc. IX-XII asservantur monumenta graphica (1) ; in imaginibus sæc. XIII et XIV sæpius adest caputium, in multis tamen casibus impossibile est videre utrum adsit vel desit. Inde a s. XV vix invenire est pluvialia sine caputio aut clipeo.

Auctores classici qui primi cappam describunt notant eam caputio esse instructam. « In supremo caputium habet » ait s. XII Honorius Augustodunensis. « Habet etiam caputium, ait circa 1280 Durandus, quod est supernum gaudium ». Unde elucet hanc esse *regulam*. Ex « inventariis » ecclesiarum idem sequi videtur. Ita in elencho Sedis Apostolicæ a. 1295, enumerantur 26 cappæ et semel tantum notatur absentia caputii. Sæpe de caputio, quod supponunt, nihil dicunt, nisi ratione materiæ vel ornatus illud describendum censeant, ut videmus v. g. in inventario S. Sedis anni 1361, quod habet 83 cappas quarum 66 caputia in specie describit (2).

Quoad pluvialia antiquissima hodiedum servata, sæpius caputio muniuntur v. g. cappa s. XIII ineuntis in museo archiepiscopali Ultrajectensi (3) ; s. XIII mediantis in abbatia S. Pauli in Kärnten (4) ; s. XIV ineuntis, in museo cathedralis Aquisgranensis (5). In nonnullis tamen deerat caputium, maxime ubi materia ipsius vestis erat pretiosa et figuris acu pictis ornata. Inde a s. XV vix unquam defi-

---

(1) Adest caputium in citatis cappis sacramentarii Drogonis; nitidissime apparet in omnibus cappis septem cantorum in eburneo dyticho ex s. IX-X, asservato in bibliotheca civitatis Francofurti, dum deest in casulis quinque presbyterorum in altera tabula ejusdem dyptichi asservata in museo Fitwilliam Cambridge. Etiam adest in pluribus figuris sæc. XI.

(2) Cfr Braun, *o. c.*, p. 320. Alios elenchos vide apud Fr. Bock, t. II, p. 309-317.

(3) Fr. Bock, *o. c.*, t. II, p. 294.

(4) Fr. Bock, *ibid.* p. 295, s. et tab. xl ; Braun, p. 319, fig. 144.

(5) Fr. Bock, *ibid.*, 296 s. et tab. xli-xliii.

cit caputium seu potius clipeus, qui in ejus locum subrogatus est (1).

Caputium enim per se intelligitur in cappa quæ in vita quotidiana — etiam in pluvia — adhibetur. Minus necessarium erat in cappa festiva quæ tantum in choro, aut in processionibus in ambulacris adhibebatur. Quando autem sæc. X et sequentibus cappæ festivæ ex materia pretiosiore confectæ etiam ornatu acu picto decorabantur, incongruum videbatur iis caput tegere, ad quod ceteroquin a sæc. XII cœperunt uti pileis. Caputium inutile factum interdum omittebatur, sed generatim ex consuetudine et ornatus gratia servabatur (2), imminutum tamen et vario opere decoratum. Brevi autem, neglecta forma veri caputii, confectum est in formam parvi trianguli : s. XIV et XV paulatim adauctum imitatum est arcum ogivalem et formam clipei seu scuti. Clipeus a s. XVI assumpsit formam arcus ovalis vel semicircularis et dilatatum in hunc modum exageratum quem sæpe vidimus.

Ornari etiam solebat pluviale, per totum oram anteriorem, *fascia* magis ornata, quæ, s. XIII latitudinis 5-6 cm., postea multo latior facta est, ut multiplici ac vario opere acu picto, imo et figuris sanctorum decorari posset. Et hic ornatus hodiedum perstitit. Sæpe etiam addebantur *fimbriæ* præsertim in parte inferiori et circa clipeum. Eis etiam interdum primis temporibus inserebantur parva *tintinnabula*.

Quamvis communiter fasciæ tantum et clipeus soleant acu pingi aut auro imo et gemmis ornari, non raro tamen totus campus panni pluvialis ornatur opere vere pretioso et magnifico, figuris sanctorum aut angelorum, factis ex vita Christi aut Sanctorum, etc. Hic, multo magis quam in casulis, asservantur nobis mirabilia operis acu picti medii ævi.

Ne cappa ab humeris decidat, ante pectus firmatur

---

(1) Vide v. g. apud Braun, *o. c.*, figuras 163, 164.

(2) Sicut servatum est in minori cappa canonicorum.

duplici vitta, sæpe ornata, et fibula. Quæ *fibula*, medio ævo, sub nomine morsus, formalis aut firmarii, sæpe ex aurichalco, argento et auro, gemmis ornato, opere mirabiliter artificioso confecta, pretiosissimum sæpe erat pluvialis ornamentum. Hujusmodi morsus vere mirabiles hodiedum plures asservantur.

V. **Practice** in conficiendis pluvialibus, ægre admittendum videtur quod, omisso clipeo, ornetur pluviale, ad modum casulæ medievalis, fascia in medio dorso ascendente ad utramque scapulam. Quamvis rariores quædam hujusmodi cappæ adfuerint, non est ornatus traditionalis pluvialis liturgici (1). Minuatur quidem clipeus qui recentioribus tantum temporibus tam incongrue fuit dilatatus, sed non reformetur in verum caputium apertum, quod jam a sæc. XIII, ut vidimus, extra consuetudinem est. Fasciæ ne nimis late pateant, nisi figuris sanctorum decorentur. Tandem cura adhibeatur ne rigidum sit pluviale, ita ut commode et sinuose circa corpus defluat.

C. Callewaert.

(1) Hanc formam commendant Bénédictines de St Louis du Temple (rue Monsieur, Paris), *Guide pratique pour la confection des ornements gothiques*, p. 60 s.; 78 ss.

# De honestate, consectario inspirationis (1)

Nomine *consectariorum inspirationis* intelligimus eas qualitates quæ libris s. Scripturæ, utpote inspiratis, inesse debent seu quas nos, ex facto inspirationis eorumdem, logice concludimus eis convenire debere. Hujusmodi est sic dicta *inerrantia*, qua nimirum ea omnia quæ in s. Scriptura affirmantur, eo sensu et eo gradu quo affirmantur vera esse debent. De hac inerrantia per longum et latum agunt auctores, illudque jure merito, tum ob summum illius consectarii momentum, tum ob multiplices easque sæpe subtiles difficultates et objectiones, quibus ansam præbet. Non tamen est unicum consectarium, quamvis de eo solo ex professo agere soleant auctores ; non immeritò enim, ut videtur, tractatui de inerrantia s. Scripturæ juxtaponeres alium tractatum de ejusdem honestate (2).

*Honestatem* seu bonitatem moralem intelligimus eam qualitatem qua certæ quædam actiones conformes sunt cum legibus morum divinaque voluntate; eidem opponitur *inhonestas* seu malitia seu immoralitas seu perversitas sub respectu morum. Porro hæc qualitas honestatis moralis multiplici titulo libris s. Scripturæ convenire debet, eamque proinde inter consectaria inspirationis merito computandam habemus (3). Revera:

---

(1) Hanc quæstionem, ut supra notabamus, p. 61, tractamus occasione difficultatis movendæ et solvendæ circa dirissimas imprecationes quæ in *Psalmo* LXVIII, vv. 23-29 occurrere videntur.

(2) Imo non immerito et tertium tractatum adderes *de aptitudine modi* quo libri sacri fuerunt scripti. Vide dicenda pag. seq.

(3) Quæ de hoc consectario honestatis exponimus, possent sane aliquali ratione reduci ad ea quæ ab auctoribus circa veritatem Scripturarum exponuntur. Omnibus enim casibus in sequentibus assignandis dici posset auctorem sacrum explicite vel implicite, formaliter vel æquivalenter, *enuntiare* mentem suam circa illam honestatem, adeo-

I. — Est quædam honestas quæ convenire debet iis *rebus* in s. Scripturæ contentis *quæ* non oratione enuntiativa tamquam intellectu admittendæ, sed alia oratione *tamquam opere faciendæ proponuntur*.

Ad quod bene intelligendum, notabis in s. Scriptura, sicut in omnibus aliis libris, duplex distingui elementum: elementum reale seu *res*, nimirum illa omnia quæ auctor scripto aliis significat, et elementum modale seu *modum*, seu, ut dici solet, *verba*, nimirum illa omnia signa externa quibus res de facto significantur ; suntque ea omnia quæ possent aliter ac aliter se habere, quin res ipsæ, ab auctore significatæ, aliæ efficerentur.

Porro *res* ipsæ possunt esse multiplicis speciei. Etenim oratio (1), qua res exprimuntur, distinguitur multiplex: interrogativa (*Quot panes habetis?*) ; — imperativa (*Affer mihi penulam meam !*), ad quam reducitur consilium (*De virginibus... consilium do*) ; — deprecativa (*Miserere mei, Deus!*); — optativa (*Utinam frigidus esses aut calidus!*) ad quam reducitur imprecativa (*Deleantur de libro viventium!*); — et tandem enuntiativa (*In principio erat Verbum*). — Quinque priores omnes formaliter (2) eo tendunt ut lector vel auditor vel tertius quidam ad aliquid *opere faciendum* adducatur: interrogans intendit ut interrogatus *respondeat ;* imperans ut alter *obediat;* deprecans ut alter

---

que, vi inerrantiæ s. Scripturæ, hujusmodi enuntiationes veras esse debere. — Ast multum præferendum videtur de utroque consectario separatim loqui. Ita v. g. ubi Paulus scribit: *Desidero videre vos*, divina certitudine, vi ipsius inspirationis, constat ét verum ét honestum esse Paulum hoc desiderare; satis tamen violentum videtur Paulo adscribere aliquam hujusmodi implicitam et æquivalentem enuntiationem qua diceret: *Et hoc meum desiderium honestum est.*

(1) *Oratio* hîc sumitur, ut patet, non sensu quo significet deprecationem, sed sensu quo in Logica venit: *complexus vocabulorum ordinatus ad aliquid significandum.*

(2) Dicimus: *formaliter*, i. e. qua interrogativa, etc. — Revera in omnibus his orationibus, præter enuntiativam, implicite continetur quædam enuntiatio. Ita ubi alicui aliquid præcipio faciendum, implicite affirmo me habere voluntatem ut alter illud faciat. Imo pro eodem haberi possunt: *Fac hoc!* et: *Volo ut hoc facias*, et mendax essem et proinde errorem enuntiarem si dum dico: *Fac hoc!* non haberem voluntatem ut alter illud faceret.

benigne *exaudiat;* optans vel imprecans ut ille, a quo eventus faustus vel infaustus dependet, eventum illum *exsequatur;* — oratio vero enuntiativa, eaque sola, formaliter (1) eo tendit ut lector vel auditor rem propositam *intellectu admittat.*

Unde omnes res, quæ in libro significari contingunt, ad duo capita reducuntur: hinc quidem habetur oratio proprie enuntiativa, hinc vero reliquæ omnes; et inter has duas classes habetur, inter alia, hoc essentiale discrimen: objectum formale orationis enuntiativæ est *judicium theoreticum intellectus*, quo aliquid affirmatur aut negatur; objectum vero formale reliquarum orationum est *ordinatio rationis practicæ a voluntate proposita.*

Ex hoc discrimine statim defluit hoc alterum, in quæstione præsenti bene attendendum: oratio enuntiativa, utpote, eaque sola, enuntians judicium intellectus, habet, eaque sola, ut sit *vera* vel *falsa;* reliquæ vero, qua tales, non habent ut sint veræ vel falsæ (2), sed habent ut sint *honestæ* vel *inhonestæ*, pro quanto res, quæ faciendæ proponuntur, sint necne conformes cum regulis morum.

Porro vi inspirationis requiritur — et en jam prima quædam honestas tamquam consectarium inspirationis in s. Scriptura verificanda — ut, missa conformitate quæ ratione inerrantiæ debet adesse inter verba externa et voluntatem internam (3), omnes res, quæ sic ab auctore sacro proponuntur opere faciendæ, sint licitæ et honestæ factu (4). — Et ratio patet: repugnat enim auctorem

---

(1) Vide notam præcedentem.

(2) Cfr De Jaegher, *Institutiones philosophicæ*, 2ª ed., n. 39; — S. Thomas (ibid. citatus), *in I Perihermenias*, lect. 7.

(3) Ut enim diximus supra, pag. præc., *nota* (2), in omnibus hisce orationibus implicite continetur quædam enuntiatio, quæ proinde, vi inspirationis, vera esse debet. Ita ubi Paulus mandat Timotheo: *Affer mihi penulam meam!* eo ipso implicite affirmat se hoc velle, adeoque divinitus nobis certum est Paulum, hoc momento quo hæc scribebat, revera hanc voluntatem habuisse ut Timotheus penulam ejus afferret.

(4) Inutile sit dixisse simili ratione ea quæ in s. Scriptura facienda dissuadentur, prohibentur, etc. eatenus esse inter inhonesta computanda, quatenus ut inhonesta dissuadentur, etc.

sacrum, sub inspiratione divina moveri ut scripto faciendum proponat aliquid quod fieri non licet. — Ita, ut res vel unico exemplo pateat, eo ipso quod Paulus, auctor inspiratus, scribit ad Timotheum : *Affer mihi penulam meam*, divina certitudine nos novimus actionem illam afferendi penulam Pauli fuisse Timotheo honestam factu; repugnaret vero inspirationi Paulum Timotheo deferre mandatum furandi (1). — Pari ratione, ut dicemus in proximo quodam fasciculo *Collat. Brugen.*, repugnat quominus hagiographus sic dicta imprecatione optet ut aliquis alicui inferat malum, quod absque peccato inferre non potest; ut si optares Deum punire innocentem.

*Nota.* — Quæres forte num hujusmodi præcepta, consilia, etc., non tantum sint nobis admittenda ut honesta adimpletu, sed imo, saltem iis quibus præponuntur, ut divina et ob divinam auctoritatem adimplenda. Ita, ubi Timotheus legebat in Pauli epistola : *Affer mihi penulam meam*, an — in hypothesi eum fuisse conscium illius epistolæ inspirationis — an debebat hoc præceptum habere, non tantum *ut Paulinum*, sed imo *ut divinum?* Et ratio dubitandi manifesta est : si enim epistola quædam est divinitus inspirata adeoque Deum ut auctorem primarium habet, nonne, eodem modo quo omnia quæ inibi affirmantur habenda sunt, nonne eodem modo omnia quæ præcipiuntur v. g., tamquam a Deo præcepta habenda sunt? — Cui quæstioni *negative* respondendum est : præcepta Pauli, sub inspiratione conscripta, equidem divinitus nobis patent esse Pauli et esse honesta, sed solius Pauli manent, nec Dei fiunt. Quod patet vel ex eo quod secus, eodem jure, etiam deprecationes in Scriptura occurrentes, tamquam divinæ essent admittendæ, adeo ut ipse Deus esset qui oraret : *Miserere mei, Deus*, etc. — Revera Deus est auctor s. Scripturæ quatenus libros illos per

(1) Quod dicimus de iis quæ ipse auctor sacer nomine suo et directe facienda significat, valet etiam de iis quæ facienda proponuntur in citationibus ab hagiographo, formaliter vel æquivalenter tamquam honestis approbatis. Ita Matthæus, ubi citat verba Jesu ad Philippum: *Quot panes habetis?* ea verba, quamvis non explicitis verbis et formaliter, certe tamen æquivalenter approbat, adeoque vi inspirationis concludimus honestum fuisse Philippo respondere interrogationi Jesu.

hagiographum scripsit, et quidem eo sensu (1) quo hagiographus eosdem scripsit. Jamvero *veritates* quas orationibus enuntiativis exprimit hagiographus, non exprimuntur tamquam veritates hagiographi, sed tamquam absolute veræ, adeoque eodem sensu et ab ipso Deo affirmantur ; contrà *præcepta* et alia hujusmodi quæ ab ipso hagiographo nomine et auctoritate ipsius proponuntur, eo ipso hagiographi sunt, sunt expressio voluntatis hagiographi, adeoque Deus etiam ea conscribit ut præcepta hagiographi.

Aliter, ut patet, dicendum est de iis præceptis, etc. quæ hagiographus, non nomine suo proprio, sed ut promulgator legis divinæ exprimit, utputa ubi Paulus scribit : *Fugite fornicationem* (2).

II. — Est alia quædam honestas in libris sacris requisita, quatenus nimirum *omnia facta quæ* in s. Scriptura *narrative referuntur*, debent esse *honesta pro quanto* ab auctore sacro *approbantur*.

Revera, præter veritates mere theoreticas et speculativas, ut puta : *Erant ibi* (in Cana Galilææ) *lapideæ hydriæ sex...*, quæ plane abstrahunt ab omni honestate morali, referuntur in s. Scriptura innumera facta : cogitationes, affectus, omissiones, actiones, dicta vel alia hujusmodi, sive ipsius hagiographi sive aliorum quorumlibet, sive præterita sive præsentia sive futura, sive ut historica sive non, — quæ omnia facta certo quodam modo se habent quantum ad moralitatem. — In his omnibus *veritas* quidem s. Scripturæ requirit ut ea omnia quæ ut historice vera referuntur, historice vere contigerint ; sed sintne historica, sintne non, *honestas* s. Scripturæ requirit ut omnia sint honesta, quæ et quatenus ab auctore sacro in

---

(1) Abstrahimus a sic dictis sensibus mysticis quos, præter sensum historicum et humanum ab hagiographo intentum, Deus intendere potuit. De quo vide *Collat. Brugen.*, t. XXV, pp. 402 ss.

(2) Hinc desumes præceptum a Paulo edictum circa indissolubilitatem matrimonii: *Paæcipio non ego, sed Dominus*, *I Cor.*, VI, 10-11, esse præceptum utique divinum; dum contrà solutionem illam quam nomine *casus* seu *privilegium Apostoli* solemus designare : *Cæteris ego dico, non Dominus*, ibid., vv. 12 ss., esse et manere præceptum mere apostolicum, quantumvis verum sit præceptum illud consignari in s. Scriptura et, vi inspirationis epistolæ, nobis divinitus qua honestum innotescere.

libro suo (1) ut honesta (2) *approbantur*. Patet enim repugnari quominus Deus inspiratione sua moveat hagiographum ad scripto approbanda inhonesta. — Similiter et ob eamdem rationem requiritur ut inhonesta sint ea quæ et quatenus ab auctore sacro ut inhonesta *improbantur*. Contra, quæ ab auctore sacro mere referuntur, *nulla addita approbatione vel improbatione*, ea vel honesta vel inhonesta esse possunt, nec ullam auctoritatem moralem inde nanciscuntur quod in s. Scriptura enarrantur (3).

Porro utrum adsit quædam hagiographi approbatio et in quodnam præcise factum illa cadat, in singulis casibus erit examinandum. Minime enim semper habetur approbatio *formalis et explicita*, sed sæpe *æquivalens* tantum *et implicita*. Ita v. g. æquivalenter approbat hagiographus omnia facta quæ tribuit Deo aut Jesu aut Mariæ aut Angelis : ipso enim facto quod hæc facta refert tamquam quæ revera a Deo, a Jesu etc. posita fuerunt vel saltem poni possent (4), eo ipso æquiva-

---

(1) Dicitur *in libro suo*. De se enim nil obstat inspiratio quominus auctor sacer circa moralitatem eorum factorum quæ refert in errore versetur, dummodo, neque formaliter, neque æquivalenter hoc suum de moralitate judicium in libro suo enuntiet.

(2) Ita ipse Jesus, quamvis in exemplum proponat villicum iniquitatis, de quo *Luc.*, XVI, 1-8, non tamen approbat ipsius iniquitatem, sed mere ipsum proponit qua exemplum sagacitatis et prudentiæ.

(3) Ita patet hagiographum *improbare* adulterium et homicidium Davidis : refert enim, tamquam verba prophetæ et Domini, verba quibus Nathan has Davidis actiones improbat. — Item patet eum *approbare* omnes actiones quas de Jesu refert. — Actum vero quem refert de Simone Cyrenæo, ipsum nempe redire de villa, *neque approbat neque improbat*, sed mere refert. — Unde divinitus nobis, lectoribus s. Scripturæ, constat actus Davidis esse graviter malos, nobisque vitandos ; actus Jesu esse honestos et bonos, nobisque imitandos; actum vero Simonis novimus quidem vere locum habuisse, nil tamen de ejus moralitate novimus.

(4) Dicimus : *vel saltem poni possent*. Nil enim refert, quantum ad conclusionem quam nos circa honestatem hujusmodi factorum deducere possumus, utrum facta revera locum habuerint necne. Ita v. g. facta et dicta quæ in parabolis ponuntur in ore patris filii prodigi, Deum repræsentantis, sane nunquam locum habuerunt, nunquam prolata fuerunt ; nihilominus pleno jure dicta et facta illa ut honesta habere debemus ideo quia auctor sacer, ea tribuendo, sitne etiam specietenus tantum, illi patri, ea eo ipso ut honesta approbat et nobis proponit.

lenter illa facta ut honesta proponit suis lectoribus (1).

III. — Est tandem et tertia quædam honestas quæ convenire debet libris sacris, quatenus nimirum *ipsa scriptio* eorum, ipsa actio scribendi libros illos illorumque singulas partes debuit hagiographo *esse honesta*.

Revera inspiratio divina fuit ille positivus et supernaturalis influxus quo Deus movit hagiographum, quantum quidem ad intellectum, ad judicandum, judiciis practicis, de his et his rebus scribendis, de hoc et hoc modo adhibendo (2); — quantum vero ad voluntatem, ad volendum scribere illas res, ad volendum adhibere illum modum (3). Jamvero patet repugnare quominus Deus hujusmodi influxu moverit hagiographum in ordine ad actionem hagiographo illicitam. Ita :

1°/ Vi inspirationis, repugnat quominus hagiographus scripserit *res* quavis ratione *illicitas scriptu*, vel adhibuerit *modum* quavis ratione *illicitum adhibitu*. Sic repugnat quominus scripserit res, quantumvis veras in se, sed secretas non manifestandas ; item repugnat quominus retulerit tales res aut adhibuerit talem modum ut relatio

---

(1) De hac approbatione, sive formali sive æquivalenti, certorum factorum aut dictorum eadem sunt dicenda quæ de approbatione, sive formali sive æquivalenti, citationum in s. Scriptura occurrentium, quantum ad veritatem. Cfr de hac re Ill. Waffelaert apud *Collat. Brugen.*, t. VIII, pp. 144 ss. ; et vide etiam easdem *Collat.*, t. XIV, 511 ss. ; t. XV, pp. 11 s.

(2) In hac nostra descriptione inspirationis sequimur sententiam in s. Scriptura non tantum *res* esse inspiratas, sed etiam modum seu *verba*; quam utique sententiam ut omnino probabiliorem, imo ut certam habemus. — Quod si quis hanc sententiam repudiaret, nihil tamen inde læderetur thesis nostra. Etenim, etiam si modus diceretur non inspiratus, satis tamen pateret Deum non posse inspirare librum in quo modus quo res describuntur esset inhonestus.

(3) Abstrahimus a quæstione utrum influxus Dei charismaticus se extenderit etiam ad ipsam scriptionem materialem, id est ad actus potentiarum executricum, ut puta digitorum, in casu scriptionis, vel oris, linguæ et labiorum, in casu dictationis, quibus hagiographus revera librum suum scribebat. — Sententia affirmans, quam ut satis probabilem habemus, ad demonstrationes theseos nostræ nequaquam requiritur.

aut adhibitio illa vere fuerit, sensu theologico, scandalum directum aut indirectum illicitum (1).

2°/ Vi inspirationis, repugnat (2) quominus hagiographus scripto expresserit *affectus* seu *sensa illicita expressu* (3). Sic ubi Paulus scribit : *Desidero videre vos* (*Rom.*, I, 12) ; — *Tristitia mihi magna est et continuus dolor cordi meo* de Judæis incredulis (IX, 1 ss.) ; — *Miror, quod sic tam cito transferimini...* (*Gal.*, I, 6) ; — *Vellem esse apud vos et mutare vocem meam, quoniam confundor in vobis* (IV, 20), et alia hujusmodi : non tantum *verum* esse debet Paulum revera nutriisse hos omnes affectus quos hîc exprimit, sed insuper debent omnes illi, sicut innumeri alii affectus qui in s. Scriptura exprimuntur : indignationis, iræ, gloriationis, pœnitentiæ, etc., esse *moraliter honesti*. Etenim si affectus inhonestus est, etiam expressio illius, puta scripto facta, inhonesta est (4) : nam expressio affectus est quoddam connaturale complementum ejus (5).

Et hîc quidem præcipua quædam applicatio habetur in sic dictis *imprecationibus* quibus hagiographi sibimetipsis vel aliis mala optant. Equidem si hagiographus vere habet, in animo suo, eos affectus quos sic impre-

---

(1) Sic certe repugnaret inspiratio multorum ex nostris libris romanticis, quantumvis forte id quod thesim libri vocant verum sit ; nimis enim lascivus et ad immoralitatem provocans est ficta illa historia qua thesis illa vestitur.

(2) Cæteroquin hoc quod sub 2°/ dicimus, non est nisi applicatio specialis dictorum sub 1°/.

(3) Patet idem esse dicendum de affectibus expressis in citationibus ab hagiographo approbatis.

(4) Dicimus : *expressio*. — Et patet distinctio facienda inter casus hîc descriptos, ubi agitur de affectibus semetipsos exteriorizantibus, et casus alios, de quibus sub II egimus, ubi hagiographus *mere narrative referebat affectus* olim habitos : quantumvis enim affectus illi fuerint mali, potest tamen eorumdem narratio esse bona ; cogita Paulum memorantem pessimos affectus quibus olim erga Christianismum afficiebatur.

(5) Pesch, *De inspiratione sacræ Scripturæ*, 446. — Et patet agi de affectibus voluntariis et deliberatis. Sane illicitum non esset, per modum narrantis, referre affectus etiam illicitos, sed involuntarios, quos aliquis in animo suo oriri sentiret quosque ut a se reprobatos referret.

cando exprimit, illæsa utique erit veritas et inerrantia s. Scripturæ; ast non ideo quævis imprecationes sub inspiratione possunt conscribi: imprecationes enim moraliter inhonestæ illud non possunt. Si enim malum est, puta ex odio inimicitiæ, optare proximo suo mortem, eo ipso et consequenter malum est hujusmodi votum verbis, puta scriptis, exprimere, et consequenter repugnat quominus Deus, inspiratione sua supernaturali, moveat hominem ad hujusmodi illicitam scriptionem (1).

Notasse juvabit in fine hujus circa principia expositionis, equidem in casibus descriptis requiri *honestatem*, non autem *perfectionem*, — nisi utique in casu speciali ipse auctor aliquam hujusmodi perfectionem indicaret (2) — ; Deus enim nequit inspirare *inhonesta*, sed ut possit inspirare, non debent res esse perfectæ.

A. Vander Heeren.

---

(1) Nota illud quod hîc dicimus de imprecationibus non idem esse cum illis quæ supra, pag. 173, sub I dicebamus. Imprecatio enim mala esse potest tum ex eo quod optares ut fiat quod illicitum est fieri, ut puta si optares ut alter peccata committat, — de quo præcise dicebamus sub I ; — tum ex eo quod optatio malorum, etiam eorum quæ absque peccato fieri possunt, procederet ex malo fine vel alio ex capite inhonesta esset, — de quo hîc dicimus. Ita, absque peccato sane potest Deus aliquem e vivis tollere ; nihilominus malum esse potest illud alicui optare.

(2) Quo modo v. g. factis et affectibus Jesu certe, æquivalenter saltem, majorem perfectionem adscribit quam gestis sensisque aliorum,

# Acta SS. Congr. et Trib.

## E S. Congr. Rituum

DUBIUM DE FORMA PARAMENTORUM (1).

A Sacra Rituum Congregatione nuper exspostulatum est : « An in conficiendis et adhibendis paramentis pro « Missæ sacrificio sacrisque functionibus liceat recedere « ab usu in Ecclesia recepto, aliumque modum et formam « etiam antiquam inducere ? ».

Et Sacra eadem Congregatio, audito specialis Commissionis suffragio, omnibus perpensis, respondendum censuit : « Recedere non licere inconsulta Apostolica « Sede ; iuxta Decretum seu Litteras circulares Sacræ « Rituum Congregationis ad Rmos Ordinarios datas sub « die 21 augusti 1863 ».

Atque ita, Summo Pontifice Pio XI approbante, rescripsit, declaravit et servari iussit, die 9 decembris 1925.

† A. CARD. VICO, Ep. Portuen. et S. Rufinæ,
S. R. C. *Præfectus.*

L. † S. Alexander Verde, *Secretarius.*

EN HARUM LITTERARUM EXEMPLUM, QUOD IN ACTIS APOST. SEDIS SUBJUNGITUR (2).

Rme Domine uti Frater,

Quum, renunciantibus nonnullis Rmis Episcopis aliisque Ecclesiasticis et Laicis viris, Sanctam Sedem non lateret quasdam in Anglia, Galliis, Germania et Belgio Diœceses immutasse formam sacrarum vestium, quæ in celebratione Sacrosancti Missæ Sacrificii adhibentur easque ad stylum quem dicunt gothicum elegantiori quidem opere conformasse ; Sacra Congregatio legitimis

(1) *Acta Apost. Sedis*, XVIII (1926), p. 58.
(2) *Ibidem*, p. 58 s.

pro tuendis Ritibus præposita super huiusmodi mutatione accuratum examen instituere haud prætermisit.

Ex hoc porro examine, quamvis eadem Sacra Congregatio probe nosceret sacras illas vestes stylum gothicum præseferentes præcipue sæculis XIII, XIV et XV obtinuisse, æque tamen animadvertit Ecclesiam Romanam aliasque latini ritus per orbem Ecclesias, Sede Apostolica minime reclamante, a sæculo XVI, nempe ab ipsa propemodum Concilii Tridentini ætate, usque ad nostra hæc tempora illarum reliquisse usum ; simulque, eadem perdurante disciplina necnon Sancta Sede inconsulta, nihil innovari posse censuit, ut pluries Summi Pontifices in suis edocuere Constitutionibus, sapienter monentes mutationes istas, utpote probato Ecclesiæ mori contrarias, sæpe perturbationes producere posse, et fidelium animos in admirationem inducere. Sed quoniam Sacrorum Rituum Congregatio arbitratur alicuius ponderis esse posse rationes, quæ præsentem immutationem persuaserunt, hinc, audito Sanctissimi Domini Nostri Pii Papæ IX oraculo, verbis amantissimis invitare censuit Amplitudinem Tuam, ut, quatenus in Tua Diœcesi huiusmodi immutationes locum habuerint, rationes ipsas exponere velis, quæ illis causam dederunt.

Interim Amplidudini Tuæ fausta omnia a Domino adprecor.

Amplitudinis Tuæ

Romæ die 21 augusti 1863.

Uti Frater

C. Ep. Portuen. et S. Rufinæ Card. Patrizi, *Præfectus.*

D. Bartolini, *Secretarius.*

Adnotanda.

Decretum non nomine alicujus ecclesiæ aut ordinis particularis sed generali denominatione « dubium » inscribitur. Si tenorem verborum attente inspiciamus, apparet esse conceptum verbis quæ omnino late patent : non enim agitur tantum de « conficiendis » novis sed et de « adhibendis » jam confectis, non solum casulis sed omnimodis « indumentis », non « pro missæ sacrificio » dumtaxat sed et pro aliis « sacris functionibus ». In his interpretandis nullum dubium.

Minus autem clare elucet quis sit « usus in Ecclesia receptus ». Intelligitur sane usus *hodie* receptus, ut patet ex hoc quod non licet « formam antiquam » seu olim in Ecclesia receptam « inducere ». Certe non intenditur usus in *universa* Ecclesia receptus, quum, præter casulam amplam, tres saltem typi moderni in Ecclesia Latina in usu sint : romana nempe forma, gallicana et hispanica (1). Sed non liquet quanto tempore, qua extensione et quali approbatione debeat usus aliquis localis esse « receptus », sicut non constat quousque admitti possint minores quædam mutationes, pro quibus proculdubio non requiritur S. Sedis consultatio (2). Sunt ideo qui censent ecclesias in quibus jam a longo tempore indumenta sic dicta gothica continuo adhibentur, non cadere sub decreto, quia agit de « usu ab Ecclesia recepto ». Hoc tamen non videtur tenendum quum in confirmationem adducuntur Litteræ anni 1863, quæ speciatim excludunt vestes « ad stylum quem dicunt gothicum conformatas ». Præterea non prohibetur tantum inducere « sacras vestes stylum gothicum præseferentes » sed quemvis « alium modum et formam etiam antiquam ».

Ex quibus omnibus apparet *dubium* propositum esse latissimæ extensionis.

Aliunde in *responso* prohibitioni additur maxima restrictio seu mitigatio. Non pronuntiatur sententia capitalis nec prohibitio absoluta cujusvis mutationis, sed omnis reformatio seu usus novus submittitur approbationi S. Sedis: « ab usu in Ecclesia recepto » « recedere non licet *inconsulta Apostolica Sede* ». Et hanc non esse nudam formulam sensu vacuam patet luculenter ex allegatis Litteris anni 1863, quibus « verbis amantissimis invitantur » Episcopi ut rationes exponere velint quæ forte pro mutatione militant. Et ita sub auctoritate S. Sedis facta est olim transitus a forma falso dicta gothica in formam

---

(1) Unde quæri potest utrum usum unius regionis in aliam inducere liceat: possetne quis v. g. in Urbe casulæ romanæ, quæ non multum est excisa et crucem habet in pectore ac columnam in dorso, substituere casulam gallicam multo magis excisam munitam cruce in dorso ? Uterque usus est in Ecclesia receptus, sed idem periculum « admirationis » imminet ac pro inducenda casula mediævali.

(2) Quales sunt quamplurimæ quas in ultimis responsis conferentiarum de indumentis liturgicis proposuimus.

romanam, gallicanam aut hispanicam, « *Sede Apostolica minime reclamante* », aiunt præfatæ Litteræ.

Et per hanc clausulam, — quæ ideo ut præcipua habenda est — nunc expresse applicantur paramentis novæ dispositiones Codicis juris circa materiam connexam.

Ita nempe de ecclesiis statuit can. 1164 § 1: « Curent Ordinarii, audito etiam, si opus fuerit, peritorum consilio, ut in ecclesiarum ædificatione vel refectione serventur formæ a traditione christiana receptæ et artis sacræ leges » (1).

De suppellectili vero, injungit can. 1296 § 3: « Circa materiam et formam sacræ supellectilis, serventur præscripta liturgica, ecclesiastica traditio, et, meliori quo fieri potest modo, etiam artis sacræ leges ».

Hanc regulam generalem S. R. Congregatio in specie applicavit vasis sacris et notatim calicibus, rescribendo die 30 junii 1922: « ad R^m D. Ordinarium loci, qui curet ne calices a formis traditionalibus differant, ob periculum effundendi sacras Species et excitandi admirationem » (2). Et eadem fit nunc applicatio ad paramenta.

Totum igitur pondus novi decreti consistit — sicut scribebamus de calicibus et de ecclesiis — non in hoc quod omnis renovatio aut antiquitatis reductio sit damnata, sed quod fieri non possit nisi consentiente auctoritate ecclesiastica, ut præcaveantur abusus (3).

Qui igitur cupiunt adhibere vel inducere indumenta ampliora — quod omnino exoptandum est — recurrant ad S. Sedem Apostolicam, quæ sane paratam sese exhibebit ut hanc facultatem concedat, modo serventur conditiones canonis 1296 § 3 et vitentur exagerationes aut novitates extravagantes.

Admissio enim casulæ latioris « gothicæ » etiam cum cruce furcata, per utramque scapulam transeunte, nescio

---

(1) Qua de re cf. quæ scripsimus apud *Collat. Brugen.*, t. XXII (1922), p. 501 ss.

(2) Cf. adnotata ad hoc decretum ap. *Collat. Brugen.*, t. XXII (1922), p. 433 s.

(3) Eadem fuit S. Congregationis agendi ratio in recenti decreto de praxi qua fideles sacro adstantes sacerdoti celebranti respondent: remittitur res « ad R^mum Ordinarium juxta mentem. Mens autem est: quæ per se licent non semper expediunt ob inconvenientia quæ facile oriuntur » 8 jul. 1922. Cfr adnotata ap. *Collat. Brugen.*, XXII, 436 s.

an alicubi *hodie* (1) posset « perturbationes producere et fidelium animos in admirationem adducere ». Nam in omni fere regione et cognita est et sine perturbatione sed cum admiratione laudativa adhibetur. In nostra diœcesi Brugensi major pars ecclesiarum iis paramentis utitur ; ex sola civitate Brugensi quotannis plurima centena casularum ampliorum in diversissimas orbis partes transmittuntur ; aliqui Eminentissimi Cardinales, multi episcopi et innumeri sacerdotes iis utuntur, plaudentibus fidelibus.

Præterea ab auctoribus vix non omnibus juridice admittuntur, historice, esthetice, liturgice commendantur.

A periodicis liturgicis, etiam a Romanis *Ephemeridibus liturgicis*, in omnibus expositionibus liturgicis et eucharisticis, ab omnibus artis religiosæ amantibus laudantur et ad majorem cultus dignitatem aptiores declarantur.

Et quamvis forma romana minus sit excisa, adeoque dignior quam forma gallica et hispanica, etiam in Italia et in ipsa Urbe his ultimis annis non solum tolerata sed et laudata et adhibita fuit casula amplior. In visitatione ecclesiarum Urbis a. 1904, facta nomine Pii X qui ipse ampliores casulas adhibebat et dono dedit, commendata fuit forma latior. In expositione missionaria a. 1925 centena erant indumenta liturgica, vix non omnia amplioris formæ vel mediævalis vel etiam antiquioris, quæ omnia, non sine verbis laudis, benedixit et diversis ecclesiis et basilicis distribui curavit ipse Pius XI gloriose regnans.

Et huic reformationi, licet latissime sparsæ nulla facta est perturbatio, imo nulla oppositio nisi forte localis et restricta contra quasdam exaggerationes aut specialem ornatum estheticum nimis modernum.

---

(1) Dicimus *hodie*, quia inter conditionem rerum anni 1863 et statum anni 1926 multiplex datur differentia. Tunc enim recens erat innovatio et minus frequens, nunc ubique nota est et in nonnullis ecclesiis a pluribus jam decenniis vigens. Tunc inducta erat potissimum ex motivo *archeologico* ob conformitatem cum stylo gothico; nunc vero ex motivo *liturgico* ob decorem cultus, quia, qualiscumque demum sit stylus ecclesiæ, indumenta mediævalia (minus recte « gothica » dicta) sunt vere *vestimenta* quæ dignitati celebrantis conveniunt. Unde tunc erat oppositio eorum qui stylo neo-gothico adversabantur; nunc autem approbantur ab omnibus qui dignitatem cultus et decorem domus Dei diligunt.

Ex quibus omnibus confirmatur intrepretatio decreti supra exposita. Vix credibile esset indumenta non excisa et formæ mediævalis nunc absoluto modo prohiberi et reprobari. Sed quum tendentia ad formas ampliores inducendas indies augeatur et latissime spargatur, facili negotio occurrere possunt et revera occurrunt jam abusus quidam, quum studio parcimoniæ vel novitatis non serventur « præscripta liturgica (1), ecclesiastica traditio (2), aut etiam artis sacræ leges » (3) quas servandas injungit citatus canon 1296. Et ideo jure merito S. Congregatio voluit ut tota hæc tendentia, sub vigilantia Ordinariorum, plane subdatur supremæ auctoritati S. Sedis Apostolicæ. Dignentur igitur Reverendissimi Episcopi et Superiores Ordinum S. Sedi « rationes exponere quæ immutationibus causam dederunt » et petere ut quod ad majorem cultus decorem fuit inductum, ad ædificationem populi servari possit.

* * *

Quæritur a pluribus utrum licitum sit indumenta « gothica » jam confecta adhibere usque ad consumptionem? Nisi S. Sedes aliter statuat, censemus hoc fieri posse. Ut enim ex præcedentibus patet, hæc indumenta non sunt proscripta ut abusus intolerabilis. Quum jam sint in usu, admirationem et perturbationem non movebunt quia adhibentur, sed forte quia jam non adhiberentur. Aliunde, ob diversam formam crucis, ad formam gallicam nulla excisione reduci possunt. Et inspecta caritate materiæ et operis confectionis, ea rejicere et nova conficere esset damnum ingens, ratione cujus saltem tolerari possunt usque dum usu terantur, etiamsi interea non positive probarentur. C. Callewaert.

---

(1) Si v. g. nimis excisæ casulæ saltem minus conformes sunt rubricis *Cærem. Episc.* II, VIII, 9 et Missalis, *Rit. Celebrandi*, IV, 7 et VIII, 6, 8. Contra hunc abusum præmonitos voluit Pius X Visitatores anni 1904.

(2) Ecclesiasticæ traditioni saltem communiori repugnare videntur pluvialia quæ, sine caputio aut clipeo, ornantur ad modum casulæ mediævalis (cf. supra, p. 171).

(3) Contra leges artis peccare videntur qui indumentis liturgicis apponunt omnimodos ornatus qui vestibus non conveniunt, aut in sanum ac legitimum symbolismum impingunt, aut tandem novitatibus exquisitis quæ ecclesias non decent, admirationem et oppositionem excitant.

# E Sacra Pœnitentiaria apost.

## DUBIUM

### CIRCA CORONAS EX VITRO CONFECTAS (1).

Sacræ Pœnitentiariæ Apostolicæ sequens dubium pro opportuna solutione exhibitum fuit :

Sacra Congregatio Indulgentiarum, die 29 februarii 1820, ad 2, expresse declaravit, Coronas Indulgentiis ditari posse etsi ex vitro seu chrystallo confectas, *dummodo globuli sint ex vitro solido atque compacto.*

At in Monito n. 1, præposito authentico elencho Indulgentiarum Apostolicarum, edito die 17 februarii 1922, ita legitur : « Res aptæ ad recipiendam benedictionem pro « Indulgentiis Apostolicis lucrandis, sunt tantummodo « Coronæ, Rosaria, Cruces, Crucifixi, parvæ Statuæ, « Numismata, dummodo non sint ex stanno, plumbo, « vitro aliave simili materia, quæ facile confringi vel « consumi possit ». Hinc quæritur :

Num id, quod in allato Monito ita in genere et simpliciter statuitur de Coronis, quæ sunt ex vitro, intelligi debeat ad tramitem prædictæ declarationis Sacræ Congregationis Indulgentiarum ?

Et Sacra Pœnitentiaria Apostolica, die 24 novembris 1925, respondit : *Affirmative.*

Facta autem de præmissis relatione Ssmo D. N. Pio divina Providentia Papæ XI, ab infrascripto Cardinali Pœnitentiario Maiore, in Audientia diei 18 decembris 1925, idem Ssmns Dominus responsum Sacræ Pœnitentiariæ benigne approbavit atque publici iuris fieri iussit.

Datum Romæ, ex Sacra Pœnitentiaria Apostolica, die 21 decembris 1925.

Fr. Andreas Card. Frühwirth, *Pœnit. Maior.*

L. † S. S. Fagiolo, *S. P. Secretarius.*

---

(1) *Acta Apost. Sedis*, t. XVIII (1926), p. 24. Anno præterito, occasione alicujus responsi s. Pœnitentiariæ 20 novembris 1923, quod apud *Periodica de re cononica et morali* comparuit, concludimus cum pluribus periodicis coronas ex vitro sive compacto sive insufflato jam non esse capaces indulgentiarum apostolicarum. Cfr *Collat. Brugen.*, t. XXV (1925), p. 474. Responsum autem in textu citatum quæstionem authentice dirimit : coronæ quarum globuli sunt ex vitro *solido* et *compacto* sunt capaces indulgentiarum apostolicarum sicut reliquarum indulgentiarum. Unde regula antiqua in usu manet : ab applicatione indulgentiarum excluduntur tantum globuli ex vitro insufflato.

# Consultatio.

## De portione parœciali.

Titius habens domicilium in E, aqua immersus moritur in R, distanti ab E non ultra 5 kilometra. Familia defuncti ducit corpus in I prope E, et ibi (in I) petit funèra, renitente parocho de E, qui ea sibi vindicat. Interim officialis securitatis publicæ (politiecommissaris) de I ob statum dissolutionis cadaveris vetat ne ulterius transferatur ad E. Tunc parochus de I celebrat exsequias nihil solvendo parocho de E. — An recte egit?

R. Inspecto solo legis textu, nullum est dubium de solutione. Emolumenta, detractis impensis, reddenda sunt parocho proprio de E, distanti non ultra 5 kilom. Mors enim accidit extra parœciam, sed in loco a quo commode transferri potest ad propriam ecclesiam, ideoque jus parochi proprii integrum manet. At ex altera parte, parochus de I recte egit, quia, propter vetitum civile, de facto impossibilis erat asportatio. Casus hic minime fuit prævisus a concilio Mechliniensi. Oportet igitur ipsum solvere juxta epikeiam determinandam in casu ab Ordinario, qui circumstantias ponderet et juxta æquitatem decernat. Casus est ita singularis, ut epikeia applicari posse videatur etiam can. 1218, § 2, qui loquitur tantum de ecclesia parœciæ in qua mors accidit.

J. Brys.

# Notæ bibliographicæ

**Dieckmann, H.** (S. J.). *De Ecclesia* I. De Regno Dei et constitutione Ecclesiæ. II. De Ecclesiæ magisterio. Frib. Br., Herder 1925. — Duo vol. in 8 maj., XIII-554 et XII-308 p. — Pr. 14 et 10 mk.

In hisce duobus voluminibus, quos ipse vocat historico-dogmaticos (1), cl. A. magna cum acribeia clare proponit et solide probat quæstiones de Ecclesia et Traditione.

Post brevem introductionem, in priore volumine primo tractat *de Regno Dei :* quænam viguerint ideæ messianicæ tempore Christi in populo Israel et quonam sensu ipse Christus regnum Dei a se prædicatum intellexerit ; tractat secundo *de constitutione Ecclesiæ*, scilicet de ejus institutione seu de apostolatu ejusque auctoritate necnon de primatu Petro collato ; dein de Ecclesia tempore apostolico, nimirum de constitutione hierarchica Ecclesiæ universalis atque de organisatione hierarchica ecclesiarum particularium ; postea de Ecclesia tempore postapostolico, seu de episcopatu catholico et primatu romani pontificis ; tandem de Ecclesia nunc existente, quæ vera Ecclesia Christi dignoscitur tum via notarum, tum via empirica, quam concilium vaticanum breviter delineavit.

In secundo volumine evolvitur tertius tractatus *de magisterio ecclesiastico*, cujus cl. A. primo probat atque explicat existentiam ac indolem infallibilem ; deinde agit de subjecto seu organo magisterii, id est de auctoritate doctrinali episcoporum et romani pontificis ; tandem dicit de fontibus majisterii, seu de sacra Scriptura et auctoritate ss. Patrum ac theologorum. In *conspectu dogmatico*, quo absolvitur ejus elucubratio, disputat de Ecclesiæ habitudine ad Christum, Patrem, Spiritum sanctum et SS. Trinitatem ; adhuc de natura et proprietatibus Ecclesiæ, cujus considerat præsertim unitatem, juxta doctrinam encyclicæ « Satis cognitum », quam dedit Leo PP. XIII, die 29 junii 1896.

Uti brevi hac analysi satis apparet, cl. A., qui in duobus hisce voluminibus exhibet lectiones quas habuit ab anno 1915-16 in collegio valkenburgensi, methodo prorsus nova quæstiones omnes de Ecclesia simul ac de fontibus revelationis pertractat, maxima quidem ac optima cum eruditione ac scientia tuta theologica. Exoptare liceat ut in pro-

---

(1) Cl. A. sua volumina edit sub generali inscriptione « theologiæ fundamentalis », dum bene tamen proponit in introductione sua, hanc inquisitionem suam historicam non esse proprie theologicam, sed potius præparationem et præambulum ad theologiam ; melius itaque *non* dicitur *theologia*. Objectum proprium habet hæc disquisitio historica ut ostendat fidem esse rationabilem et statuat factum revelationis. Hoc porro factum in ordine logico non est fundamentum veritatum, quæ in theologia ex revelatione proponuntur, unde nec etiam de theologia *fundamentali* loqui juvat, ut latius exponitur apud *Collat. Brugen.*, XIII, p. 44 s.

xima editione, notæ, breviores alioquin, jam non ad calcem quæstionum remittantur, sed simul cum aliis indicationibus, quæ nunc textum sæpius interrumpunt et lectionem difficiliorem reddunt, in fine potius paginarum referantur. Hæc egregia lucubratio cl. A., nitide etiam typis excusa, omnibus qui, modo magis historico ac positivo, studiis de Ecclesia et Traditione incumbere cupiunt, utilitatem quam maximam afferre nata est.

**Van Noort, G.** *Tractatus de Deo redemptore.* Hilversum, P. Brand, 1925. — In 8, 208 p.

Non est necessarium certo ut multis verbis extollamus eximium opus theologicum cl. Van Noort, cujus optimas dotes omnes norunt. In hoc tractatu de Deo redemptore, cujus quartam editionem curavit J. P. Verhaar, s. theologiæ professor in seminario Warmundano, reperies in sectione prima, *christologiam* seu doctrinam de mysterio incarnationis, scilicet de ipsa unione Verbi incarnati, de iis quæ unionem Verbi incarnati consequuntur, de excellentiis et infirmitatibus naturæ humanæ assumptæ et, in epilogo, de convenientia incarnationis ; in secunda sectione habes *soteriologiam* seu doctrinam de opere redemptionis, nimirum de mediatione Christi generatim, deinde de mediatione Christi in cruce ac de perfectione mediationis Christi, tandem de exaltatione Domini ; in sectione tertia brevem sed completum tractatum de B. M. Virgine seu *mariologiam* invenies, ubi agitur de dignitate, sanctitate, gloria et intercessione in cœlis beatæ Virginis Mariæ, Matris Dei ac nostræ. Hæ omnes quæstiones clare proponuntur, solide probantur, secundum authenticam doctrinam Ecclesiæ nitide explicantur ; quare denuo hoc opus libenter et omnino commendamus. H. Lamiroy.

**Dezuttere K.** *Het gemeentelijke belastingswezen*, Brugge, Moens-Patfoort, 1925. — In 8, 106 blz. en 14 tabellen.

**Axters H.** *Lager onderwijs en onderwijzerspensioenen* Brugge, Walleyn, 1925. — In 8, xvi-223 blz.

We mogen het een lofwaardig en zeer nuttig initiatief noemen, dat enkele vlaamsche rechtsgeleerden uit West-Vlaanderen besloten tot het uitgeven van een reeks studiën over bestuursrecht, Het doel is hoofdzakelijk : de openbare besturen toe te laten hun weg te vinden in de menigvuldige administratieve wetten en verordeningen sedert den oorlog verschenen.

De verzameling zal een dubbele reeks werken omvatten : 1° een *practische handleiding* waar in alphabetische orde, de dagelijksche bezigheden van elk openbaar bestuur besproken worden, met opgave van formulieren en nuttige wenken ; 2° bijzondere studiën over de nieuwste en belangrijkste onderwerpen die rechtstreeks of onrechtstreeks met het Bestuursrecht in verband staan.

Tot nog toe verschenen in de 1e reeks de 12 eerste fasciculen, de meest voorkomende zaken behandelende, die voorkomen in de zakenlijst onder letter A tot F. Met gelegenheid, wanneer namelijk de uitgaaf eenmaal volledig zal verschenen zijn en dus als een geheel voor priesters en kerkbesturen toegankelijk zal zijn, vatten we de bespreking

van dit zeer nuttige werk aan. Met het verschijnen van dit handboek wordt heel zeker een leemte aangevuld, aangezien onze kerkbureelen niet in 't bezit zijn van een vlaamsch werk, dat helpen kan en moet om de menigvuldige stukken van bestuurlijken aard op te maken, die nu toch voor 't meerendeel in die taal moeten geschreven worden.

In de tweede reeks verschenen tot nog toe :

a) *Het gemeentelijk belastingswezen*, door K. Dezuttere, dat we hier onbesproken laten om reden dat het de lezers van ons tijdschrift minder aanbelangt ;

b) *Lager onderwijs en onderwijspensioenen* door H. Axters.

Vroeger behandelde Adv. Axters dezelfde stof in een omvangrijk werk in 't fransch uitgegeven « Commentaire de la loi organique de l'instruction primaire et des lois et arrêtés relatifs aux pensions des instituteurs ». 't Werd dan, en met reden, overal gunstig onthaald, en telde twee uitgaven : de eerste in 1898, de tweede in 1908 (1).

Alwie echter ietwat vertrouwd is met onderwijszaken weet hoe, sedert dien datum, de wetgevende macht in ons land werkdadig was op dat gebied en vruchtbaar aan voorschriften ; en vooral hoe we sedert den oorlog om zeggens overstroomd werden met allerlei koninklijke besluiten, ministerieele omzendbrieven en bestuurlijke verordeningen in zake onderwijs. Of die opeenvolging van richtingen en besluiten, veranderingen en aanvullingen het onderwijs gunstig was en dienstig, hoeven we hier niet uit te maken. Doch zonder twijfel heeft Schr. zeer nuttig werk verricht met ons een systematische ordening te geven van die vele wetgevende en bestuurlijke voorschriften in zake lager onderwijs en onderwijspensioenen. 't Boek omvat eerst en vooral een inleidend woord, waarin beknopt de grondwettelijke stand van de gemeente in zake lager onderwijs wordt uiteengezet. Daarop volgt een lijst der juridische bronnen opgesomd volgens chronologische orde.

In een eerste deel worden de plichten en de rechten van den huisvader uiteengezet, namelijk: in welke mate hij wettelijk verplicht is zijn kinders onderwijs te geven; hoe die leerplicht bij ons wordt bepaald; hoe en wanneer de wet wordt overtreden, en hoe de nalatige ouders worden gestraft; hoe elke huisvader recht heeft op vrije keus der school en op kosteloos onderwijs voor zijn kinders ; hoe dit recht wordt beperkt.

Die rechten en plichten van den huisvader worden enkel omschreven volgens de positieve wetsbepalingen; niet volgens de voorschriften van 't natuurrecht. 't Ware nochtans niet overbodig geweest, meenen we, wat verder uit te weiden over dit natuurrecht, en 't verband aan te toonen tusschen het positieve recht en 't natuurrecht (zie n. 69). In zulksoortige werken heeft het ook zijn nut soms de reden van een voorschrift na te sporen. Dat geeft klaarder inzicht nopens de wet, en ontneemt aan 't boek den kouden indruk die een opsomming van verordeningen noodzakelijk verwekt.

---

(1) Zie hoe ze in dit tijdschrift gunstig werden beoordeeld in t. III, bl. 543 en t. VIII, bl. 536.

Het tweede deel geeft volledige inlichtingen over het bestuur van het onderwijs in de lagere school, de bewaarschool en de school voor volwassenen, zoowel voor wat betreft het leerpersoneel als het schooltoezicht.

Gaarne doen we hier opmerken dat Schr. geen zuiver compilatiewerk leverde, doch als knap rechtsgeleerde de vereischte rechtskundige tekstinterpretaties geeft, die oningewijden dienstig zijn. Waarom echter heeft hij zijn gekende juridieke bevoegdheid niet menigvuldiger aangewend, om over sommige bepalingen een persoonlijke beoordeeling te geven ? Moeten de rechtsgeleerden zich zoo maar blootweg neerleggen bij een ministerieele verklaring, zooals b. v. over de bevoegdheid in zake schooltoezicht van den gemeentelijken afgevaardigde (zie n. 106), wanneer deze rechtstreeks indruischt tegen de algemeen aangenomen rechtsleer ? Kunnen er geen andere en meer doorslaande beschouwingen worden ingebracht ten voordeele van de bepaling over de onderwijzeres die huwt, dan de vergelijking tusschen de gehuwde fabriekwerkster en de gehuwde onderwijzeres (zie n. 145) ?

In een derde deel worden al de nu van kracht zijnde bepalingen over de wedden, wachtgelden en pensioenen der onderwijzers opgesomd. 't Boek sluit met en volledig zakenregister.

Onnoodig dit boek warm aan te [illegible]len aan de EE. HH. pastoors en bestuurders der scholen: 't is e[illegible]n van onmisbare inlichtingen over alles wat schoolbestuur en s[illegible] wezen betreft; 't is een hulpmiddel dat nuttig gebruikt kan worden om alle onvoorzichtige en tegen de wet indruischende bemoeiingen in aangenomen en aanneembare scholen te vermijden; om op de hoogte te zijn van de wettelijke voorschriften in zake bouwen van schoollokalen, toelagen, onderwijzerspensioenen, enz.

De onderwijzer is steeds gelukkig, wanneer hij in zijn herder den priester vindt, die met zakenkennis steun verleenen kan en licht schenken waar allerhande moeilijkheden den horizont benevelen.

J. Brys.

**Beaufays, I.** (O. F. M.) et **G. Malherbe.** *Homiliaire ou recueil d'homélies pour les Evangiles des dimanches et des fêtes.* Bruxelles, Vromant, 1925. — In 8, 315 p.

Ce livre rendra de réels services aux curés dans la préparation de leur homélie dominicale. Il a paru d'abord par tranches dans les *Questions liturgiques et paroissiales*, 1924. On y trouve 1. le texte de la péricope évangélique de chaque dimanche; les divisions et les paroles essentielles y sont soulignées.

2. Un commentaire exégétique dû au talent du P. I. Beaufays qui a vécu de longues années en Terre Sainte, et qui, par quelques notes appropriées réussit à faire revivre la texte sacré.

3. Un plan méthodique des idées à mettre en œuvre par chaque prédicateur. Ces plans sont le fruit du ministère d'un curé, G. Malherbe.

4. Enfin un choix de lectures à faire parmi les ouvrages familiers aux prêtres. Puisse cet homiliaire aider au rajeunissement de l'homélie, et par là au renouvellement de la vie chrétienne ! A. Legrand.

# Collationes Brugenses

## Litteræ encyclicæ

AD VENERABILES FRATRES PATRIARCHAS, PRIMATES, ARCHIEPISCOPOS, EPISCOPOS ALIOSQUE LOCORUM ORDINARIOS PACEM ET COMMUNIONEM CUM APOSTOLICA SEDE HABENTES : DE SANCTO FRANCISCO ASSISIENSI SEPTINGENTESIMO AB EIUS OBITU EXEUNTE ANNO (1).

### PIUS PP. XI

VENERABILES FRATRES
SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

*Introductio:* Commemorationis sollemnis s. Francisci Assisiensis, patroni *Actionis catholicæ*, maxima utilitas in hisce adjunctis hodiernis.

Rite expiatis in hac Alma Urbe atque ad perfectioris vitæ institutum excitatis animis plurimorum Iubilæo magno — cuius quidem toto orbe fruendi facultatem in finem vertentis anni prorogavimus — iam ad maximas utilitates vel quæsitas inde vel speratas cumulus quidam videtur Nobis accessurus ex ea quæ ubique gentium apparatur de Francisco Assisiensi commemoratio sollemnis, septimo exeunte sæculo cum terrestre exsilium cælesti patria feliciter mutavit. Hominem, non tam turbulentæ ætati suæ quam christianæ omnium temporum societati emendandæ divinitus datum, cum Actioni catholicæ, quam vocant, proximus decessor Noster cælestem Patronum attribuerit, eos sane decet filios Nostros, qui in ea provincia secundum præcepta Nostra desudant, ita, cum creberrima Francisci subole concinentes, eius et acta et virtutes et spiritum revocare atque extollere, ut, commenticia illa Seraphici viri specie reiecta, quæ aut recentiorum errorum fautoribus aut urbanis lautisque hominibus ac mulieribus arridet, quam ipse in se rettulit sanctitatis formam, ad evangelicæ castitatem simplicitatemque doctrinæ compositam, christifideles omnes eandem

(1) *Acta Apost. Sedis*, XVIII, p. 153 s.

Genuina patriarchæ seraphici forma et perfectio proponatur et celebretur.

imitentur atque induant. Huc enim et sacros ritus et publicas ferias et recitationes et contiones, per sæcularis anni decursum, spectare cupimus, ut, qualis ex naturæ gratiæque donis, ad absolutissimam sui proximorumque perfectionem mirifice adhibitis, Patriarcha Seraphicus exstitit, talis omnino, nec alius aut dissimilis, germanæ pietatis significationibus celebretur. Quodsi temere facit quisquis adscitos in cælestem patriam sanctitatis heroas inter se comparat, quorum alios ad aliud Spiritus Paraclitus munus ad aliamque causam apud mortales obeundam delegit — quæ quidem comparatio, ab incompositis animorum motibus plerumque profecta, omni est fructu vacua inque Deum ipsum sanctitatis auctorem iniuriosa — videtur tamen nullus fuisse, in quo Christi Domini imago et evangelica vivendi forma similior, quam in Francisco, atque expressior eluxerit. Propterea, qui se ipse appellavit *magni Regis Præconem*, idem recte *alter Christus* nuncupatus est, quod se quasi reviviscentem Christum æqualium suorum societati et sæculis præstitit futuris : unde consecutum, ut is vivat hodie ante oculos hominum in omnemque victurus sit posteritatem. Quod ipsum iam quis miretur, quando ii, qui primi ex æqualibus eius temporis de vita et rebus Patris sui Legiferi scripsere, hunc pæne maiorem augustioremque quam pro humana natura existimarunt : quando decessores Nostri, qui Francisco familiariter usi sunt, in populi salutem Ecclesiæque præsidium a Deo illum providenter missum agnoscere non dubitarunt? Cur vero, tam diuturno a Seraphici viri obitu intervallo, catholicorum in eum pietas atque ipsorum acatholicorum admiratio novo quodam ardore effervescit, nisi quod eius forma haud minore hodie, quam ante, claritate mentibus collucet, eiusque vis ac virtus, ad medendum populis cum plurimum adhuc possit, in id advocata desideratur? Etenim emendatrix ipsius actio ad humani generis universitatem sic pertinuit, ut, præter restitutam late fidei morumque integritatem, evangelicæ caritatis iustitiæque rationes communem ac socialem, ut aiunt, vitam multo interius pervadendo temperarent.

Ipse imaginem Christi et evangelicam vivendi formam in semetipso perfecte expressit.

Ideo durat pietas in ipsum, sicut ejus forma semper collucet et ejus actio perseverat.

Hujus itaque commemorationis occasione, franciscalis spiritus in omnibus excitetur.

Eventi igitur, quod adesse properat, amplitudini ac faustitati aptissime congruit, ut, vobis, Venerabiles Fratres, alloquii Nostri nuntiis atque interpretibus, per Assisiensis Patriarchæ documenta vitæque exempla hac temporis reique opportunitate salutariter revocata,

franciscalem spiritum, qui ab evangelico sensu atque habitu nihil prorsus abest ac distat, in christiano populo excitemus. Placet enim contentione pietatis cum proximis certare decessoribus Nostris, qui nullam siverunt præcipuorum eius vitæ dierum facinorumque sæcularem præterire memoriam, quin apostolici auctoritate magisterii illustrarent fidelibusque agendam decernerent. In quo maxima cum animi voluptate meminimus — ac nequeunt Nobiscum non meminisse quiqui florentem excesserunt ætatem — in Franciscum eiusque instituta ubique gentium incensa fuisse popularium studia per Encyclicas Litteras *Auspicato*, a Leone XIII quarto ac quadragesimo ante anno datas, cum septimum pariter ab Assisiensis viri ortu sæculum compleretur : quæ quidem studia quandoquidem in multiplices pietatis significationes et in optatam quandam animorum erupere renovationem, minime intellegimus cur proximi eventi gravitate paris exitus par esse non debeat. Quin etiam longe superiorem portendunt quæ sunt in præsens christianæ societatis tempora. Quem enim fugiat, bona spiritus pluris fieri communiter cœpisse, et populos, superioris ætatis experientiâ, doctos nisi ab reditu ad Deum nihil quietis sibi ac securitatis sperandum, ad unam salutis causam Ecclesiam catholicam suspicere? At præterea cum sæcularibus hisce sollemnibus, quæ ab spiritu pænitentiæ caritatisque seiungi non possunt, nonne prolata ad orbem terrarum romani Iubilæi venia, de qua diximus, auspicato concurrit?

Consilium Romani Pontificis de hoc spiritu excitando, ad exemplum suorum decessorum.

Maximi fructus inde sperandi, præsertim in hodiernis adjunctis.

In comperto est, Venerabiles Fratres, quam difficilis quamque acerba Francisco ætas contigerit. Esto, christianam fidem tum in populo altius esse defixam : cuius quidem rei argumento est, non tam conductos milites quam ipsos omnis ordinis cives, ad liberandum Christi Sepulcrum, signa in Palæstinam, sacro impetu, intulisse. At tamen in agrum dominicum obrepere sensim hæreses ac serpere, vel ab notis auctoribus vel ab occultis circulatoribus propagatæ, qui, vitæ austeritatem assimulatamque virtutis disciplinæque speciem ostentando, facile simplices debilesque decepere homines : inde infesti quidam rebellionis igniculi in multitudines insinuari. Si qui autem, privatorum maculis Ecclesiæ Dei inustis, se ad hanc emendandam divinitus vocatos superbe censuerunt, haud ita multo post, cum doctrinas auctoritatemque

1° — Quænam fuerint *difficultates* ætatis s. Francisci.

Apostolicæ Sedis reiecissent, liquido apparuit quibus ii consiliis regerentur; expedite vero ad libidinem et luxuriam, ad ipsamque rerum publicarum perturbationem, concussis religionis, dominii, familiæ civitatisque fundamentis, plerosque eorum devenisse constat. Scilicet id tum evenit, quod hac illac plus semel sæculorum decursu, ut conflatæ in Ecclesiam inque civitatem seditiones pari gradu, altera alteram iuvante, procederent. Verum, licet catholica fides in animis aut incolumis aut non omnino obscurata consisteret, cum evangelici spiritus pæne defecissent, tum Christi caritas in societate hominum adeo deferbuerat ut quasi restincta videretur. Nam, ut de eorum contentionibus sileamus qui hinc cum Imperio, illinc cum Ecclesia facerent, intestinis Italicæ urbes bellis lacerabantur, seu vellent nonnullæ se ab dominatu unius in civilem libertatem vindicare, seu aliæ ex maioribus alias sibi minores subigere niterentur, seu factiones in una eademque civitate de principatu certarent: unde immanes utrimque cædes, incendia, expilationes direptionesque locorum, exsilia, rerum bonorumque publicationes. Iniquissima plurimorum fortuna, cum inter dominos et clientes, maiores, quos vocabant, et minores, eros et colonos, nimio plus dispares intercederent rationes, quam ipsa pateretur humanitas, et tenuiores e populo a potentioribus opprimi atque impune vexari solerent. Abrepti porro amore sui suarumque rerum studio, quotquot e miserrima plebe non erant, insatiabili divitiarum cupiditate exardescere; sumptuariis alicubi legibus nequiquam latis, insanum vestium, epularum deliciarumque omne genus iactare atque ostentare apparatum; paupertatem pauperesque contemptui habere; animo ab leprosis, tum frequentibus, esse aversissimo eosdemque segregatos neglegere: a qua sane tanta fruendi bonis voluptatibusque libidine ne ii quidem vacabant — etsi satis multi e clero morum austeritate commendabantur — qui religiosius vacare debuerant. Quamobrem usu venerat, ut magnos sibi quisque et uberes quæstus omnibus ex rebus, unde licuisset, hauriret ac constitueret; non modo igitur pecuniâ per vim extorquendâ vel iniquo fenore exigendo, sed etiam publica munera, honores, iustitiæ administrationem, vel ipsam reis impunitatem venditando, rem familiarem non pauci augebant atque exaggerabant. Nec vero tacuit Ecclesia nec a puniendo se abstinuit: at, quantumne id profuturum erat, quando

Imprimis evangelicus spiritus pæne defecerat et caritas Christi veluti restincta videbatur.

Iusuper Ecclesiæ actio mul-

vel Imperatores, publico pessimoque exemplo, Apostolicæ Sedis anathemata provocabant contumaciterque spernebant? Monasticum quidem institutum, quod tam lætos ad maturitatem fructus perduxerat, mundano respersum pulvere, ad resistendum repugnandumque minus poterat; quodsi per novos religiosorum virorum Ordines ecclesiasticæ disciplinæ aliquantum præsidii accessit ac firmamenti, multo tamen copiosiore et lucis et caritatis effusione laborantem hominum societatem reparari oportebat.

tis modis impediebatur.

Itaque eiusmodi, quam adumbravimus, societati cum illustrandæ, tum ad incorruptam evangelicæ sapientiæ speciem reducendæ, divino consilio Assisiensis apparuit idemque effulsit Solis instar, quemadmodum cecinit Aligherius (1): quæ ipsa demum est Thomæ a Celano sententia, scribentis: « Radiabat velut stella fulgens in caligine noctis et quasi mane expansum super tenebras » (2).

Divino consilio tunc apparuit solis instar Assisiensis.

Adulescens uberiore quodam et vehementiore ingenio, fertur, pretiosis indutus vestibus, delicatis ac iucundis, quibus uteretur, comitibus cænas apponere lautissimas et inter hilariores cantus urbis suæ obire vias consuevisse, integritate tamen morum, castitate sermonum divitiarumque contemptu commendatus. Qui, post Perusinæ captivitatis ac morbi cuiusdam molestias cum se interius immutatum non sine admiratione sensisset, nihilo secius, ut ex Dei veluti manibus elaberetur, heroicos oppetiturus casus in Apuliam contendit. Verum, cum iter faceret, haud ambiguo Dei monitu Assisium redire iussus est, ubi, quid agendum foret, doceretur; postquam vero dubitationibus diu æstuavit, et divino afflatu et audito inter sacrum sollemne illo Evangelii loco, qui ad Apostolorum missionem vitæque genus pertinebat, intellexit, se « ad formam Sancti Evangelii » vivere et Christo servire oportere. Iam tum, igitur, cum Christo coniungi arctissime eique omnino similis effici aggressus est; et « totum viri Dei studium, tam publicum quam privatum, circa crucem Domini versabatur; et a primævo temporis, quo Crucifixo cœperat militare, diversa circa eum crucis mysteria præfulserunt » (3). Vere bonus is miles et eques Christi,

2° — Breviter adumbratur *vitæ curriculum* s. Francisci.

Ab initio intellexit se ad formam sancti evangelii vivere et Christo servire oportere.

(1) *Par.* XI.
(2) *Leg.* I, n. 37.
(3) Th. a Cel. *Tract. de mirac.*, n. 2.

pro nobilitate et generositate animi, fuit; qui, ne qua in re cum Domino suo et ipse et discipuli sui discreparent, præterquam quod evangelicum codicem, oraculi causa, adire ac consulere inter deliberandum solebat, legem Ordinum, quos condidit, cum evangelio ipso itemque religiosam suorum vitam cum apostolica vita unus adæquavit. Quapropter in Regulæ fronte recte inscripsit: « Regula et vita Minorum fratrum hæc est, scilicet Domini nostri Iesu Christi sanctum Evangelium observare... » (1). Iam, ut rem pressius ingrediamur, videamus, Venerabiles Fratres, quam præclara perfectissimarum virtutum exercitatione se Franciscus ad inserviendum divinæ misericordiæ consiliis pararit idoneumque publicæ emendationis administrum præstiterit.

Describitur *spiritus* ejus *paupertatis* paucis factis ex ipsius vita.

Quonam studio flagraret noster evangelicæ paupertatis, si mente facilius fingimus, describere tamen censemus perarduum. Ipsum nemo ignorat ad opitulandum egenis fuisse naturâ proclivem, et, teste Bonaventura, tantæ plenum benignitatis, ut, « iam Evangelii non surdus auditor », decrevisset, nulli se mendico stipem negaturum, quisquis præsertim in petendo « divinum allegaret amorem » (2); at vero naturam cumulate gratia perfecit. Itaque, interiore Dei impulsu, reiectum olim pauperem, pænitentia commotus, statim conquirere eiusque misericorditer atque abunde allevare inopiam; iuvenibus stipatus cum aliquando post lætum convivium per urbem concinendo cursitaret, consistere subito, per summam spiritus dulcedinem a corpore abstractus, rogantibusque, ubi se recepit, comitibus uxoremne cogitaret, respondere illico ardenterque eos recte dixisse, cum uxorem, qua nulla sane nobilior et ditior et pulcrior, ducere sibi proponeret: quibus quidem verbis seu paupertatem seu religionem præcipuo paupertatis cultu innixam intellegebat. Etenim a Christo Domino, qui propter nos egenus factus est, cum esset dives, ut illius inopia divites essemus (3), divinam illam sapientiam didicit, quam nulla unquam humanæ sapientiæ commenta delebunt, quæque sancta novitate res una omnes instaurare potest.

---

(1) *Reg. Fr. Minorum*, initio.
(2) *Leg. mai.*, c. I, n. I.
(3) *II Cor.*, VIII, 9.

Docuerat sane Iesus : *Beati pauperes spiritu* (1) ; *si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cælo : et veni, sequere me* (2) ; eiusmodi autem paupertatem, quæ, utpote posita in ea voluntaria studiosaque rerum omnium iactura quam quis Spiritus Sancti instinctu suscipiat, invitæ illi et morosæ et ostentatæ veterum quorundam philosophorum omnino repugnat, ita amplexus est noster, ut dominam et matrem et sponsam reverenter amanterque appellaret. Ad rem sanctus Bonaventura : « Nemo tam auri quam ipse cupidus paupertatis, nec thesauri custodiendi sollicitior ullus quam iste huius evangelicæ margaritæ » (3). Ac Franciscus ipse, cum in lege Ordinis propria singularem prorsus eius virtutis exercitationem suis commendat ac præcipit, quanti eam faceret, quantopere adamaret, perspicuis profecto verbis ostendit : « Hæc est illa celsitudo altissimæ paupertatis, quæ vos, carissimos fratres meos, hæredes et reges Regni cælorum instituit, pauperes rebus fecit, virtutibus sublimavit. Hæc sit portio vestra ; ... cui... totaliter inhærentes, nihil aliud pro nomine Domini nostri Iesu Christi in perpetuum sub cælo habere velitis » (4). Atque idcirco Franciscus paupertatem amavit præcipue, quod eam consideraret Deiparæ familiarem et Christi Iesu non tam familiarem quam Sponsam in ligno Crucis adscitam, et ab hominibus deinde oblitteratam et mundo valde amaram atque importunam. Quæ cum secum ipse reputaret, mirum quantum consueverat lacrimarum edere ac ploratuum. Iam quis insigni isto hominis spectaculo non commoveatur, qui ex paupertatis amore pristinis lautitiarum suarum sociis aliisque non paucis insaniisse visus est ? Quid quod posteros, vel ab evangelicæ perfectionis captu usuque alienissimos, huius tanti paupertatis amatoris auctior in dies admiratio perculit et nostræ homines ætatis percellit ? Cui quidem posteritati omnino Aligherius præivit, cantu illo (5) de sponsalibus inter Franciscum et Paupertatem initis, in quo nescias utrum magis mirere, granditatemne

Paupertatem et dominam, et matrem, et sponsam appellat.

Ideo vero eam tantopere amat, quia eamdem in Deipara et in Christo considerat.

Sic merito admirationem movet hominum omnis ætatis.

(1) *Matth.*, v, 3.
(2) *Matth.*, xix, 21.
(3) *Leg. mai.*, c. 7.
(4) *Reg. Fr. Min.*, c. 6.
(5) *Par.*, xi.

elationemque sententiarum, an carminis mollitudinem ac venustatem.

Cum hoc spiritu paupertatis *profundissima humilitas* conjuncta, uti vita rursus ejus omnino constat.

Iamvero quæ in mente animoque Francisci paupertatis et notio altissima et generosa insidebat cupiditas, externorum dumtaxat bonorum abdicatione terminari ac circumscribi non poterat. Nam cui liceat germanam ad Christi Domini exemplum adipisci ac profiteri paupertatem, nisi se spiritu pauperem seque humilitatis virtute pusillum effecerit? Quod cum probe teneret noster, alteram virtutem ab altera nunquam dissociando, utramque simul consalutat ac salvere iubet: « Domina sancta paupertas, Dominus te salvet cum tua sorore sancta humilitate... Sancta paupertas confundit omnem cupiditatem et avaritiam et curas huius sæculi. Sancta humilitas confundit superbiam et omnes homines huius mundi et omnia quæ in mundo sunt » (1). Franciscum autem uno ut verbo depingat, aurei *De Imitatione Christi* libri scriptor humilem appellat: « Quantum unusquisque est in oculis tuis (Deus), tantum est et non amplius, ait humilis S. Franciscus » (2). Cui profecto fuit curæ potissimum, ut, tamquam omnium minimum ac postremum submisse se gereret. Itaque, inde ab inito emendatioris vitæ curriculo, cupere is vehementer ludibrio ac risui esse hominibus; etsi Conditor Paterque Minorum Legifer erat, unum tamen aliquem ex suis sibi moderatorem ac dominum deligere, a cuius nutu penderet; vixdum licuit, nullis suorum precibus fletibusque devictus, summum Ordinis magistratum deponere « ad servandam humilitatis sanctæ virtutem », et permanere « exinde subditus usque ad mortem, humilius agens quam aliquis aliorum » (3); oblatum sæpe a Purpuratis Patribus primoribusque civitatis liberale magnificentissimumque hospitium abnuere ac recusare; reliquos homines æstimare quamplurimi et omni honoris testimonio prosequi, factus « inter peccatores quasi unus ex eis ». Namque peccatorum maximus ipse sibi videbatur, dicere solitus, si quam sibi Deus adhibuerat misericordiam, eandem scelesto alicui homini præstitisset, hunc decies tanto perfectiorem fuisse evasurum, prætereaque Deo

(1) Opusc. *Salutatio virtutum* (Ed. 1904), p. 20 et seq.
(2) L. III, c. 50.
(3) Th. a Cel., *Leg.* II, n. 143.

dumtaxat tribuendum, a quo unice profectum esset, quicquid in se honesti ac boni reperiebatur. Qua de causa privilegia et charismata, quæ hominum existimationem ac laudem parere sibi possent, atque in primis Stigmata Domini Iesu in suo corpore impressa divinitus, omni occulere contentione studuit ; si quando autem privatim publiceve dilaudaretur, non tam se ipse putabat ac fatebatur contemptu contumeliisque dignum, quam incredibili quodam mærore, non sine gemitibus lamentisque, angebatur. Quid quod se indignum adeo existimavit, ut sacerdotio initiari noluerit? In hoc ipso igitur humilitatis quasi fundamento Ordinem Minorum niti voluit ac consistere. Quodsi hortationibus miræ sapientiæ plenis suos iterum iterumque docebat, cur non liceret ulla de re, nedum de virtutibus gratiisque cælestibus, gloriari, in primis tamen eos ex fratribus admonebat et pro opportunitate obiurgabat, quibus sua ipsorum officia periculum inanis gloriæ superbiæque facesserent, ut divini verbi præcones, ut litterarum optimarumque artium peritos, ut cœnobiorum provinciarumque moderatores. Longum sane est singula persequi, sed hoc unum commemorare libet : humilitatem Franciscum ex Christi exemplis ac verbis (1) in suos, quasi peculiarem Ordinis notam, derivasse ; fratres enim suos « voluit vocari *Minores*, et prælatos sui Ordinis dici *ministros*, ut et verbis uteretur evangelii, quod observare promiserat, et ex ipso nomine discerent discipuli eius, quod ad discendam humilitatem ad scholas humilis Christi venissent » (2).

In hoc etiam fundamento ordinem Minorum niti ac consistere voluit.

Vidimus, Seraphicum virum, ex ipsa quæ in mente sua inesset paupertatis absolutissimæ notione, tam se pusillum humilemque præstitisse, ut, vel cum Ordini præsideret, alicui uni — immo, ut addamus, fere omnibus — candida cum simplicitate obtemperaret ; quisquis enim semet non abnegat, nec arbitrium abiicit suum, non is profecto dicendus aut se quibusvis rebus despoliasse aut demisso fieri animo posse. Itaque noster voluntatis libertatem, munus ceteris præcellentissimum a Deo Creatore humanæ naturæ tributum, Iesu Christi Vicario per obedientiæ votum ultro addixit permisitque totam. O quam faciunt inepte, quam longe ab Assisiensis cognitione recedunt

Libertatem suam per *obedientiæ votum* Vicario Jesu Christi permisit totam.

(1) *Matth.*, xx, 26-28 ; *Luc.*, xxii, 26.
(2) S. Bonav., *Leg. mai.*, c. 6, n. 5.

qui, ut suis commentis erroribusque serviant, Franciscum quendam fabricantur ac fingunt — incredibile dictu — cum ecclesiasticæ intolerantiorem disciplinæ, tum de ipsis fidei doctrinis nihil omnino curantem, tum etiam præcursorem ac prænuntium multiplicis illius, quæ ab recentioris ævi initio iactari cœpit, ementitæ libertatis, unde tanta Ecclesiæ civitatisque exstitit perturbatio. Iam mirificis exemplis ipse suis, quam arcte cum Ecclesiæ hierarchia, cum Apostolica hac Sede et cum Christi doctrina cohæreret, Præco magni Regis catholicos doceat acatholicosque universos. Etenim, ut e litterarum monumentis illius ætatis, iisque fide dignissimis, constat, « venerabatur sacerdotes, et omnem ecclesiasticum ordinem nimio amplexabatur affectu » (1) ; « hoc..... ipse *vir catholicus et totus apostolicus* in prædicatione sua principaliter monuit, ut Romanæ Ecclesiæ fides inviolabiliter servaretur, et ob Dominici Sacramenti, quod ministerio sacerdotum conficitur, dignitatem, in summa sacerdotalis ordo reverentia teneretur. Sed et divinæ legis doctores et omnes ecclesiasticos ordines docebat summopere reverendos » (2). Quod autem popularibus e suggestu tradebat, id ipsum fratribus suis multo inculcavit vehementius ; quos monere identidem consueverat — et Testamento illo suo, et moriturus etiam atque etiam monuit — prælatis et clericis, in sacri ministerii exercitatione, modeste parerent cum iisque filios pacis se gererent. At vero, quod hoc in genere caput est, cum primum propriam sui Ordinis legem Seraphicus Patriarcha condidisset ac conscripsisset, nihil pæne moræ interiecit, quominus eam Innocentio III, coram cum prioribus undecim discipulis sistens, adprobandam subiiceret. Immortalis autem memoriæ Pontifex, verbis et conspectu pauperrimi humillimique hominis mirifice affectus divinoque afflatus spiritu, cum Franciscum peramanter complexus esset, tum exhibitam sibi legem apostolica auctoritate sanxit, fecitque præterea novis operariis prædicandæ pænitentiæ potestatem : cui quidem Regulæ paulo immutatæ, testis historia est Honorium III, Francisci rogatu, confirmationis robur addidisse. Regulam autem et vitam Fratrum Minorum Seraphicus Pater

Vir catholicus et totus apostolicus, tum exemplo, tum verbo, fideles et præcipue fratres ad obedientiam et reverentiam erga Ecclesiam et hierarchiam hortabatur.

Sic etiam curavit ut Regula sui ordinis statim a Rom. Pontificibus adprobaretur.

(1) Th. a Cel., *Leg.* 1, n. 62.
(2) Julian. a Spira, *Vita S. Fr.*, n. 28.

huiusmodi vult esse, ut iidem « Domini Nostri Iesu Christi sanctum Evangelium » observent, « vivendo in obedientia, sine proprio et in castitate », non ad arbitrium quidem suum suamque interpretationem, sed ad nutum Romanorum Pontificum, qui canonice electi sint. Quicumque vero cupiunt « hanc vitam accipere... Ministri... diligenter examinent eos de fide catholica et ecclesiasticis sacramentis, et si hæc omnia credant, et velint ea fideliter confiteri, et usque in finem firmiter observare » ; qui in Ordinem cooptati sint, ne inde ullo pacto discedant « iuxta mandatum Domini Papæ ». Clericis præcipitur, ut divina obeant officia « secundum ordinem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ » ; fratribus in universum, ne in territorio alicuius episcopi, huius iniussu, contionentur, neve sacrarum virginum cœnobia, ministerii causâ, nisi peculiarem Apostolica Sedes veniam fecerit, ingrediantur. Nec minorem Apostolicæ Sedis reverentiam atque observantiam ea redolent, quæ de Cardinali protectore postulando Franciscus habet : « Per obedientiam iniungo Ministris, ut petant a Domino Papa unum de Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, qui sit gubernator, protector et corrector istius Fraternitatis ; ut semper subditi et subiecti pedibus eiusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, stabiles in fide catholica,.. sanctum Evangelium Domini nostri Iesu Christi, quod firmiter promisimus, observemus » (1).

In hac autem regula eadem doctrina nitide proponitur.

Nec silere de illa decet, quam Seraphicus vir « diligebat præcipue pulchritudinem et munditiam honestatis », scilicet de ea spiritus corporisque castitate, quam acerbissima sui ipsius maceratione custodiebat ac tuebatur. Ipsum vidimus, cum adulescens festive eleganterque ageret, a quavis vel verborum turpitudine abhorruisse. Attamen, statim atque inania sæculi delectamenta abiecit, iam tum sensus acerrime cohibere cœpit, et, si quando voluptariis pulsari agitarique eum motibus contigit, sese aut inter dumos volutare aut, summa hieme, in rigidissimas aquas demergere non dubitavit. Explorata, ceteroqui, res est, nostrum, qui homines ad evangelicæ vitæ institutum revocare studeret, hortari omnes solitum « ut amarent et timerent Deum atque pœnitentiam agerent de peccatis » (2), exemploque suo omnibus pæni-

Elucet adhuc in seraphico viro spiritus corporisque *castitas*, quam acerbissima maceratione custodiebat ac tuebatur.

(1) *Reg. Fr. Minor.*, passim.
(2) *Leg.* Trium Sociorum, n. 33 et seqq.

tentiæ auctorem suasoremque exstitisse. Is enim cilicium carni adhibere, tunica rudi ac paupere uti, nudis pedibus incedere, subnixis lapide lignove cervicibus cubare, cibum capere qui mortem dumtaxat arceret, eundemque aquæ et cineri plerumque admixtum ut male saperet, immo etiam maiorem anni partem fere ieiunus traducere. Corpus præterea, quod cum iumento onerario comparabat, aspere duriterque, seu satis firma seu ægra esset valetudine, tractare, et duplicata quidem castigatione, si quid calcitrare videretur : postremis autem vitæ suæ annis, cum, factus Christo simillimus, per Stigmata quasi cruci affixus esset et multiplici morborum vi torqueretur, ne tunc quidem corpori suo aliquid solacii indulsit ac quietis. Nec minus curavit, ut sui austeritati et pænitentiæ assuescerent, quamquam — in quo unice « dissona fuit manus a lingua in patre sanctissimo » (1) — eos iubendo monuit, ab immodica abstinentia corporisque affictatione temperarent.

Hæc porro fluxere omnia ex uno eodemque *divinæ caritatis* fonte.

Hæc autem omnia ex uno eodemque divinæ caritatis fonte ac capite fluxisse quis pro manifesto non habet? Siquidem, ut Thomas a Celano scripsit (2), « amore divino fervens... studebat semper ad fortia mittere manum, et dilatato corde viam mandatorum Dei ambulans, perfectionis summam attingere cupiebat », et, teste Bonaventura (3). « totus... quasi quidam carbo ignitus divini amoris flamma videbatur absorptus »; nec deerant qui vim lacrimarum profunderent, cum eum cernebant « ad tantam ebrietatem divini amoris tam cito venisse » (4).

Caritas ejus eximia in proximum, quam etiam fratribus omnino inculcavit.

Divina autem eiusmodi caritas ita in proximos redundavit, ut inopes homines, in iisque miserrimos leprosos, a quibus ante, cum adolesceret, naturâ abhorrebat, sui ipsius victor, præcipua sit benignitate complexus, horumque servitio et curationi se totum suosque addixerit ac manciparit. Nec minore voluit alumnos suos fraterna inter se caritate diligere ; quare franciscalis familia, quasi quædam « caritatis nobilis structura surrexit, in qua vivi lapides, ex omnibus mundi partibus coacervati, ædificati sunt in habitaculum Spiritus Sancti » (5).

---

(1) Th. a Cel. *Leg.* II, n. 129.
(2) *Leg.* I, n. 55.
(3) *Leg. mai.*, c. 9, n. 1.
(4) *Leg.* Trium Sociorum, n. 21.
(5) Th. a Cel. *Leg.* I, n. 38 et seqq.

Libuit, Venerabiles Fratres, in hac quasi contemplatione altissimarum virtutum aliquanto morari diutius, quia, per hæc quidem tempora, plurimi, quos laicismi pestis infecit, heroas nostros germana sanctitatis luce ac gloria exuere consueverunt, ut eos ad naturalem quandam præstantiam inanisque cuiusdam professionem religiositatis deprimendo, tamquam de disciplinarum optimarumque artium processu, de beneficentiæ institutis, de patria sua, de universo hominum genere præclare meritos dumtaxat prædicent atque extollant. Ac mirari nunquam desinimus, quidnam talis Francisci, quem dimidiatum atque adeo simulatum dixeris, admiratio recentioribus eius amatoribus profutura sit, quotquot aut divitias lautitiasque aucupantur aut compita urbium, choreas, spectacula munduli ac concinni celebrant aut in voluptatum cæno volutantur aut Christi Ecclesiæque disciplinam ignorant, reiiciunt. Huc illud quadrat aptissime ; « Quem delectat sancti alicuius meritum, delectare debet par circa cultum Dei obsequium. Quare aut imitari debet, si laudat ; aut laudare non debet si imitari detrectat ; et qui sanctorum merita admiratur, mirabilis ipse vitæ sanctitate reddatur » (1).

Error modernus laicismi ratio fuit in hisce diutius immorandi.

Itaque ad æqualium suorum emendationem et salutem inque universæ Ecclesiæ præsidium eo, quod diximus, munitus robore virtutum, Franciscus auspicato vocatur. Ad Ædem Damiani, ubi per suspiria ac gemitus orare solitus erat, vocem ipse ter e cælo demissam audierat : I, Francisce, labentem refice domum meam (2). Arcanam rei significationem cum nequaquam intellexisset, utpote qui tam demisso esset animo et sese ad maxima quæque minus putaret idoneum, miserentissimum tamen Domini consilium ex oblata sibi divinitus specie Francisci inclinatum Lateranense templum humeris suis sustinentis clarius Innocentius III coniiciendo perspexit. Seraphicus igitur vir, duplici condito Ordine, altero hominibus, altero mulieribus ad evangelii perfectionem evehendis, italicas urbes concursando celeriter, per se ipsemet et per discipulos initio cooptatos, brevi sane at fervidissimo quodam dicendi genere, pænitentiam populis nuntiare ac prædi-

3° — Adumbratur *opus eximium* a Francisco præstitum.

Institutio *duplicis ordinis* ad perfectionem colendam.

(1) Brev. Rom. d. 7 Nov. : lect. IV.
(2) S. Bonav., *Leg. mai.*, c. 2.

care aggressus est : quo in ministerio incredibiliter verbo et exemplo profecit. Francisco enim, quacumque, apostolici muneris gratiâ, peregrinabatur, obviam clerus populusque effundi – pompâ inter æris sacri tinnitus et communes cantus institutâ – ramos olivarum ventilantes ; stipare ipsum omnes cuiusvis ætatis, sexus atque ordinis, et domum, ubi moraretur, interdiu noctuque circumsæpire, ut exeuntem adspicere, tangere, alloqui, audire liceret ; nullus contionanti resistere, ne ii quidem quorum vitia et flagitia perpetuo usu consenuerant. Factum inde est, ut, cum plurimi, vel constantis ætatis, gregatim, evangelicæ cupiditate vitæ terrena omnia abdicarent, tum Italiæ populi se ad bonam frugem omnino reciperent et Francisco in disciplinam se traderent ; immo eius subole in immensum aucta, tantus ubique ad eum sectandum animorum exitatus est ardor, ut parantes vulgo viros et feminas vel a coniugio domesticoque convictu recedere ipse ab consilio sæculi repudiandi Seraphicus Patriarcha avertere atque abducere sæpe cogeretur. Interea illud præcipue novis pænitentiæ nuntiis propositum deliberatumque erat, inter singulos, familias, civitates, regiones, perpetuis quassatas cruentatasque discidiis, redintegrare pacem ; atque rudium illorum hominum eloquentiæ humanâ maiori adscribendum, si Assisii, si Arretii, si Bononiæ atque in aliis urbibus oppidisque satis multis plenæ animorum concordiæ, sollemnibus interdum initis pactis conventis, efficaciter consultum est. Ad communem autem pacificationem emendationemque plurimum Ordo Tertius contulit, religiosus quidem Ordo at, novo ad eos dies exemplo, nulla votorum religione adstrictus, cuius erat cum divinæ servandæ legis, tum christianæ perfectionis assequendæ hominibus mulieribusque in sæculo viventibus offerre ac dare omnibus facultatem. Legis novo sodalicio constitutæ hæc potissimum capita. Ne adsciscerentur nisi qui fidem catholicam tenerent Ecclesiæque cum summo parêrent obsequio ; quomodo sodales ex utroque sexu in Ordinem ingrederentur et, tirocinio ad annum exacto, vir tamen de uxoris consensu, uxor assentiente viro, Regulam sponderent : de vestibus adhibendis honestati paupertatique consentaneis deque muliebri cultu moderando ; ne Tertiarii inhonesta convivia vel spectacula, ne choreas participarent ; de abstinentia et ieiunio ; de culpis ter in anno expiandis et sacra synaxi totidem suscipienda,

Institutio *tertii ordinis* pro iis qui sæculum relinquere impediuntur.

Hic ordo ad communem pacificationem ac emendationem plurimum contulit.

Præcipua hujus sodalicii capita indicantur.

reconciliatis inter se animis atque alienis rebus domino redditis ; ne arma, nisi ad Romanæ Ecclesiæ, fidei christianæ patriæque cuiusque suæ tuitionem aut suorum concessu ministrorum, Tertiarii ferrent ; de horis canonicis aliisve precibus persolvendis ; de testamento intra tres ab inito Ordine menses legitime faciundo ; ut turbatam sodales pacem inter se cum externisque prompte reconciliarent ; quid ipsis agendum, si quando sua iura vel privilegia oppugnari aut violari contingeret ; sollemne iusiurandum ne unquam interponerent, nisi necessitate imminente, quam Apostolica Sedes excepisset. Huc præterea accedebant alia haud minoris momenti : de audiendo sacro deque cœtibus stato quoque tempore habendis ; de stipe a singulis, pro suis cuiusque viribus, conferenda in subsidium tenuiorum, præsertim ægrotantium, et in iusta funebria sodalium ; quomodo alteri alteros aut ægra valetudine affectos inviserent aut peccantes contumacesque corriperent atque emendarent ; ne quis officia ac ministeria sibi commissa recusaret vel neglegenter impleret ; de litibus dirimendis. Quo in genere ideo singula persecuti sumus, ut appareat, Franciscum, et invicto suo suorumque apostolatu et Tertii Ordinis instituto, novæ idest ad evangelii formam penitus immutatæ, societatis fundamenta iecisse. Mittamus, etsi præcipua, quæ in eiusmodi lege ad liturgiam spiritualemque animi cultum pertinebant ; ex ceteris præscriptis nemo non videt eam coalescere debuisse privatæ communisque vitæ ordinationem, quæ non modo ex civili consortione fraternum quoddam fœdus, sanctimoniæ officiis copulatum, efficeret, sed etiam ius miserorum atque impotentium contra divites potentesque, nullo ordinis iustitiæque detrimento, tueretur. Tertiariis enim cum clero consociatis, sequi auspicato oportuit, ut, quibus hic vacationibus atque immunitatibus frueretur, easdem novi sodales nanciscerentur. Itaque iam tum Tertiarii nec sollemne vassallitii, ut aiunt, iusiurandum iurarunt, nec, ad militiam bellumve inferendum convocati, arma ceperunt, cum obiectæ legi feudali, quam vocant, ipsi ex adverso Tertii Ordinis legem, obiectæ vero condicioni servili quæsitam sibi libertatem opponerent. Ab iis interim magna affecti molestia, quorum in pristinum res revocari ac restitui vehementer interesset, patronis defensoribusque usi sunt Honorio III et Gregorio IX, qui vel pœnis severe latis, hostiles conatus fregurunt. Quamobrem

Franciscus ita novæ, id est ad evangelii formam penitus immutatæ, societatis fundamenta jecit.

Hujus tertii ordinis lata propagatio.

saluberrima rerum conversio in societate hominum excitari ; in christianas nationes novum Francisci Patris legiferi institutum, inductâ cum pænitentiæ studio morum innocentiâ, late propagari et increbrescere ; nec solum Pontifices, Cardinales, Episcopi, sed ipsi reges et dynastæ, quorum nonnulli sanctitatis gloria floruerunt, Tertii Ordinis insignia inflammatis suscipere animis et evangelicam sapientiam cum franciscali spiritu imbibere; lectissimarum laus decusque virtutum in civitate reviviscere : demum « facies terræ » renovari.

Apostolatus *missionalis* s. Francisci et fratrum Minorum.

Enimvero Franciscus « vir catholicus et totus apostolicus », quemadmodum fidelium emendationi mirifice prospexit, sic ethnicis ad Christi fidem legemque deducendis et dedit ipse operam et dari a suis laboriosissimam iussit. Non est profecto cur rem multis commemoremus notissimam, scilicet nostrum, ut erat proferendi evangelii martyriique faciundi cupidus, cum aliquot discipulis in Ægyptum traiecisse et coram Sultano animose audacterque stetisse. Quot autem, Minorum initio atque, ut ita dicamus, primo vere, in Syria et in Mauritania cæsi sint missionales, nonne in Ecclesiæ fastis honorificentissime inscriptum? Quem quidem apostolatum ita multiplex Francisci suboles, decursu ætatum, vel profuso late sanguine, perrexit, ut, Romanorum Pontificum veniâ, plurimas ii sibi habeant ethnicorum regiones ad excolendum concreditas.

4° — Nihil mirum si *vita ac opera* s. Francisci *laudibus* semper et ubique exfollantur et vario modo celebrentur.

Nullus propterea miretur, præterito hoc septingentorum annorum spatio, memoriam tantæ ab homine vis beneficiorum profectæ nec unquam deleri nec usquam oblitterari potuisse. Immo ipsius vitam atque operam, cælesti potius quam humano, ut Aligherius scripsit, canendam præconio, altera videtur ætas alterius ætatis admirationi et venerationi sic proponere ac commendare, ut is non modo ob insignem sanctitatis laudem in luce catholici orbis sit collocatus, verum etiam civili quodam cultu gloriaque splendescat, Assisii nomine ubique gentium pervagatissimo. In Seraphici enim Patris honorem, haud multo post quam obierat, populorum scitu ædes sacræ passim excitatæ sunt, lineamentis operumque ornatu mirabiles ; certavere quidem artifices summi, qui eorum aptius pulcriusque Francisci imaginem eiusque res gestas pingendo vel sculpendo, cælando vel tessellando referret ; ad S. Mariæ Angelorum ea, in planitie, unde

Franciscus « pauper et humilis, cælum dives » ingressus est, itemque ad gloriosum in clivo Assisiensi sepulcrum, ut tanti viri memoriam, cum spirituali beneficio, recolant et perennia artis monumenta suspiciant, advenæ, singulatim gregatimve, undique conveniunt ac confluunt. Assisiensem præterea cecinit, ut vidimus, laudator nulli comparandus, Dantes Aligherius, nec defuere postea qui hominem, italicas peregrinasve nobilitando litteras, efferrent. At nostra potissimum ætate, franciscalibus rebus per eruditos homines subtilius investigatis, scriptis editis vario sermone quamplurimis et ad opera atque artificia non parvi momenti excitatis peritorum ingeniis, ingens, quamquam haud recta semper, Francisci admiratio plerosque recentiorum incessit. Intueri enim alii hominem ad sensus animi poetice exprimendos nativa ingenii celeritate inclinatum, cuius Cantico illo, vetustissimo nascentis patrii sermonis specimine, erudita posteritas delectatur ; alii quidem talem mirari naturæ amatorem, qui non modo rerum inanimarum maiestate, astrorum fulgore, Umbriæ montium valliumque amœnitatibus, animalium pulchritudine suavissime afficeretur, sed etiam, veluti innocens Adam in paradiso terrestri constitutus, animantia, quibuscum quasi quadam fraternitate copulari sibi videbatur, alloquendo suis faceret mandatis obsequentissima ; in eo alii patriam dilaudare caritatem, quod Italiam nostram, felicitate ortus sui honestatam, ampliore, quam ullam e nationibus ceteris, beneficiorum copia locupletarit ; alii denique eum prædicare cum omnibus hominibus singulari prorsus amoris communione coniunctum. Vera ista quidem, at minora, at probe intellegenda : quæ qui aut præcipue ante oculos proposita habeat aut ad suæ excusationem mollitudinis, ad sua opinionum commenta vel ad sua studia fulcienda detorqueat, iam is vera Francisci lineamenta corrumpat. Etenim ex illa, quam attigimus delibavimusque, heroicarum universitate virtutum, ex illa vitæ austeritate et pænitentiæ prædicatione, ex multiplici illa operosaque emendandæ societatis actione, integer Franciscus, christiano populo non tam admirandus quam imitandus, exsistit ; qui, cum esset Præco magni Regis, eo spectavit ut homines ad evangelicam sanctitatem et crucis amorem conformaret, minime vero ut florum et avium et agnorum et piscium et leporum tantummodo cupitores et amantes efficeret. Quodsi in res creatas ipse teneriore quodam

Revera multa ac varia in s. Francisco laudare est.

Verum, præcipue manet laudanda vita ejus sancta et actio ejus saluberrima ; secus vera Francisci forma corrumpitur.

amore ferri videtur easque « quantumlibet parvas fratris vel sororis » appellat « nominibus » — qui quidem amor, modo ne ordinem excedat, nulla lege reprobatur — haud alia de causa, quam sua in Deum caritate, ad res ipsas diligendas permovetur, quas « sciebat.... unum secum habere principium » (1) et in quibus Dei bonitatem cernebat; nam « per impressa rebus vestigia insequitur ubique dilectum, facit sibi de omnibus scalam, qua perveniatur ad solium » (2). Ad cetera quod attinet, quidnam Italos prohibet quominus de Italo glorientur, qui « Patriæ lux » (3) in ipsa ecclesiastica liturgia appellatur? Quidnam viros plebis studiosos impedit, quominus Francisci prædicent caritatem, ad universos homines, pauperiores potissimum, pertinentem? At alteri caveant ne, immoderato suæ amore gentis abrepti, ardentis eiusmodi, quo nationem prosequuntur, studii quasi indicem ac signum « virum catholicum » deminuendo iactent; alteri, ne præcursorem ac patronum errorum confingant, unde tam procul aberat quam qui maxime. Ii, alioquin, omnes, qui minoribus hisce Assisiensis laudibus, non sine aliquo pietatis sensu, delectantur et sæcularia sollemnia provehere amanter contendunt, utinam, quemadmodum sunt Nostro digni præconio, ita ex hac ipsa eventi faustitate ad germanam maximi huius Christi imitatoris imaginem subtilius dispiciendam atque ad æmulanda charismata meliora plurimum capiant incitamenti.

Quædam itaque in hisce laudibus celebrandis observanda; utinam omnes ad imitationem Seraphici viri simul perducantur.

*Conclusio* : Pontificis *gaudium* de conspiratione omnium bonorum ad memoriam s. Francisci agendam.

Ex hoc interea, Venerabiles Fratres, præclara incidit Nobis iucundidatis causa, quod concordi bonorum omnium conspiratione ad agendam beatissimi Patriarchæ memoriam, per annum septies ab obitu centesimum, sacra ac civilia apparantur ubique terrarum sollemnia, at in iis potissimum regionibus, quas sua is vivens præsentia et luce sanctitatis et miraculorum gloria nobilitavit: qua in re præire vos clero ac gregi cuiusque vestro multo iucundius conspicimus. Animo autem Nostro, immo oculis pæne Nostris creberrimæ iam nunc obversantur peregrinorum multitudines, qui aut Assisium

(1) S. Bon., *Leg. mai.*, c. 8, n. 6.
(2) Th. a Cel., *Leg.* II, n. 165.
(3) *Brev. Fr. Minorum.*

et proxima per viridem Umbriam sanctuaria aut prærupta Alverniæ iuga aut sacros clivos in Reatinam vallem spectantes adituri ac celebraturi sunt: quorum ex pia salutatione locorum, ubi spirare adhuc Franciscus videtur virtutesque ad imitandum exhibere suas, fieri non potest quin ii domum franciscali plenius imbuti spiritu redeant. Etenim — ut Leonis XIII verba usurpemus — « ita de honoribus, qui beato Francisco properantur, statuendum, tunc maxime futuros ei, cui deferuntur, gratos, si fuerint iis ipsis, qui deferant, fructuosi. In hoc autem positus est fructus solidus minimeque caducus, ut cuius excellentem virtutem homines admirantur, similitudinem eius aliquam adripiant fierique studeant ipsius imitatione meliores » (1). Forte dicat quispiam, alterum societati christianæ reparandæ Franciscum in terris hodie exsistere oportere. Verumtamen fac, renovato animorum studio, homines Francisco illo uti pietatis sanctimoniæque magistro ; fac, ipsos quæ is reliquit exempla, cum esset « virtutis speculum, recti via, regula morum » (2), imitari atque in se referre universos ; nonne id satis haberet vis atque efficientiæ ad sanandam exsecandamque horum temporum vitiositatem ?

Non potest fieri quin spiritus franciscalis inde promoveatur.

Inde etiam speranda societatis christianæ renovatio.

In primis igitur insignem Patris sui Legiferi similitudinem præ se ferant oportet frequentissimi e tribus Ordinibus filii: quibus in Ordinibus « institutis... per orbis latitudinem » — ut Gregorius IX ad beatam Agnetem regis Bohemiæ filiam scribebat — « per dies singulos cunctipotens redditur multipliciter gloriosus » (3). Atque religiosis e Primo Ordine viris, quicumque franciscali demum nomine censentur, cum gratulemur vehementer, quod e vexationibus spoliationibusque indignissimis, quasi aurum ad obrussam exactum, ad pristinum splendorem magis in dies revirescunt, tum ex animo cupimus, ut, pænitentiæ humilitatisque suæ exemplo, in tam late diffusam concupiscentiam carnis superbiamque vitæ altius quasi expostulent. Ipsorum esto ad evangelica vivendi præcepta proximos revocare : quod minus difficile impetrabunt, si sanctissimam illam ad unguem servaverint Regulam, quam Conditor « librum vitæ,

*Exhortatio* ad insigne seraphici Patris exemplum imitandum.

Viri religiosi primi ordinis pænitentiam ac humilitatem prosequantur, et apud proximum promoveant.

(1) Enc. *Auspicato* 17 sept. 1882.
(2) *Brev. Fr. Minorum.*
(3) Ep. *De Conditoris omnium* 9 maii 1238.

spem salutis, medullam evangelii, viam perfectionis. clavem paradisi, pactum æterni fœderis » (1) vocabat. Seraphicus vero Patriarcha mysticam, quam suis ipse manibus consevit, vineam respicere et fortunare e cælo ne desinat, et multiplicem quidem propaginem sic fraternæ humore ac suco caritatis alat ac roboret, ut facti omnes « cor unum atque anima una » in christianæ familiæ renovationem studiossime incumbant.

Virgines e secundo ordine angelica vita reis obtineant Dei clementiam.

Virgines autem sacræ e Secundo Ordine, « vitæ angelicæ quæ per Claram inclaruit » participes, quasi lilia in dominici horti areolis consita, et olêre optime et niveo animarum candore placere Deo pergant. Quibus utique deprecatricibus contingat, ut ad Christi Domini clementiam rei multo plures confugiant, et gaudia Ecclesiæ Matris ob restitutos in divinam gratiam æternæque spem salutis filios mirifice augeantur.

Tertiarii, forma Francisci induti, innocentiam ac incegritatem morum præferant.

Tertiarios denique, sive in regulares familias coiverint sive in sæculo degant, appellamus, ut spiritualia christiani populi incrementa apostolatu quoque suo maturare studeant. Qui quidem apostolatus si dignos initio fecit, quos Gregorius IX milites Christi et Machabæos alteros nuncuparet, at potest hodie haud minoris ad communem salutem momenti exsistere, modo ipsi, ut per totum terrarum orbem percrebruere numero, sic, forma Francisci Patris induti, morum præferant innocentiam atque integritatem. Quod autem decessores Nostri Leo XIII per Litteras *Auspicato* et Benedictus XV per Epistolam *Sacra propediem* sibi vehementer placiturum universis catholici orbis Episcopis significarunt, id ipsum a pastorali omnium vestrum studio, Venerabiles Fratres, Nobismet pollicemur: fore scilicet, ut Tertium franciscalem Ordinem quoquo pacto foveatis, gregem edocendo — aut per vos ipsi aut per sacerdotes ad ministerium verbi excultos atque aptos — quo is sæcularium hominum mulierumque Ordo pertineat, quanti æstimandus, quam expeditus ad Sodalitatem aditus facilisque legum observatio sanctissimarum, qua veniæ et privilegiorum copia Tertiarii fruantur, quantum denique e Tertio Ordine in singulos atque in communitatem recidat utilitatis. Qui nondum dederint, dent præclaræ eiusmodi militiæ, vobis suasoribus, hoc anno nomen; quibus adhuc dare per

Episcopi hunc tertium ordinem studio suo foveant ac augeant.

(1) Th. a Cel., *Leg.* II, 208.

ætatem non licet, ii chordigeros candidatos se scribant, ut vel pueri sanctæ huic disciplinæ assuescant.

Uberrimos fructus sperat Pontifex ex hisce sæcularibus solemniis et ex intercessione s. Patris Francisci.

Quandoquidem vero, oblatis tam crebro salutaribus ad celebrandum eventis videtur benigne Deus velle, ut Pontificatus ne prætereat Noster nisi partis catholico nomini lætissimis fructibus, sæcularia hæc Francisci sollemnia, qui *in vita sua suffulsit domum, et in diebus suis corroboravit templum* (1), apparari periucunde cernimus, eoque libentius, quod eum ab ætatis flore summa Patronum religione coluimus atque in ipsius filiis, pie insignibus Tertii Ordinis acceptis, numerati olim sumus. Hoc igitur anno, ab obitu Seraphici Patris septingentesimo, talibus affluat catholicus orbis, talibus gens nostra, Francisco deprecatore, beneficiis, ut idem sit annus in Ecclesiæ historia perpetuo memorabilis.

Benedictio apostolica.

Cælestium interea munerum auspicem paternæque benevolentiæ Nostræ testem, apostolicam benedictionem vobis, Venerabiles Fratres, et clero populoque vestro peramanter in Domino impertimus,

Datum Romæ apud Sanctum Petrum die xxx mensis Aprilis anno MDCCCCXXVI, Pontificatus Nostri quinto.

PIUS PP. XI

(1) *Eccli.*, L, 1.

# RESPONSA

## ad quæstiones in conferentiis mensis februarii propositas.

—

### I.

### In Luc., XV, 1-10. — Homilia.

Q. *Expositis, circa evangelium Dominicæ III^æ post Pentecosten* (Lc., XV, 1-10), *explicationibus ad textum intelligendum requisitis et, intuitu homiliæ habendæ, lectioni Evangelii opportune præmittendis, paucis delinea schema homiliæ, cujus objectum sit : Jesu* (vv. 1-7) *et Ecclesiæ* (vv. 8-10) *misericordia et sollicitudo erga peccatores* (1).

R. — *Prænota.* Quamvis hujus loci non sit disserere de genere illo concionum quod vocant homilias in Evangelia dominicalia, hæc tamen pauca in ordine ad responsum ad hanc et sequentes plures quæstiones Conferentiarum non inutiliter prænotanda putamus.

Neminem fugit quanti momenti sint hujusmodi homiliæ, quam præclara vitæ et doctrinæ christianæ documenta ex Evangeliis deduci possint, quam avide plebs christiana textus sacri tum explicationes tum applicationes, debito modo traditas, excipere paratus sit. Quapropter patet eas conciones omni quo par est zelo et cura esse præparandas, tum studio serio cum optimo commentario quo bene attingatur sensus historicus pericopæ evangelicæ, tum pia meditatione, uno alterove hujusmodi libro spirituali adjuvanda, qua sensus quem vocant accommoda-

---

(1) Homiliam, quam infra schematice exhibemus, vide latius evolutam multisque aliis adauctam, apud Aug. Scherer, *Bibliothek für Prediger*, vol. III. (Freiburg, Herder, 1908).

tium vel et mysticum, perspiciatur (1), tum demum, adhuc in ordine ad varios illos sensus detegendos, humili et fiduciali oratione : quisnam enim melius nobis aperire potest sensum Scripturarum quam ipse Spiritus sanctus, qui easdem inspirando conscripsit ; quisnam melius quam ipse Christus Dominus, qui facta in Evangelio narrata fecit, qui verba in Evangelia relata edixit ?

Perbene quoque curanda homiliæ sic præparatæ expositio ad plebem. Qua in re tria præstanda putamus. Primò enim juvabit, regula saltem generali, lectioni pericopæ evangelicæ brevem quamdam introductionem præmittere, connectendo nimirum pericopam legendam cum reliqua vita vel doctrina Jesu et pro posse ea præstando, quæ ad faciliorem intellectum Evangelii prærequiruntur. Hac ratione, ni fallimur, utiliter excitabitur attentio auditorum in lectionem audiendam eorumque mens et cor apte præparata existent ad lecta fructuose excipienda. — Deinde pericopa evangelica prælegenda erit, quod utique præstantius faciet concionator, non propriis suis verbis humanis, sed ipsissimis verbis sacræ Scripturæ (2). — Tandem clare et cordatim proponatur applicatio, et quidem, ut melius putamus, non expositis pluribus iisque inter se non cohærentibus ideis, sed potius una tantum idea centrali, ad cujus demonstrationem et illustrationem abundantia præstabit elementa historia evangelica.

---

(1) De variis his sensibus recolantur dicta apud *Collat. Brugen.*, t. XXV (1925), pp. 402 ss. — Et nota meritò quidem dici eum quem sensum accommodatitium vocant non esse unquam qua sensum Scripturæ sacræ venditandum ; attamen, hoc supposito, nihil videri obstare quominus hujusmodi sensus, utique in se veri nec longius quæsiti, in concionibus homiliticis prudens usus fiat, et hoc eo magis quod, ut putamus, sensus ille accommodatitius non raro esse poterit, quantumvis rem demonstrare non valeamus, sensus quidam mysticus a Spriritu sancto intentus.

(2) Nonne textui sacro, utpote a Spiritu sancto inspirato, connexa est quædam efficacia specialis, qua multo magis quam omnia verba et ratiocinia nostra pertingat usque ad divisionem animæ et spiritus (*Hebr.*, IV, 12) ?

*Explicationes ad intellectum Evangelii præparatoriæ* (1).

Jam a longo tempore inchoaverat Jesus ministerium suum publicum. Quam sæpe edixerat se perprius venisse vocare non justos, sed peccatores (*Luc.*, v, 32) ; quam multis factis illud practice ostenderat, variis mediis se in gratiam eorum insinuans. — Inde ira et oppositio Pharisæorum : superbi, invidia pleni, moribus corrupti et hypocritæ, male ferunt hanc Jesu comitatem erga infelices peccatores. — Jesus eos redarguet tribus parabolis in quibus iterum pandet immensam misericordiam et amorem cordis sui : ovis perditæ (2), amissæ drachmæ — nummi parvi valoris, unius circiter franci nostri — et filii prodigi. — Quot peccatores, decursu sæculorum, refocillarunt hæ parabolæ ad fiduciam et spem ; quot reduxerunt ad pœnitentiam, et per eam ad vitam gratiæ et salutem æternam. — Duas priores exhibet nobis Evangelium hujus dominicæ III^æ post Pentecosten.

*Lectio Evangelii.* —

*Applicatio.* — Quam egregio modo descripta hîc jacet hinc Jesu ipsius, hinc Ecclesiæ, sponsæ Christi, misericordia et sollicitudo erga peccatores.

I. — **Parabola ovis perditæ.**

1. — *Ovis perdita peccator est.*

*a*/ Ut ovis perdita, specie fallacis libertatis et felicitatis abductus, — aberrat a bono pastore, qui est Christus, a grege et caula, quæ est Ecclesia, — sequens lubitum et passiones suas, — in misera sua sorte se delectans.

*b*/ Ut ovis perdita, miser est peccator. Absque duce, currit in incertum ; cibo et potu frustratur, doctrina et gratia Dei ; viribus magis magisque deficiens, in interitum vadit. — Absque custode qui ab inimicis ipsum defendat, incursibus et impugnationibus inimicorum

---

(1) Pauca tantum eaque generalia notamus; ampliora magisque determinata ad plebi prælegendam pericopam non videntur hîc requiri. — Unam alteramve difficultatem exegeticam in notis infra subjiciemus.

(2) Parabolam ovis perditæ alia occasione alioque contextu refert Matthæus, XVIII, 12 s.

patet dæmonum, passionum, pusillanimitatis, desperationis ; periculis continuo ingravescentibus exponitur ; absque intermissu proximus est abysso et damnationi æternæ. — Incapax est ut a miseria sua seipsum eripiat ; quasi ovis a pastore portari debebit. — Ope pastoris si quondam ad caulam redux existet, infirmus erit et exhaustus, pronus ad novas aberrationes, ad nova peccata.

2. *Pastor bonus Christus est* (1).

*a/ Centum* — innumeras — *habet oves,* ratione creationis et redemptionis suas.

*b/ Oves suas cognoscit* omnes et singulas, cum propria singularum indole et adjunctis ; pericula, quibus exponuntur, hostes, quibus impetuntur, notos habet ; aberrantem ovem oculo perspicaci sequitur.

*c/ Oves suas diligit* omnes : vult omnes homines salvos fieri ; in specie ovem, quæ perierat, amore singulari ita prosequitur quasi esset unica ovis sibi concredita : quod perbelle exponit parabola dum exhibet pastorem relinquentem nonagintanovem, adeoque omnes alias oves in deserto (2), ad unam ovem perditam quærendam profecturus.

*d/* Quanta misericordia et sollicitudine *vadit ad ovem perditam.* Ecce ad eam quærendam descendit de cælo, factus homo ; totius vitæ decursu sensus cordis sui pandit, absque intermissu peccatores quærens ; doctrinam docuit misericordia erga peccatores totam refertam ; rubro suo

---

(1) Cfr *Jo.*, x, 1-21 ; *Ps.* XXII. — Pulcherrimam applicationem præbet SIMON, *Novum Testamentum,* Taurini, 1924, vol. I, p. 450 : Jesus hominis [i. e. generis humani] salvator. *a/ Omnes nos quasi oves erravimus, unusquisque in viam suam* (*Is.*, LIII, 6). — *b/* Divinus Pastor 99 oves (Angelos) relinquit ut ovem perditam (hominem) quærat. — *c/* Eam maximo labore insequitur (vita publica), humeris imponit (passio et mors), lætus reducit (ascensio). — *d/* Gaudium de fructu redemptionis.

(2) *Desertum* male intelligeres sensu quo nos ordinarie illud vocabum audimus ; hoc enim nomine venit hîc regio, etiam fertilibus campis et pratis constans, in qua desunt hominum habitationes.

sanguine immensum suum amorem descripsit. — Hanc in specie ovem requirit, voce et ministerio Ecclesiæ et sacerdotum, gratia sua interna et remorsu conscientiæ, tribulationibus quoque hujus vitæ manifestans ipsi miserum statum in quo versatur.

*e/* Quærit ovem perditam *donec inveniat eam* : ad ultimum usque suspirium vitæ manet peccatori gratia ad conversionem sufficiens ; numquam desperandum.

*f/* Cum invenerit eam, *imponit eam in humeros suos* : gratia sua dulcissima adjuvat peccatoris infirmitatem ut ad plenam conversionem ipsum adducat.

*g/ Domum eam ducit* : iterum aggregat gregi ovium fidelium, restituta communione sanctorum ; ad Ecclesiam suam peccatorem adducit, ubi cibus et potus abundans, omnis species gratiarum ; manducat cum illa (v. 2), propriam suam carnem propriumque sanguinem præstans illi in Eucharistia. Aliquando, si fidelis permanet, introducet in domum æternam et patriam cælestem.

*h/ Gaudet* pastor bonus (v. 5), *aliosque ad gaudendum invitat : cognatos et amicos* (v. 6), justos et fideles Ecclesiæ, angelos quoque in cælo (v. 7) ; quorum gaudium ita magnum est ut, per audacem figuram, dicere audeat parabola angelos in cælo super hoc uno peccatore pœnitentiam agente magis gaudere quam super nonagintanovem justis qui non indigent pænitentia (v. 7) (1). Quantis jubilis resonat domus cælestis dum hujusmodi peccator cælum ingreditur !

II. — **Parabola drachmæ perditæ**

1. — *Drachma perdita peccator est.*

---

(1) Nonnullis videtur vocabulum *justis* quod in hoc v. 7 occurrit esse a Jesu ironice dictum per allusionem ad Pharisæos et Scribas qui se ut justos jactabant neque pænitentia se indigere æstimabant. Melius tamen videtur *justos* sensu obvio et genuino intelligere, non tamen quasi revera Deus majus gaudium haberet de illo uno converso quam de 99 justis ; est enim hæc expressio ut figura sumenda, qua maximum cælicolarum gaudium describitur : sicut majori perfunditur gaudio actuali pastor de recuperata ove perdita quam de multis tranquille possessis, ita *magnum* erit cæli gaudium in conversione peccatoris.

*a/ Drachma*, nummus parvi valoris, ex metallo erat sed impressam habebat imaginem regis ; ita et *homo*, vilis Dei creatura est, corpore constans, cinis et pulvis ; anima tamen, secundum ipsam naturam et ex ipsa creatione imaginem Dei exhibet (*Gen.*, I, 26), et secundum gratiam et ex vocatione et prædestinatione divina, imaginem Christi, Filii Dei referre debet (*Rom.*, VIII, 29).

*b/* Sicut drachma *deperdita* in pulverem et lutum terræ, ita *peccator* cecidit in sordes peccatorum, neque habet ex se ut resurgat et usui utili et honorifico inserviat.

2. *Mulier Ecclesia est.*

*a/ Drachmas habet decem* : homines ad imaginem Dei creatos, et ad imaginem Christi per baptismum renovatos magisque in dies ipsi conformandos, sibi a Sponso divino concreditos accepit. Qua thesaurum pretiosum, quem Christus duro labore sibi acquisivit, intuitu gloriæ Christi administrandum, eos recepit eosque servare et multiplicare satagit.

b/ Quantum dolet drachmam perditam ; quanta misericordia sollicitudine eam quærit. Ecce *accendit lucernam*, voce ministrorum suorum lumen spargit rationis naturalis, lumen fidei et revelationis, quo peccatori suum statum ante oculos proponat. *Domum everrit*, omni quo valet medio prosequens et delere satagens vitia quæ in Ecclesiam irrepserunt. *Quærit diligenter* drachmam perditam *donec inveniat* : quot mediis adhibitis, quot fusis oratiobus, quot exantlatis laboribus satagit Ecclesia ut peccatores reducat, quærens eos ad ultimum usque suspirium, ad lectulum mortis.

c/ Quanto gaudio *gaudet Ecclesia* dum peccatorem reduxit ! Sicut mulier parabolæ, ita et ipsa *convocat amicas et vicinas*, animas justorum in hac terra, sanctorum in cælo compellens ut celebrent divinam misericordiam. Quanta cura drachmam inventam, peccatorem reducem, purgabit a sordibus peccatorum, reformabit ad imaginem Christi et Dei et tandem cælo inferet thesauro divino aggregandum.

A. VANDER HEEREN.

## II.

### De existentia purgatorii.

Q. *Breviter explica et proba quæ de existentia purgatorii habet catechismus noster in lectione decima quinta.*

R. — 1/ Catechismus noster in lectione decima quinta quærit ad primum quonam deputentur animæ christianorum defunctorum, quum de hoc mundo decedunt (1), et respondet : « Ad unum e tribus hisce locis : ad cœlum, ad infernum aut ad purgatorium ».

Ad explicationem hujus responsionis observandum venit catechismum imprimis affirmare *existentiam alicujus status purgationis subeundæ* ab illis animabus, quæ quidem ornatæ gratia sanctificante, obstrictæ tamen reatu pænæ alicujus temporalis vel etiam cum quibusdam peccatis venialibus ex hac vita migraverunt, ut ad quintum in eadem lectione catechismi clare proponitur.

Non intendit catechismus hoc præcipue inculcare dari *locum purgationis ;* hæc enim quæstio libere disputatur inter theologos catholicos et intime cohæret cum aliis quæstionibus de existentia et natura ignis purgatorii, quæ libere pariter agitantur (2).

Non immerito tamen veritatem revelatam de existentia purgatorii hoc modo proponit catechismus, ad captum hominum omnium, etiam minus doctorum ; revera, tenenda videtur omnino sententia, quæ materialem ignem purgatorii defendit et sic haberi locum purgationis jam manifestum apparet.

---

(1) Loquitur catechismus de solis christianis, supponens jam notam doctrinam de necessitate conjunctionis cum Ecclesia, extra quam nulla salus, uti breviter exponitur apud *Collat. Brugen.*, XXIII, p. 139 s. — Qui nullatenus sunt Christi, nequidem per votum baptismi, ex ordinaria Dei providentia, ad solum infernum deputantur.

(2) Vide responsum in serie proxime insequenti *de pœnis* purgatorii.

2/ Hisce prænotatis quæ potius ad explicationem faciunt, dicendum : *revelatione* certo constat dari statum medium inter beatitudinem cœlestem et damnationem æternam, quo animæ « mediæ » inter eas, quæ ad Deum finem ultimum per caritatem supernaturalem conversæ sunt nec ullius pænæ temporalis aut peccati venialis reatu obligatæ, et eas quæ reatu peccati mortalis personalis sunt obnoxiæ, vere a suo reatu, supra pressius definito, purgantur antequam ad visionem Dei facialem admittantur.

Hæc itaque veritas *fide divina* credi debet, utpote revelata ; attamen *quomodo* hæc obtineat expiatio, seu *quænam sint pœnæ* purgatorii, revelatione non satis liquet ; atque si Ecclesia solemniter quidem et pluries definivit existentiam purgatorii, ratione modo explicata, adeo ut hæc eadem veritas etiam *fide catholica* tenenda sit (1), nunquam vel authentice declaravit quid de pænis purgatorii secundum fidem catholicam admittendum sit, ut ex disputationibus cum Græcis abunde probatur (2).

Priusquam testimonia revelationis, ex sacra Scriptura et traditione orali desumenda, necnon doctrinam Ecclesiæ, ad demonstrationem propositionis enuntiatæ proferamus, advertere juvat quemadmodum hæc doctrina, primo a novatoribus protestantibus vehementer, licet hæsitanter, impugnata (3), cum aliis veritatibus fidei et principiis sanæ rationis apprime conveniat.

---

(1) Præter existentiam purgatorii, fide divina et catholica nihil aliud tenendum est quam hoc : animæ purgandæ suffragiis fidelium juvari possunt.

(2) Cfr A. Michel, *La question du purgatoire chez les Grecs à propos d'une récente publication*, in period. *Revue prat. d'apol.*, XXXII (1921), p. 385 s. et A. d'Alès, *La question du purgatoire au concile de Florence en 1438*, in period. *Gregorianum*, III (1922), p. 9 s.

(3) Inter antiquos perhibetur Aërius, sæculo IV, impugnasse doctrinam de purgatorio, sed minus constat utrum ipsam existentiam purgatorii, an tantummodo utilitatem suffragiorum pro defunctis negaverit. Medio ævo existentiam purgatorii rejecerunt Petrobrusiani, Waldenses, Albigenses et Hussitæ ; eumdem errorem jam ubique prædicave

Novimus enim in sacramento pænitentiæ non omnem pænam cum culpa semper remitti (1), et pro levioribus etiam peccatis quibuscum homines quosdam decedere contingit, satisfactionem justitiæ divinæ deberi, quoniam nihil coinquinatum ingreditur cœlum (2) ; unde consequitur ut illi, quibus dum ex hac vita decedunt aliquid luendum remanet, pænas dare teneantur in altera vita, donec ab omni reatu soluti in æternis tabernaculis recipi queant. « Alioquin », advertit s. Thomas, « melioris conditionis essent negligentes quam solliciti, si pænam quam hîc pro peccatis non implent, non sustineant in futuro » (3).

Adhuc, quoniam luce meridiana clarius videtur ordinem moralem sæpius turbatum non satis in hac vita restitui, nec omnes homines, quando moriuntur, esse aut omnino puros aut prorsus iniquos, et justitiam divinam nihilominus postulare ut moralis ordo restituatur in integrum, facile intelligitur quomodo apud multas gentes, a beneficio revelationis alienas sed immortalitatem animæ firmiter amplectentes (4), opinionem de stadio purgationis manifestam, quamquam erroribus infectam, reperiamus (5).

Ad demonstrationem existentiæ purgatorii hæc sufficere possunt testimonia ex revelatione deprompta.

*a*/ Ex *Scriptura sacra* veteris testamenti habemus textum omnino clarum, qui in missa pro defunctis ad anni-

---

runt, cum tergiversatione tamen initio propter oppositionem in populo, reformatores sæculi XVI, imprimis Lutherus, et deinde acriter omnino Calvinus ; cfr P. Bernard, *Purgatoire*, in *Dict. apol. de la foi cath.*, fasc. XX, c. 497 s., Paris, 1924.

(1) Vide tract. de pænitentia, ubi hæc thesis probatur.

(2) Cfr *Apoc.*, xxi, 27.

(3) S. Thomas, *Summa contra gent.*, IV, 91 et cfr B. Jungmann, *Tract. de novissimis*, n. 88 s., p. 93 s., Tornaci, 1871.

(4) De immortalitate animæ non tantum revelatione constat, uti in tractatu de Deo creante conficitur, sed adhuc ratione, uti in philosophia demonstratur.

(5) Cfr P. Bernard, *art. cit.*, c. 512 s.

versarium pro lectione « epistolæ » ponitur : « Facta collatione, [Judas Machabæus] duodecim millia drachmas argenti misit Jerosolymam, offerri pro peccatis mortuorum sacrificium, bene et religiose de resurrectione cogitans ..... Et quia considerabat quod hi, qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repositam gratiam. Sancta ergo, et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur » (1).

Non est cur multum temporis teramus in hoc explicando textu, quo constat omnino de existentia purgatorii, sensu determinato supra, quin aliquid scilicet definiatur, circa modum quo pænæ istæ dandæ veniunt. Etenim manifestum est nimis verbis istis tanquam veritati consonam probari a Deo, Scripturam sacram inspirante, persuasionem Israel de pæna temporali, pro peccatis nondum expiatis luenda, ab iis « qui cum pietate dormitionem acceperant » (2). Protestantes alioquin hoc testimonium alia ratione nunquam explanare potuerunt, sed ipsum declinare conati sunt rejiciendo, hac sola de causa, totum librum Machabæorum e canone sacrarum litterarum (3). Sufficit igitur ut adhuc pauca ex aliis testimoniis inspiratis in confirmationem adducamus.

Præcipuus quidam textus legitur in epistola s. Pauli ad Corinthios prima, ubi dicit Apostolus de doctoribus evangelii, quorum opus probabit ignis judicii tempore secundi adventus, et in fine scribit : « Si cujus opus manserit quod superædificavit, mercedem accipiet. Si cujus opus arserit, detrimentum patietur : ipse autem salvus erit : sic tamen quasi per ignem » (4).

---

(1) *II Mach.*, XII, 43, 45 s.

(2) Cfr J. CORLUY, *Spicilegium dogmatico-biblicum*, I, p. 264 s., Gandavi, 1884 ; *Collat. Brugen.*, III, p. 204 s.

(3) Cfr bullam « Exsurge Domine », 15 junii 1520, ubi sub n. 37 damnatur sequens propositio : « Purgatorium non potest probari ex sacra Scriptura, quæ sit in canone » (*Enchir.*, n. 777).

(4) *I Cor.*, III, 14-15 et cfr *Mt.*, XII, 32 : « Non remittetur ei neque in hoc sæculo, neque in futuro ».

Asserit itaque Apostolus doctorem illum, quem Dominus in adventu suo docentem inutilia deprehenderit, ad salutem non esse perventurum, antequam « quasi per ignem » transiens, pænas inutilium suorum laborum dederit. Existunt igitur quædam peccata, quæ a salute non excludunt, sed quæ temporali pæna debent auferri priusquam salus obtineatur. Quod autem de doctoribus corinthiis dicitur, a pari de christianis omnibus merito prædicatur, itaque doctrina libri Machabæorum valide confirmatur (1).

*b)* Quod attinet *traditionem oralem*, indubium prorsus videtur obtinere consensum moraliter unanimem ss. Patrum in eamdem doctrinam de purgatorii existentia tanquam veritatem a Deo revelatam (2).

Imprimis quamplurimi ss. Patres, ut puta s. Cyprianus, s. Ephraem, s. Cyrillus hierosolymitanus, s. Ambrosius, s. Epiphanius, s. Joannes chrysostomus et s. Augustinus, loquuntur de sacris oblationibus et orationibus, quæ pro defunctorum peccatis expiandis offeruntur, adeoque *indirecte* veritatem revelatam de purgatorii proponunt atque testantur (3) ; ad hæc testimonia adjungere licet atque oportet antiquissimas omnium ecclesiarum, etiam a matre Ecclesia diu separatarum, *liturgias* quæ preces pro defunctis fundendas continent (4) ; tandem

---

(1) Ita communiter exegetæ catholici ; videsis F. Prat, *La théologie de s. Paul*, I, p. 112, Paris, 1924 [10] ; Corluy, *o. c.*, I, 269 s. ; *Collat. Brugen.*, III, p. 205 s.

(2) De argumento ex consensu ss. Patrum diximus apud *Collat. Brugen.*, XXIV, p. 35 s.

(3) S. Cyprianus, *Epist.* xlvi (MPL, IV, 399) ; s. Ephraem, *Testamentum* (in ed. Assemani, II, 401) : s. Cyrillus hieros., *Catech. Myst.*, v, 9 (MPG, XXXIII, 1115) ; s. Ambrosius, *De obitu Theod.*, iii, (MPL, XVI, 1397) ; s. Epiphanius, *Adv. hær. pan.*, lxxv, 3 (MPG, XLII, 514 s.) ; s. Joannes chrysost., *In I Cor. hom.* xlii (MPG, LXI, 361) ; s. Augustinus, *Enchir.*, 110 (MPL, XL, 283) et *De civ. Dei*, xxi, 24, 2 (MPL, XLI, 737).

(4) Cfr L. Duchesne, *Les origines du culte chrétien*, p. 185 et p. 211 s., Paris, 1909 [5] ; P. Bernard, *art. cit.*, c. 509 s.

*monumenta epigraphica* haud pauca manifesto prorsus modo eamdem communem et antiquam fidem pandunt (1).

Haud minus abundant testimonia quæ *directe* et *explicite* existentiam purgatorii proponunt, et quoniam protestantes s. Augustinum innovationis in hac materia, hæsitantis alioquin, aiunt, plerumque accusant, hujus s. doctoris verba dilucida hæc prius recitare juvabit : « Qui forte agrum non coluerit et spinis eum opprimi permiserit, habet in hac vita maledictionem terræ suæ in omnibus operibus suis, et post hanc vitam habebit vel ignem purgationis vel pænam æternam » (2), ideoque orat ipse ad Deum : « In hac vita purges me et talem me reddas, cui jam emendatorio igne non opus sit » (3).

Ceterum apud antiquiores testes eamdem firmam persuasionem et fidem reperimus ; ita apud Tertullianum, Origenem, s. Cyprianum et s. Basilium (4). Hæc præclara verba s. Gregorii nysseni referre satis erit : « Non enim potest [peccator] participare divinitatem, nisi ignis purgatorius maculam animo immixtam purgaverit » (5).

Postea eamdem adhuc veritatem dilucide propositam apud s. Cæsarium arelatensem legimus : « Si autem nec in tribulatione Deo gratias agimus, nec bonis operibus peccata redimimus, ipsi tamdiu in illo purgatorio igne moras habebimus, quamdiu supradicta peccata minuta, tanquam ligna, fænum, stipula, consumantur » (6) ; ita rursus s. Gregorius magnus : « De quibusdam levibus culpis esse ante judicium [universale] purgatorius ignis cre-

---

(1) Cfr P. Bernard, *ibid.*, c. 511.

(2) S. Augustinus, *De Genesi contra Manichaeos*, II, 20, 30 (MPL, XXXIV, 212).

(3) S. Augustinus, *Enarr. in Ps.* XXXVII, 3 (MPL, XXXVI, 397) et cfr ejusdem s. doctoris *Enchir.*, 69 (MPL, XL, 265) necnon *De civ. Dei*, XXI. 13 (MPL, XLI, 728).

(4) Tertullianus, *De anima*, 58 (MPL, II, 751) ; Origenes, *In Jerem.*, II, 3 (MPG, XIII, 445 s.) ; s. Cyprianus, *Epist.* X (MPL, III, 785) ; s. Basilius, *Hom. in Ps.*, VII, 2 (MPG, XXIX, 232).

(5) S. Gregorius nyss., *Oratio de mortuis* (MPG, XLVI, 524 s.).

(6) S Cæsarius arelat., *Sermo* CIV, 4 (MPL, XXXIX, 1946).

dendus est, pro eo quod Veritas dicit, quia si quis in sancto Spiritu blasphemiam dixerit, neque in hoc sæculo remittetur ei neque in futuro (1). In qua sententia datur intelligi quasdam culpas in hoc sæculo, quasdam vero in futuro posse laxari.... Sed tamen, ut prædixi, hoc de parvis minimisque peccatis fieri posse credendum est » (2).

Hanc tandem doctrinam revelatam Ecclesia solemniter proposuit in concilio lugdunensi secundo (3) et in concilio florentino, in decreto pro Græcis : » Si vere pænitentes in Dei caritate decesserint, antequam dignis pænitentiæ fructibus de commissis satisfecerint et omissis, eorum animas pænis purgatoriis post mortem purgari » definimus (4).

Contra novos errores a protestantibus sparsos eamdem veritatem rursus inculcavit concilium tridentinum et præcepit « episcopis ut sanam de purgatorio doctrinam a sanctis Patribus et sacris conciliis traditam a Christi fidelibus credi, teneri, doceri et ubique prædicari diligenter » studerent (5) ; statuit adhuc ut « si quis post acceptam justificationis gratiam cuilibet peccatori pænitenti ita culpam remitti et reatum æternæ pænæ deleri dixerit, ut nullus remaneat reatus pænæ temporalis exsolvendæ vel in hoc sæculo, vel in futuro in purgatorio, antequam ad regnum cœlorum aditus patere possit, anathema sit » (6).

H. Lamiroy.

---

(1) Cfr *Mt.*, XII, 32.

(2) S. Gregorius magnus, *Dial.*, IV, 39 (MPL, LXXVII, 396).

(3) *Conc. lugdun. II* (a. 1274), œcum. XIV de unione Græcorum, in prof. fidei Michaelis Palæologi (*Enchir.*, n. 464).

(4) *Conc. florentin.* (a. 1438-1445), œcum. XVII in decreto pro Græcis (*Enchir.*, n. 693).

(5) *Conc. trid.*, œcum. XIX, sess. XXV (a. 1563), in decreto de purgatorio (*Enchir.*, n. 983) et cfr sess. VI (a. 1547), in decreto de justificatione, cap. 14 (*Enchir.*, n. 807).

(6) *Conc. trid.*, sess. VI, de justificatione can. 30 (*Enchir.*, n. 840).

## III.

### Casus de impedimento criminis.

Q. *Titius uxoratus promisit Annæ, liberæ, matrimonium post divortium civile ineundum, et, obtento divortio, cum ea matrimonium contrahit. Mortua legitima uxore, matrimonium coram Ecclesia celebrare intendit. An obstat aliquod impedimentum et quale?*

R. — Si quod obstat impedimentum, patet criminis esse impedimentum quod in can. 1075 hisce verbis describitur : « Valide contrahere nequeunt matrimonium : 1° qui perdurante eodem legitimo matrimonio, adulterium inter se consummarunt et fidem sibi mutuo dederunt de matrimonio ineundo vel ipsum matrimonium, etiam per civilem tantum actum, attentarunt ; 2° qui, perdurante pariter eodem legitimo matrimonio, adulterium inter se consummarunt eorumque alter conjugicidium patravit ; 3° qui mutua opera physica vel morali, etiam sine adulterio, mortem conjugi intulerunt ».

Porro, non obtinent circumstantiæ sub 2° et 3° descriptæ. Remanent itaque examinandæ species criminis ex adulterio cum *promissione* vel *attentatione* matrimonii sub 1° relatæ.

Jamautem non contrahitur in casu proposito impedimentum ex adulterio cum *promissione* matrimonii. Nam, quamvis merito supponamus exstitisse veram et mutuam promissionem, deficit tamen aliquod elementum ex parte objecti promissionis.

Oportet enim ut fides mutuo detur de matrimonio ineundo *post mortem conjugis*. Sub veteri jure id communiter docebatur et idipsum adhuc nunc, ob can. 6 n. 4°, tenendum est : etenim, quamvis can. 1075 hanc circumstantiam non exprimat, ab antiquo tamen jure recedere non videtur. Manet igitur liber ab hac specie impedimenti qui matrimonium promittit ineundum ante mortem conjugis, puta *post obtentum divortium civile*, ut fert casus

propositus. Nihilominus uti natum est fieri, si complices sibi invicem *promitterent* conditionem suam irregularem et criminosam ordinandi coram Ecclesia, *statim ac id poterunt*, i. e. post mortem conjugis derelicti, exsurgeret impedimentum : omnia enim elementa verificarentur. Quare in similibus casibus semper interrogentur conjuges an talis mutua promissio non obtinuerit (1).

Obstat autem impedimentum ex adulterio cum *attentatione* matrimonii, dummodo adulterium sit *consummatum*.

Et revera non postulatur attentatio matrimonii *coram Ecclesia* ut impedimentum exsurgat, sed sufficit, uti expressis verbis a legislatore statuitur, attentatio *etiam per civilem tantum actum*,

Oportet tamen prudenter examinare an adulterium fuerit vere *consummatum*. Nam, quod mirum videri posset, si pseudo-conjuges *onanistice tantum* congressi essent non existeret impedimentum. Uti exposuimus olim (2), onanismus per retractum vel ope instrumenti communicationem cum utero intercipientis non censetur copula *consummata*. Quodsi pseudo-conjuges tantummodo post copulam perfectam expellunt semen ope siphunculi, vel semen ope cujusvis rei in vaginam introductæ sterilizant, adulterium habetur consummatum et impedimentum contractum.

## IV.

Q. *Tempore belli, Caia, cujus maritus publice reputabatur mortuus, rem habuit cum Titio, sub promissione matrimonii. Post aliquod tempus nuntiatur Caium, maritum ejus, adhuc vivere ; qua de causa, Caia pluribus mensibus caste vivit. Attamen, quia ob longum bellum maritus ejus redire nequibat, tentatione vincitur et rursus a Titio cognoscitur. Nunc autem, mortuo Caio, matrimonium cum prædicto Titio inire vellet. An obstat criminis impedimentum ?*

---

(1) Si, in casu, promissio publice nota est, impedimentum pertinet ad forum externum.

(2) Cfr *Collat. Brugen.*, XXV (1925), p. 146.

R. — Non agitur de conjugicidio nec, uti proponitur casus, de matrimonii attentatione. Itaque, si datur impedimentum criminis constet oportet ex adulterio et fide data.

Porro, ut hæc exsurgat species impedimenti, tria obtinere debent :

1/ Ex parte *adulterii :* postulatur adulterium materialiter verum et consummatum, necnon ex utraque parte *formale*, ita ut complices egerint cum *scientia* ejusdem vinculi conjugalis.

2/ Ex parte *promissionis* oportet ut fides non ficta mutuo detur ineundi matrimonium post mortem conjugis. Præterea, ut hæc fides constituat elementum criminis et reddat adulterium sub ratione criminis qualificatum, postulatur ut detur cum *scientia* prædicti vinculi conjugalis et invita comparte superstite.

3/ Ex parte *conjunctionis* utriusque elementi, oportet ut adulterium et promissio supra descripta perficiantur perdurante eodem legitimo matrimonio, utque inter promissionem et adulterium non intercesserit fidei *retractatio.*

Jamvero *a)* antequam nuntiatum est maritum adhuc vivere, desiderabatur *scientia* vinculi conjugalis actualiter existentis : maritus enim publice reputabatur mortuus et Caia, uti apparet ex adjunctis casus, in eodem versabatur errore. Ad summum remanebat forsan aliqua spes maritum adhuc vivere. Quamobrem, nec adulterium fuit hoc tempore, juxta dicta, formale, nec promissio constituit elementum criminis.

*b)* Sed neque postea hæc promissio elementum criminis facta est. Postquam nuntiatum est maritum vivere, retractata est promissio. Hoc enim sufficienter constat ex eo quod dicitur Caiam accepto nuntio a peccaminosis suis relationibus cessasse.

Nec, inspectis circumstantiis, implicita aliqua promissionis ratihabitio continetur in adulterio nuntium subsequente,

Qua de causa, quamvis adulterium post nuntium materialiter et formaliter commissum sit et, uti supponimus, consummatum, promissio, quæ ab initio fuit insufficiens ad constituendum impedimentum ob ignorantiam conjugii tunc existentis, post nuntium definitive retractata est.

Nullum igitur impedimentum criminis contractum est.

V. Coucke.

## V.

### De via crucis (1).

Q. *Quomodo via crucis constituitur ? Quænam documenta ad validam erectionem requiruntur ?*

R. I/ Via crucis constituitur quatuordecim *crucibus ligneis* rite *benedictis*, debite *affixis* ad aliqualem ab invicem *distantiam*.

**Explicatur.** — 1/ Stationes V.C. constituuntur *quatuordecim crucibus*. Invalida esset erectio si vel una crux huic numero deficeret. In his crucibus non debet adesse imago Christi Redemptoris : sufficiunt cruces, non requiruntur crucifixi.

Hæ cruces debent esse *ligneæ*, sub pœna nullitatis, ex præscripto ritualis romani (2). Possunt quidem, juxta communem doctrinam auctorum, inaurari, argentari, colore infici, metallicis aliisque ornamentis instrui, ita

---

(1) Vide opera supra citata p. 131.

(2) *Rituale romanum*, edit. typica, Romæ, 1925, p. 778 : « Postea sacerdos benedicat *quatuordecim cruces quæ ex ligno esse debent* ». In edit. 1913 legebatur : Benedictio crucium quæ ex ligno esse debent. Cfr decr. s. C. Indulg. 23 nov. 1878 ad I, *Decr. auth.*, n. 442. Unum exemplum refertur ubi cruces ferreæ et lapideæ potuerunt remanere pro acquisitione indulgentiarum viæ crucis ex decreto s. C. Indulg. 18 sept. 1880. Cfr *Acta s. Sedis*, t. XIII, p. 319 sq.

tamen ut non ex metallo vel alia materia confectæ videantur (1).

Præterea cruces debent esse visitantibus *visibiles*, nec sufficit quod cruces ligneæ apponantur ex parte adversa crucium ex ferro aut alia materia confectarum (2).

Utiliter quidem ad devotionem fidelium, præsertim rudium, fovendam, adjunguntur imagines seu tabulæ sive pictæ, sive sculptæ : atvero « cruces.... solæ necessario requiruntur (3) », « indulgentiæ V. C. crucibus tantum sunt adnexæ, minime vero imaginibus quæ necessariæ non sunt » (4). Si tamen adhibeantur, debent repræsentare eadem quatuordecim passionis Domini mysteria quæ stationibus hierosolymitanis repræsentantur (5).

*Quæritur* quid censendum sit de stationibus V.C. quales, e Gallia oriundæ, etiam apud nos hinc inde in oratoriis religiosarum inveniuntur, ubi nimirum supra cruces ligneas, in intersectione brachiorum crucium, tabellæ depictæ, mysteria consueta repræsentantes, applicantur, ita ut tantummodo extremitates brachiorum crucis appareant? An erectiones talium stationum validæ et licitæ sunt? — Respondit s. Congregatio Indulgentiarum : affirmative, sed simul « vehementer inculcat ut nihil innovetur, sed antiqua et ubique recepta praxis servetur, quæ est ut cruces supra depictas tabulas integre conspicuæ emineant » (6).

---

(1) Vide simile responsum quoad colorem scapularium, in decreto s. C. Indulg., 18 aug., 1868, ad III *Decr. auth.*, n. 423. Non tamen videtur approbandus ille usus ita ornandi cruces V. C. : magis conforme est spiritui Ecclesiæ quod cruces referant humilitatem Passionis ac videntibus vivide repræsentent « lignum crucis in quo salus mundi pependit ».

(2) Cfr decretum s. C. Indulg. 23 nov. 1878 ad II, et III, *Decr. auth.*, n. 442. — Unde, ut videtur, cruces debent esse visibiles *qua ligneæ*, et hæc est ratio cur color aut ornamenta apposita debeant moderate apponi. Secus cruces jam non viderentur ligneæ, et esset periculum nullitatis erectionis talis V. C. Cfr Beyersbergen, apud *Nederlandsche katholieke stemmen*, t. XXIII, (1923), p. 210 sq.

(3) Decr. s. C. Indulg. 13 nov. 1837, *Decr. auth.*, n. 258.

(4) Decr. 20 sept. 1830 ad I. *Ibid.*, n. 275.

(5) Cfr Mocchegiani, *Collectio indulgentiarum*, p. 505, n. 1135.

(6) Decr. 27 martii 1901, apud *Analecta ecclesiastica*, t. IX (1901), p. 177.

2/ Cruces debent esse *rite benedictæ* a sacerdote debita instructo facultate : est conditio ad valorem erectionis V. C. Tabulæ vero si adsint, congruit ut benedicantur, sed id non est necessarium (1). Hæc autem benedictio non necessario fieri debet ante affixionem crucium et imaginum, sed sufficit ut post affixionem impertiatur (2), v. g. a sacerdote ante altare ad cruces jam antea in locis propriis affixas converso (3).

Ad valorem requiritur ut *sacerdos benedicens* seu erigens V. C. sit saltem *moraliter præsens* in loco ubi via crucis constituenda est : unde a/ minime sufficit ut sacerdos privatim cruces domi benedicat easque parocho vel alii sacerdoti in designato loco affigendas committat. Ipse tamen erector, ut valida sit erectio, non tenetur tabulas cum crucibus collocare et stationes percurrere (4), sed alius quicumque potest eas collocare privatim et sine cœremoniis, etiam alio tempore (5), postquam sacerdos erector jam domum repetiit (6).

---

(1) Decr. s. C. Indulg. 30 jan. 1839, ad II, *Decr. auth.*, n. 270. — « Indulgentiæ crucibus tantum sunt adnexæ, quæ quidem solæ sunt benedicendæ, minime vero imaginibus ». Item decr. 20 sept. 1839, *ibid.*, n. 275, quod supra in textu recitavimus. Cfr decr. 20 junii 1838, *ibid.*, n. 261. Imo in decreto 28 sept. 1838, ad IV, *ibid.*, n. 264, dicitur : « quoad imagines numquam benedicuntur ». In *Rit. rom.*, ed. typica 1925, ante benedictionem crucium, post invocationem Spiritus Sancti, habetur : « *Deinde fit benedictio tabularum seu imaginum stationum, si adsunt* ».

(2) Decr. s. C. Indulg. 21 junii 1879. *Decr. auth.*, n. 447.

(3) Cfr Bernardinus a Portu Romatino, *Instructio*, p. 41 sq. Cfr *Rit. rom.*, ed. typica 1925 : « *Affixio autem crucium et tabularum stationum fieri potest a quocumque privatim sine cœremoniis, etiam alio tempore, sive post sive ante ipsarum benedictionem faciendam a sacerdote in loco in quo stationes sunt erigendæ* ».

(4) Cfr decr. s. C. Indulg. 22 aug. 1842, ad I. *Decr. auth.* n. 311. Unde ea quæ in rituali inveniuntur post benedictionem crucium, scil. processio ad singulas stationes, hymnus *Te Deum*, non sunt ad valorem, sed tantum ad majorem solemnitatem præscripta.

(5) Cfr citatum decr. 22 aug. 1842, ad II, *ibid.*

(6) Cfr decr. s. C. Indulg. 26 sept. 1892, ad II, apud *Acta s. Sedis*, t. XXV, p. 317.

*b*/ Sed neque requiritur ut in monasterio monialium sacerdos erigens ingrediatur clausuram : sufficit ut benedicat cruces ad crates (1).

3/ Oportet ut cruces sint *debite affixæ* : nimirum si tabulæ adsint, cruces super eas ponantur (2), vel etiam separatim a tabulis parieti affigantur (3). Possunt etiam cruces affigi super scamna dummodo hæc sint inamovibilia et satis erecta (4).

4/ Tandem inter stationes viæ crucis requiritur *aliqualis distantia* (5), « non tamen distantia æqualis viæ crucis Jerosolymitanæ, nec determinata » (6).

Quoad directionem vero V. C., utrum scilicet a parte evangelii an a parte epistolæ incipere debeat, nihil est præscriptum.

II *Documenta ante erectionem viæ crucis sub pœna nullitatis requisita et quidem in scriptis* (7).

1/ Sacerdotis erigentis *deputatio*, nisi ipse superior, scilicet Ordinarius vel superior religiosus, erigat, aut nisi sacerdos generalem aliquam facultatem, quâ membrum cujusdam confraternitatis, habeat (8).

---

(1) *Monitum 8m*, *Decr. auth.*, n. 100.

(2) Cfr decr. s. C. Indulg. 20 junii 1838, *Decr. auth.*, n. 261, et decr. 23 nov. 1878, ad III, *ibid.* n. 442.

(3) Cfr decr. s. C. Indulg. 15 nov. 1845, ad II, *Decr. auth.*, n. 332.

(4) Cfr decr. s. C. Indulg. 14 sept. 1904, ad I, apud *Collat. Brugen.*, t. X (1905), p. 179 sq. Ibidem ad II « injungitur ut cruces a scamnis amovibilibus removeantur et ad locum stabilem affigantur ».

(5) Cfr decr. s. C. Indulg. 28 aug. 1752, ad I. *Decr. auth.* n. 194.

(6) Decr. s. C. Indulg. 3 dec. 1736. *Decr. auth.* n. 119. Non tamen convenit ut tam modica sit distantia ut totus ambitus viæ crucis duobus aut tribus passibus absolvatur.

(7) Cfr Decreta s. C. Indulg. 3 aug. 1748, *Decr. auth.*, n. 175, 25 sept. 1841, *ibid.*, n. 294, 21 junii 1879, *ibid.*, n. 445.

(8) Vide quæ supra scripsimus ubi egimus de iis quibus facultas erigendi V. C. competit. Hoc tomo p. 132 sq. Cfr. decr. s. C. Indulg. 6 aug. 1890, ad II, *Acta s. Sedis*, t. XXIII, p. 350. In ipsa concessione V. C. et deputatione per episcopum facta, congruit ut fiat mentio facultatis obtentæ a s. Sede erigendi vias crucis, sed non est necessaria. *Ibid.*, ad III.

2/ *Licentia* seu *consensus Ordinarii* loci, et quidem in singulis casibus pro unaquaque stationum erectione tribuendus, nec sufficit quod consensus sit generice præstitus, id est pro certo numero ecclesiarum vel oratoriorum (1). Hic consensus Ordinarii requiritur etiam pro erectione V. C. in oratoriis domesticis (2).

3/ *Consensus parochi*, non tamen pro erigenda V. C. in locis quæ saltem de facto administrantur independenter a parocho per sacerdotem nominatum ab episcopo (3) : tunc sufficit consensus hujus sacerdotis, rectoris seu capellani (4). Similiter non requiritur consensus parochi pro erectione V. C. in oratoriis domesticis (5).

Adverte quod a lege impetrandi licentiam sive Ordinarii sive parochi excipiuntur ecclesiæ, oratoria ceteraque loca Ordinis Fratrum Minorum (6), imo omnia loca exempta a jurisdictione Ordinarii, ut sunt ecclesiæ, oratoria, loca interna quorumcumque Ordinum exemptorum (7). In his locis requiritur consensus superioris localis Ordinis de quo agitur (8).

4/ *Consensus superioris vel superiorissæ* ecclesiæ, monasterii, conservatorii, hospitalis et loci pii ubi erectio V. C. fieri contingit (9).

---

(1) Cfr decr. 21 junii 1879, ad III et ad IV, *Decr. auth.*, n. 445.

(2) Cfr decr. s. C. Indulg. 26 sept. 1892, ad VI, *Acta s. Sedis*, t. XXV, p. 317 sq.

(3) Cfr decr. 21 junii 1879 ad I, *Decr. auth.*, n. 445. Quodsi non habeatur talis capellanus, sed modo unus, modo alius sacerdos ibi officia religiosa peragat, tunc requiritur consensus parochi « si agatur de erigenda V. C. in ecclesia vel oratorio publico ». Decr. 26 sept. 1892, ad XI, *l. c.*

(4) Cfr Stein, *Tractatus de indulgentiis lucrandis*, p. 33.

(5) Cfr decr. 26 sept. 1892, ad VI et ad XI, *l. c.*

(6) Cfr decr. s. C. Indulg. 28 aug. 1752, ad II, *Decr. auth.*, n. 174.

(7) Cfr decr. 26 sept. 1892, ad IX, *l. c.* Mocchegiani, *o. c.*, p. 533, n. 1195,

(8) Cfr decr. 3 aug. 1748, *Decr. auth.*, n. 175.

(9) Si consensus ille sive parochi sive superioris ecclesiæ, monasterii etc. *oretenus* tantum daretur ante erectionem, et solum post erectionem in scriptis expediretur, invalida foret erectio V. C. Cfr decr. 26 sept. 1892, ad X, *l. c.* Idem sane dicendum est de consensu Ordinarii.

Nota : 1° Postulatio erectionis viæ crucis scripto fieri non debet sub pœna nullitatis (1).

2° Deputatio, consensus Ordinarii, parochi, ac superiorum non debent necessario tot documentis distinctis contineri : ita consensus Ordinarii jam sufficienter exprimitur in ipsa deputatione scripta qua alicui sacerdoti committit erectionem V. C. in loco determinato ; similiter consensus parochi aut superiorum implicite contentus in scripta postulatione erectionis V. C. sufficit.

Finita autem erectione duo adhuc præscribuntur, non tamen sub pœna nullitatis :

1/ Conficiendum est « instrumentum » seu testimonium peractæ erectionis, propria manu erectoris scriptum aut saltem signatum (2), quod tradatur parocho aut superiori loci ubi erectio facta est, ab eoque conservetur. Præterea « præscribitur insertio testimonii in actis episcopalibus (3) et in codicibus parœciæ seu loci, etc., sed non sub pœna nullitatis » (4).

Tempus conficiendi hujus instrumenti non est determinatum (5), sed ratio per se patet cur id quantocius fiat, ne dubium in posterum oriatur circa canonicam erectionem (6).

2/ Omnia documenta scripta supra relata quæ necessa-

---

(1) Cfr decr. 6 aug. 1890, ad I. *Acta s. Sedis*, t. XXIII, p. 350.

(2) Vide formulam « ad fidem faciendam de erectione V. C. » in *Rituali romano*. Beringer-Steinen, *o. c.*, t. II, p. 443, nota (1) recenset mutationes vel additiones huic formulæ utiliter faciendas pro variis adjunctis.

(3) In curia episcopali hoc modo facile huic præscripto satisfit, conservando scil. in archivo litteras postulationis iisque inscribendo consensum episcopi cum dato diei et anni. Cfr Mocchegiani, *o. c.*, p. 537, n. 1207.

(4) Decr. s. C. Indulg. 6 aug. 1890, ad IV, *Acta s. Sedis*, t. XXIII, p. 350. Cfr decr. 25 sept. 1841. *Decr. auth.*, n. 294.

(5) Interea vero, antequam instrumentum sit confectum, jam acquiri possunt indulgentiæ V. C. : adeoque defectus talis instrumenti non invalidat stationes rite constitutas.

(6) Cfr decr. s. C. Indulg. 10 febr 1844. *Decr. auth.*, n. 325.

ria sunt sub pœna nullitatis, conserventur a concessionario in proprio archivo, ut quandocumque opus fuerit exhibeantur cui de jure, puta episcopo [vel decano] in sacra visitatione (1).

*Sanatio.* Uti ex supra dictis elucet, ex multiplici capite accidere potest ut erectio viæ crucis sit invalida. Et ideo identidem a s. Sede expostulatur quatenus omnes V. C. erectiones ubique locorum ob quoscumque defectus invalide factas, benigne sanare dignetur.

Talis sanatio quum conceditur (2) aufert quidem nullitatem erectionis, neque opus est supplere *defectui documentorum* prævie ad erectionem V. C. necessariorum ; attamen supplendum videtur aliis defectibus qui ad *materiam* viæ crucis pertinent, v. g. addendo cruces ligneas ubi solæ tabulæ existerent (3), aut substituendo cruces ligneas ubi cruces ex alia forent materia. (4)

A. Legrand.

## VI.

### De ecclesia funeris.

Q. *Quaenam est, ex jure ordinario, ecclesia in quam cadaver pro funere transferri debet et cur ?*

R. — Ecclesia *funerans,* ut in jure accipitur, illa est in quam cadaver defuncti transferendum est, ut ibidem funus seu exsequiæ persolvantur. Non omnis ecclesia hoc

---

(1) Cfr decr. 3 aug. 1748, *Decr. auth.*, n. 175 et decr. 25 sept. 1841, *ibid.*, n. 294. Cfr Beringer-Steinen, *o. c.*, t. I. p. 339, n. 710.

(2) Vide exemplum talis sanationis apud *Collat. Brugen.*, t. VII (1902), p. 542 sq. Ultima sanatio concessa est rescripto s. Pœnitentiariæ 15 junii 1922. Cfr *Acta Ord. F. Min.*, 1922 p. 216 cit. ap. *Nouvelle revue théologique*, 1924, p. 184 sq.

(3) Cfr decr. s. C. Indulg. 20 junii 1838, *Decr. auth.*, n. 261. « Ss.... convalidavit stationes hucusque erectas sine crucibus, ac mandavit, ut... orator.... cruces ligneas privatim benedicat, easque benedictas stationibus sic jam erectis superponat meliori quo fieri potest modo, ne scandalum oriatur ».

(4) Cfr Stein, *o. c.*, p. 34.

jure gaudet funerandi, quod apprime distinguendum est a jure tumulandi seu a jure admittendi corpora ad solam humationem.

Hæc autem ecclesia, cui competit facultas cadavera humo tradendi et exsequias præcinendi, respectu alicujus defuncti, determinanda est secundum ordinem a codice statutum. Quem ordinem breviter sequentibus regulis describere licet : *a/* ubi adest ecclesia *sepulturæ electivæ*, haec omnibus ecclesiis pro funere prævalet ; *b/* hac deficiente, jus acquirit ecclesia *sepulturæ gentilitiæ ;* *c/* utraque autem deficiente, jus ordinarium seu commune servandum est, quod favet ecclesiæ propriæ defuncti parœciæ, salvo semper, uti patet, jure speciali quoad speciales personas physicas aut morales.

Præsenti tractatione paucis evolvimus quibusnam normis determinanda sit ecclesia funerans ex jure communi, seu ut in codice ad can. 1216, § 1 sonat, ex jure ordinario (1).

Jamvero codex duplicem casum nitide distinguit : alterum, illorum qui in propria parœcia decesserunt, alterum vero illorum qui extra propriam parœciam defuncti sunt. Et ideo :

I. *Ecclesia funerans pro defunctis intra propriam parœciam.*

Deficiente sepulcro electivo et gentilitio cadaver pro funere transferri debet ex jure ordinario ad ecclesiam *propriæ defuncti parœciæ* (2).

Ecclesia enim, parœciali spiritui semper favens, hoc jus ecclesiæ parœciali expresse tribuit, quia vult ut etiam defuncti huic ecclesiæ maneant conjuncti, « in qua officia consueverunt audire divina atque ecclesiastica

(1) Tradimus uti patet, ea tantum quæ sunt *juris communis*. Ideo in casuum specie sedulo attendendæ remanent variæ locorum consuetudines, decreta Ordinarii, et concordata inter parochos inita.

(2) Can. 1216, § 1.

recipere sacramenta » (1), et ideo ut quam intima servetur unio mortuos inter et vivos unius ejusdemque parœciæ. Qua de causa sepultura est jus parocho ita proprium, ut pro ea, cum de parœcianis sermo est, habeat intentionem in lege fundatam, et consequenter, « qui contra illum agere vult, probare teneatur non tantum jus tumulandi, si notorium non sit, sed et electionem legitime factam alterius ecclesiæ aut majorum saltem sepulcrum » apud quod celebrandum est funus (2). Quare ad instar corollarii hujus principii merito statuit can. 1217: « in dubio de jure alius ecclesiæ, i. e. in dubio de jure funerandi ecclesiæ propriæ et non propriæ, jus ecclesiæ parœcialis semper prævalet ».

Cum autem, uti ex regulis de acquisitione domicilii vel quasi-domicilii parœcialis aut quasi-parœcialis patet, fieri possit ut quis plures habeat parœcias proprias, codex et alteram regulam addit, nempe ecclesiam funeris esse ecclesiam parœciæ in cujus territorio fidelis decessit, casu quo plures habuerit parœcias proprias (3). Hæc regula, ad præcavendas nocivas de juribus controversias, ab Ecclesia sapienter statuta, fundatur in rationabili præsumptione ; at valet tantum pro casu quo defunctus nullo modo voluntatem manifestaverit habendi exsequias vel sepulturam in una e suis parœciis ; hæc enim voluntas semper prævalet (4).

Quare per modum applicationis concretæ deducere jam fas est :

*a*/ qui in loco *domicilii* sive voluntarii sive necessarii decedit, ibidem sepeliendus est ;

*b*/ qui *duo* simul habet *domicilia*, in illa humari debet parœcia, in qua e vivis sublatus est ;

---

(1) C. 2 et 3, *De sepulturis*, III, 12, in VI° ; c. 1, X, *De sepulturis*, III, 28.

(2) Cfr MOULART, *De sepultura et cœmeteriis*, p. 177.

(3) Cfr CLAEYS-BOUUAERT-SIMENON, *Manuale juris canonici*, p. 475, n. 804.

(4) Cfr A. DE MEESTER, *Compendium juris canonici*, t. III, p. 97.

c/ qui in loco *quasi- domicilii* moritur, ibi terræ mandandus est, etiamsi domicilium voluntarium vel necessarium, vel aliud quasi-domicilium alibi habeat. Ratio patet cum ecclesiæ quasi-domicilii parœcianus est.

d/ *vagi*, qui nullibi domicilium aut quasi-domicilium parœcianum habent, subsunt titulo actualis commorationis parocho in cujus parœcia hic et nunc versantur ; sunt itaque sepeliendi in parœciali ecclesia sub qua vitam ponunt (1).

II. *Ecclesia funerans pro defunctis extra propriam parœciam.*

1/ « Licet mors acciderit extra propriam parœciam, cadaver tamen in ecclesiam parœciæ propriæ quæ vicinior est, ob funus transferendum est, si ad eam commode pedestri itinere asportari possit ; secus in ecclesiam parœciæ in qua mors accidit » (2). Proinde :

a/ Fideles *peregrini*, seu versantes extra domicilium et quasi-domicilium quod adhuc retinent, qui sine electa vel majorum sepultura, casu moriuntur dum extra propriam parœciam degunt, tamen in propria domicilii vel quasi-domicilii ecclesia funus accipere et sepeliri debent ; et quidem in parœcia (3) *viciniore*, si defunctus plures habuerit ecclesias proprias. Quam regulam, auctores communius (4) dicunt valere, ex identitate rationis, pro ecclesia sepulturæ electæ aut gentilitiæ, ita

---

(1) Can. 1218, § 1.

(2) Dicitur « *parœcia* vicinior » et non « *ecclesia* vicinior » omittendo controversiam pure grammaticalem quæ fieri potest de verbo ad quod pronomen *quæ* referri debeat, de qua cfr MATTHÆUS A CORONATA, *De locis et temporibus sacris*, p. 163, n. 167.

(3) Cfr MATTHÆUS A CORONATA, *o.* et *l. c.* ; CLAEYS-BOÜUAERT, *o. c.*, n. 804 ; A. DE MEESTER, *o. c.*, n. 1187. — De hac regulæ extensione ex identitate rationis non loquuntur VERMEERSCH-CREUSEN, *Epitome juris canonici*, t. II, p. 306 ; COCCHI, *Commentarium in codicem juris canonici*, t. V, p. 102.

(4) Cfr A. DE MEESTER, *o. c.*, p. 97.

ut e. g. ecclesia electæ sepulturæ ut ecclesia funerans haberi debeat, quoties ad eam cadaver pedestri itinere commode asportari poterit.

*b*/ Hæc tamen regula tunc tantum applicanda venit, quando cadaver ad ecclesiam propriam commode pedestri itinere asportari possit. Incommodum autem moraliter ponderandum est ex distantia, asperitate viarum, inclementia aëris, periculo putrefactionis aut epidemiæ, præscriptionibus legis civilis ; et hæc quidem omnia in relatione ad *pedestre* iter commode peragendum sunt consideranda, cum juxta Rit. Rom. cadaver processionaliter deferri debeat. Apud nos, ex applicatione can. 1218, § 2, statutum est à jure particulari, translationem per se non censendam esse incommodam si distantia non est major quinque kilometris (1).

2/ At, cum regula generalis in § 1 can. 1218 statuta sit tantum practica solutio ab Ecclesia sapientissime tradita ad vitandas difficultates contestationesque, tamen non vult benigna mater Ecclesia impedire quominus familia aliive quorum interest curent, ut obtineatur id quod spiritui Ecclesiæ omnino congruit, nimirum ut servetur illa spiritualis communio qua defuncti propriæ ecclesiæ conjunguntur. Ideo recte addit § 3 ejusdem canonis : « licet translatio ad ecclesiam funeris aut locum sepulturæ incommoda sit, semper tamen integrum est familiæ, hæredibus, aliisve quorum interest, cadaver illuc deferre, susceptis translationis expensis ». Hoc jus, de communiore sententia, etiam agnoscendum est, ubi de sepultura electiva aut gentilitia agitur (2). Nomine *illorum*

---

(1) *Conc. Prov. Mechlin.* IV, decr. n. 216, 2° ; dico *per se* seu *regula generali*, nam in casu particulari alia adjuncta obstare possunt quominus commoda et consequenter obligatoria dici possit cadaveris translatio, uti vires familiæ necessariis expensis sustendandis impares, vetitum auctoritatis civilis. De his judicabit Ordinarius. Cfr casum supra circa hoc solutum, p. 188.

(2) Cfr auctores citatos sub nota 3, p. 239. Patet autem hanc prærogativam familiæ exerceri tantum posse extra periculum contagionis etc.

*quorum interest*, intelliguntur omnes illi qui illam translationem efficaciter jubere possint, uti superiores, Status, municipium (1).

J. Brys.

(1) Cfr A. De Meester, *o. c.*, p. 98. — Cocchi, *o. c.*, p. 102 inter illos comprehendit omnes qui illud efficaciter *velint*, uti amici et dolentes ; Matthæus a Coronata, *o. c.*, n. 169, etiam parochum et rectorem ecclesiæ in quam defunctus transferatur. Quod autem spectat jus belgicum, cfr Van Coillie-De Meester, *La sépulture et les fabriques d'église*, p. 70.

# RESPONSA

## ad quæstiones in conferentiis mensis martii propositas.

—

### I.

### In Luc., v, 1-11. — Homilia.

Q. *Eadem, quæ in præcedenti quæstione 1a indicantur* (1), *præsta circa Evangelium Dominicæ IVæ post Pentecosten* (Lc , v, 1-11), — *sitque homiliæ objectum : Quænam ad fructuosum apostolatum, ad quem utique quilibet christiani vocati existunt, requirantur.*

R. *Explicationes ad intellectum Evangelii præparatoriæ.* Jam ab aliquot mensibus inchoaverat Jesus suam vitam publicam. Post baptismum a Joanne Baptista receptum et commorationem in deserto per quadraginta dies protractam (*Mt.*, III, 13-IV, 11 et ll. parall. *Mc.* et *Lc.*), ad ripas Jordanis redierat ibique, ex schola Joannis Baptistæ, primos ad se vocaverat suos Apostolos, Petrum et Andream, fratrem ejus, Joannem et Jacobum, qui et ipsi erant fratres, et Philippum et Nathanaël (*Jo.*, I, 19-51) ; cum hisce in Galilæam profectus erat, Hierosolymam ascenderat, Judæam petierat et tandem per Samariam in Galilæam redierat ; doctrinam suam spargere incœperat variisque signis potentiam et scientiam suam divinam discipulis manifestaverat (*Jo.*, II, 1-IV, 42). — Hæc tamen vocatio provisoria tantum fuerat : Apostoli, tamquam ad

---

(1) Vide supra, p. 214.

normalem (1), ad vitam suam priorem, ad laborem et negotia priora redierant (2). Tempus erat ut Jesus aliquot saltem sibi definitiva vocatione adjungeret. Etenim, quod bene intelligitur, ob diuturnam Jesu prædicationem et ob perplura ejus miracula, turbæ jam irruunt in eum et cooperatoribus indigebit Jesus (*Lc.*, v, 1). Hanc vocationem Petri et Andreæ, Joannis et Jacobi enarrat Lucas, v, 1-11 (3).

Tota scena locum habet juxta et supra mare illud, in historia evangelica notissimum, quod in parte septentrionali Palæstinæ, juxta provinciam Galilæam situm erat et quod, inter alia ob pisces quibus abundabat, frequentissimum ad ripas suas populum attraxerat pluribusque civitatibus et vicis circumdatum erat. — In hoc lacu, ex discipulis olim provisorie a Jesu vocatis, Petrus et Andreas, Jacobus et Joannes, quadam nocte — quod magis propitium erat tempus — piscationem instituerant, infructuosam, et ad littus descenderant. Jesus, definitive eos

---

(1) Dicimus : *tamquam ad* vitam *normalem*. Revera nil videtur obstare quominus Apostoli, etiam post suam definitivam vocationem, adhuc interdum redierint ad suam piscationem : adhuc decursu vitæ Jesu insequentis sermo fiet de navicula Apostolorum (*Mt.*, VIII, 24 ; XIV, 24 ; *Mc.*, III, 9 ; *Jo.*, VI, 24, etc.) ; imo adhuc post Jesu resurrectionem vadent piscari (*Jo.*, XXI, 3 ss.). Sed non erit jam eorum occupatio ordinaria. Ne ergo male intelligas quod dicunt Synoptici eos *relinquere omnia*.

(2) Triplicem merito distinguunt auctores Apostolorum vocationem : primam, eam quam *Jo.*, I, 19-51, enarrat, quorumdam tantum et provisoriam ; secundam, adhuc quorumdam tantum sed definitivam quam *Lc.* hîc narrat ; cui adjungi potest vocatio Matthæi, *Lc.*, V, 27-28 et ll. parall. *Mt.* et *Mc.* ; tertiam tandem, definitivam et omnium seu constitutionem collegii 12 Apostolorum, quam refert *Mt.*, X, 2 ss. et *Mc.* et *Lc.*, ll. parall. — Utrum adhuc de alia quadam vocatione dici debeat, pendet a quæstione indigitata in *nota* proxime sequente.

(3) Disputant auctores num de eadem vocatione intelligenda sint hinc quæ habet *Lc.*, h. l., hinc quæ *Mt.*, IV, 18-22 et *Mc.*, I, 16-20. Si vere, quod præferendum videtur, eadem agitur vocatio, tunc dicendum est *Mt.* et *Mc.* formulis brevioribus indeque obscurioribus contraxisse facta quæ locum habuerant ; *Lc.* vero multo longius et accuratius eadem facta descripsisse.

vocaturus, eosdem adibit et mirifica quadam piscatione, (1) vocationem suam apostolicam eis notificabit.

Sequatur *lectio evangelii*.

*Applicatio*. — Quam perspicue hac narratione, tota symbolica, describuntur conditiones ad fructuosum apostolatum, ad quem utique quilibet christiani vocati existunt, requisitæ.

*Navicula Petri Ecclesia est*, quæ utique navigat in undis hujus mundi, nulla tempestate destruenda (2) ; ejus est ex mari hujus mundi capere pisces, homines, ad portum æternæ salutis deferendos, v. 10.

*Piscatores* imprimis Petrus sunt aliique Apostoli : Romanus Pontifex, omnium dux supremus, cui soli, in persona Petri, dixit Jesus : *Duc in altum*, v. 4, — Episcopi quoque cæterique Ecclesiæ ministri, Romani Pontificis cooperatores, quibus omnibus, in persona cooperatorum Petri, dixit Jesus : *Laxate retia vestra*, v. 4. — Piscatores quoque sunt quilibet alii christiani, utpote qui, tum orando, tum laborando, utputa variis operibus spiritualibus aut socialibus, tum exemplum præbendo, in salute animarum procuranda ministris Ecclesiæ cooperari debent. Cfr *I Pet.*, II, 19 (3).

O quam gloriosum munus, salvare animas ! Quam summe necessarium, sicut tempore Jesu, ita et hodie ! Vide turbas ab Ecclesia adhuc alienas, irreuntes in Jesum, v, 1 : Quærunt veritatem, quærunt felicitatem. Eis docendis,

---

(1) Non patet ipsam piscationem esse stricto sensu *miraculosam* dicendam, sicut nec ipsum factum quod nocte præcedenti nihil ceperant Apostoli. Non deerant sane Providentiæ divinæ viæ, etiam solius ordinis naturæ, ut utrumque illud factum absque ullo miraculo produceret. Quod autem miraculosum erat, ut patet ex integra narratione, erat Jesu prævisio de extraordinario illo piscationis successu. Vide quæ de factis miraculosis et de sic dictis factis providentialibus scripsimus apud *Collat. Brugen.*, XXII (1922), pp. 339 ss., 414 ss., 481 ss Est hæc piscatio, de qua h. l. *Lc.*, omnino distinguenda ab illa alia quam post Jesu resurrectionem refert *Jo.*, XXI, 1-14.

(2) Cfr *Mt.*, VIII, 23-27, quod est Evangelium Dominicæ IV post Epiphaniam.

(3) Isti quasi in secunda navicula ascendunt, Petro et viris ejus auxilium præstituri.

eis in Ecclesiam introducendis non sufficit Jesus : nos omnes ad apostolatum, ad cooperandum sibi vocat, vv. 3 ss. — Vide et illos qui Ecclesiam jam sunt ingressi : copiosa multitudo sunt, quibus ingens imminet periculum ne hæresi, schismate, scandalo ab Ecclesia abstrahantur : nonne *rete rumpetur*, v. 6, ita ut pisces jam capti in undas redituri sint? Annuit nobis Christus, annuit Ecclesia ut viribus unitis adjutorium præstemus piscesque ad terram deducamus, vv. 7, 11.

Quam sedulo servandæ conditiones ut fructuosus sit apostolatus noster !

*Prima conditio* est ut *laboremus cum Christo*. Ecce *per totam noctem* laboraverant, v. 5, tempus humano modo loquendi maxime propitium, et nihil ceperant ; sed Jesus non aderat, sine quo nihil poterant, *Jo* , xv, 5 : in nocte erant, longe a Jesu, qui lux mundi erat, *Jo.*, viii, 12. — Sed nunc, quantumvis tempus sit minus aptum, pisces multos capiunt, quia Jesum habent secum, in quo omnia possunt, *Phil.*, iv, 13. Sicut Apostoli, interdum, post laborem, descendamus in terram et lavemus retia, v. 2 : secessu spirituali et meditatione, purgemus nos ab omni macula et vires recreemus : eo sicut ad Apostolos, ita et ad nos veniet Jesus, vv. 1 s. — Sicut Apostoli, ita et nos audiamus Jesum nos vocantem, v. 3 ; prædicemus Jesum, v. 3 ; audiamus Jesum, ejusque mandatis submittamus mentem nostram, v. 5, et actionem nostram, v. 6. — Sicut Apostolis, ita et nobis Jesus præstabit successum, vv. 6 ss.

*Secunda conditio* est ut simus *inter nos concordes* et *perfecte submissi auctoritati* a Jesu constitutæ. Etiam Apostolorum aliorumque eorum adjutorum integra erat in operando concordia, v. 7 ; perfecta quoque erga Petrum obedientia : Petrus est qui ducit, v. 4 ; Petrus est qui dat mandatum retia laxandi, et tam certus est de subditis suis ut laborem ab omnibus exigendum : *laxate retia*, quasi *suum* laborem Jesu promittere audeat : *laxabo rete*. Et *annuere sociis* sufficiet, ut statim præstetur obedientia. v. 7.

*Tertia conditio* est ut – quæ est sanctitatis pars negativa — *a rebus hujus mundi*, pro statu ad quem Jesus nos singulos vocavit, simus *abstracti*. Quid vis aliis a mundo abstrahere, qui ipse mundo adhæres ? Audi Jesum rogantem — suavis vox gratiæ ! — Petrum *a terra reducere pusillum*, v. 3 ; audi ipsum ad majorem perfectionem compellentem : *Duc in altum*, v. 4 ; audi ipsum nunc tandem Petrum, ita a terra abstractum, ad laborem fructuosum vocantem : *Laxate retia in capturam*, v. 4 ; vide tandem Apostolos, mentem Jesu capientes, *relictis omnibus*, v. 11, *retibus et patre*, *Mt.*, IV, 22, sequi Jesum. — Fuit hæc ab omnibus separatio doctrina Jesu, multis locis evangelicis consignata (1), exemplo ejus confirmata, praxi Ecclesiæ et Sanctorum observata.

*Quarta conditio* est ut, inter omnes alias virtutes quæ positive sanctos nos faciunt quasque omnes complectitur evangelium sub formula *sequi Jesum*, v. 11, has duas præcipue colamus, *humilitatem* et *fiduciam :* nihil sentire de nobismetipsis, omnia exspectare a Deo. Vide humilem obedientiam tum Petri : vel propriæ suæ menti cæce valedicit, v. 5 ; — tum aliorum : innuisse eis sufficiet, v. 7 ; — audi Petrum proclamantem suam miseriam et indignitatem, qua nihil sibi tribuit successus, v. 8 ; — cerne et alios vel ipso suo stupore omnem gloriam in Jesum referentes, v. 9. — Vide et Petri fiduciam : conscius est, humano modo loquendi, spem non dari fructus, v. 5 ; conscius est propriæ suæ indignitatis, v. 8 ; nescius est quid ex alto mari capturus sit, et tamen *in verbo Jesu* laxat rete, v. 5. — Cæteroquin, nonne eadem divina Providentia ordinat omnia, fausta et infausta, in bonum, *Rom.*, VIII, 28 ? Nonne insuccessus Petri in nocte profuit ipsi in documentum propriæ insufficientiæ ? Nonne successus de die in fundamentum humilitatis et fiduciæ ? — Audiamus ergo verbum Jesu dum Petro munus altissimum committit : *Noli timere*, v. 10 ; neque et nos, sive ex

(1) *Mt.*, XIX, 21 ; *Lc.*, XIV, 26 ; *Mt.*, XVI, 24 ; *Jo.*, XII, 25 etc.

conscientia, experientiâ parta, propriæ infirmitatis aut indignitatis, sive ex magnitudine muneris commissi, deterreamur.

*Quinta* tandem *conditio* est ut *laboremus*. Potuisset Jesus miraculo retia, etiam non laxata, piscibus implere aut iisdem littus operire ; sed laborem exegit ab Apostolis, sicut et exigit a nobis. Ad modum Apostolorum, qui lavabant retia, v. 2, laborem animarum præparemus ; — sicut illi prompto animo laxabant retia et concludebant pisces, v. 6, sic et nos apostolatui vacemus ; — sicut illi ingenti conatu pisces servare et ad terram adducere satagebant, vv. 7, 11, sic et nos fructus apostolatus conservare conemur.

Quanta erit *merces apostolatus sic peracti !* — Copiosa erat piscium multitudo, ita ut pene rumperentur retia, v. 6 et pene mergerentur naviculæ, v. 7. Copiosa erit quoque multitudo animarum ad Terram promissam perductarum. — Vocatio Apostolorum, quæ hucusque provisoria tantum fuerat, firmior erit et definitiva, v. 10. Sic et zelosos animarum curatores ad magis adhuc fructuosum laborem vocabit. — Ipsi Apostoli, subductis ad terram navibus, indivulsi Jesum sequi possunt, v. 11. Utinam et nos aliquando, navi Ecclesiæ ad portum salutis æternæ perducti, in æternum Jesum sequi possimus !

A. Vander Heeren.

## II.

## De pænis purgatorii.

Q. *Pressius determina quænam sint pœnæ purgatorii, de quibus in lectione catechismi 15, ad 4 dicitur.*

R. — 1/ Ex dictis in responsione præcedenti (1) patet animas in purgatorio ad tempus excludi a visione Dei faciali, seu visionem Dei intuitivam pro ipsis differri ; hæc

(1) Vide supra p. 220.

autem *dilatio beatitudinis cœlestis essentialis* merito vocatur plerumque a theologis *pœna damni*, sed utique *analogice* ad pœnam damni, qua in infernis damnati cruciantur (1).

Hæc veritas tenenda est *fide divina et catholica*, at insuper *theologice certum* est animas purgantes ex hac privatione vehementer *cruciari* (2). Etenim apprehendunt hanc summæ beatitudinis dilationem tanquam privationem ob reatus pœnam cui sunt obnoxiæ, et ex hac apprehensione mali præsentis necessario tristantur, eoque vividius quo perfectius nunc, propter profundiorem suam cognitionem, statum suum miserum intelligunt (3).

2/ Dari in purgatorio, præter privationem visionis beatificæ, etiam *pœnas positive inflictas* jam *communi sententia* docent theologi, atque arguunt præcipue ex eo quod eadem ratio, nimirum inordinata conversio vel adhæsio ad bonum commutabile, propter quam damnati puniuntur pœnis positive inflictis, proportione servata, pariter pro purgatorio valeat (4).

Pœnas porro positive inflictas obtinere *per ignem realem* est *sententia solide probabilis*, uti facile demonstratur (5).

Argumentum *ex Scriptura sacra* rem utique non convin-

---

(1) Cfr *Collat. Brugen.*, VIII, p. 44 s. et nota damnatam esse propositionem hanc Lutheri, in bulla « Exsurge Domine », 15 junii 1520, sub n. 38 (*Enchir.*, n. 778) : « Animæ in purgatorio non sunt securæ de earum salute, saltem omnes », et adhuc n. 39 (*Enchir.*, n. 779) : « Animæ in purgatorio peccant sine intermissione, quamdiu quærunt requiem et horrent pœnas » ; dicendum itaque eas esse omnino securas de salute sua et insuper confirmatas in bono.

(2) Non tamen cruciantur a dæmonibus, qui sunt in infernis ; cfr s. Thomas, *Com. in lib. IV Sent.*, dist. 21, q. 1, a. 1 seu in *Sum. theol.*, III, in append. post suppl., q. 2, a. 3 (ed. taurin.).

(3) Videsis *Collat. Brugen.*, III, p. 259 s. coll. p. 82 s. et cfr s. Thomas, *Sum. theol.*, III, in append. post suppl., q. 2, a. 1, c.

(4) Cfr *Collat. Brugen.*, III, p. 260 et nota probabiliorem esse sententiam, quæ docet *omnes* animas purgantes pœnis positive inflictis puniri, quod quidam theologi tamen negant.

(5) Igitur ignis *non metaphoricus*, sed quidem *realis* et imo *materialis*, quin tamen hoc implicet hunc ignem ejusdem esse naturæ cum igne, quem in terris novimus.

cit, quoniam Apostolus, ubi scribit : « Ipse salvus erit : sic tamen quasi per ignem » (1), nihil aliud affirmat quam illum doctorem salvatum iri, « ad modum hominum qui e domus suæ incendio non illæsi evaserint » (2) ; utitur itaque comparatione, quæ valet adhuc si doctores illi pro culpis suis pænam qualemcumque sustinuerint. Attamen non immerito suspicari quis posset « Apostolum ea intentione talem adhibuisse similitudinem ut insinuaret pænam ignis animabus purgantibus applicari » (3), eo vel magis quod in infernis pænas positive inflictas per ignem obtinere Scriptura clare dicit (4).

Præcipuum argumentum desumitur *ex traditione orali*, quatenus uti satis liquet textibus supra citatis, non tantum ss. Patres latini sed etiam quidam græci realem et materialem ignem in purgatorio admittere omnino videntur (5). Observandum nihilominus est consensum sat unanimem ss. Patrum in hanc veritatem non haberi tamquam in doctrinam revelatam (6), unde consequitur hanc sententiam, quam *ss. Patres privata sua auctoritate* muniunt et, post ævum patristicum, *scholastici omnes præcipui* et *communiter nunc theologi* amplectuntur, quam adhuc commendant *antiquissimæ preces liturgicæ*, non quidem ad fidem pertinere sed esse solide tamen probabilem, imo probabilissimam (7).

Pænas hasce positive inflictas theologi plerumque vocant *pœnam sensus* ; ita etiam s. Thomas : « In purga-

---

(1) *I Cor.*, III, 15.

(2) CORLUY, *Spicilegium dogmatico-biblicum*, I, p. 247, Gandavi, 1884.

(3) *Ibidem* et nota hanc rationem arguendi a theologis bene multis admitti.

(4) Cfr *Mt.*, XXV, 41 et *Collat. Brugen.*, III, p. 14 necnon XVI, p. 402 s.

(5) Vide testimonia citata in responso præcedenti, præsertim textum s. Gregorii nysseni, quem Græci, negantes ignem purgatorii, in concilio florentino nunquam explicare potuerunt.

(6) Vide explicatum argumentum theologicum ex ss. Patribus apud *Collat. Brugen.*, XXIV, p. 35 s.

(7) Uti in præcedenti responsione notavimus, nulla est Ecclesiæ definitio aut authentica declaratio in hac materia.

torio duplex erit pæna : una damni, in quantum scilicet retardantur [animæ] a divina visione ; altera sensus, secundum quod ab igne corporali puniuntur » (1).

Hæc autem pæna *sensus* bene est intelligenda, eadem ratione qua s. Doctor communis explicat quomodo damnati, adhuc ante resurrectionem corporum, et quamvis in animabus separatis potentiæ sensitivæ non remaneant simpliciter (2), possint torqueri per elementa corporalia, quibus contra naturalem suam voluntatem, quodammodo alligati subduntur (3).

Ad complendum hunc brevem conspectum de pænis purgatorii, pauca *de acerbitate* istarum pænarum necnon *de duratione* purgatorii notare juvabit.

*a*/ Quoad *acerbitatem* pænarum, quas patiuntur animæ purgantes, dicendum :

α/ Certum videtur pænas purgatorii esse *diversas* acerbitate in diversis animabus, secundum *diversum gradum* meriti et demeriti.

β/ Juxta s. Thomam, « quantum ad utrumque [scilicet pænam damni et pænam sensus] pæna purgatorii *minima* excedit *maximam* pænam hujus vitæ » (4) ; arguit ex analysi utriusque pænæ, considerata simul cognitione perfectiore in animabus separatis ; advocat adhuc auctoritatem s. Augustini, qui revera scribit : « Gravior tamen erit ille ignis, quam quidquid potest homo pati in hac vita » (5).

---

(1) S. Thomas, *Com. in lib. IV Sent.*, d. 21, q. 1, a. 1, sol. 3 seu *Sum. theol.*, III, in append. post suppl., q. 2, a. 1, c. coll. *Summa contra gent.*, IV, 90.

(2) Cfr s. Thomas, *Sum. theol.*, III, suppl., q. 70, a. 1 et 2, c.

(3) *Summa contra gent.*, IV, 90 coll. *Sum. theol.*, III, suppl., q. 70, a. 3, c. et vide *Collat. Brugen.*, XVI, p. 454 s.

(4) *Sum. theol.*, III, in append. post suppl., q. 2, a. 1, c. seu *Com. in lib. IV Sent.*, dist. 21, q. 1, a. 1, sol. 3 ; ibidem Angelicus simul explicat et probat suam opinionem.

(5) S. Augustinus, *Ennar. in Ps.* xxxvii, 3 (MPL, XXXVI, 397).

Huic opinioni non adstipulatur s. Bonaventura (1), cui consentit s. Bellarminus (2), et insistit hic, quod attinet pænam damni, in gaudio quod hauriunt animæ purgantes ex certitudine beatitudinis acquirendæ ; responderi tamen potest hoc gaudium nec tollere, uti ex dictis supra obvium est, nec etiam minuere, uti videtur, dolorem ex privatione visionis oriundum, quia, quum sit de diverso objecto, huic directe non opponitur (3).

*b*/ Quoad *durationem* pœnarum in purgatorio, dicendum :

α/ Certum est *pro omnibus* cessaturam esse pænam purgatorii *cum ultimo judicio*, quod in sacris litteris clare continetur (4) et ss. Patres aperte docent (5).

β/ Incertum est *quoad singulos homines* quanto tempore in purgatorio detineantur.

Sane rursus admittendum videtur *durationem* pænæ subeundæ *diversam* esse secundum *gradum diversum* meriti et demeriti (6) ; *generatim* vero, utrum tempus purgationis sit longius an brevius, nescimus.

---

(1) S. Bonaventura, *In lib. IV Sent.*, dist. 20, p. 1, a. 1, q. 2 : « Dicendum... quod pæna purgatorii gravior est omni temporali pæna », quod autem sic intelligendum ut dicatur « quod illa [pæna purgatorii] sit major, non quia minima sit major maxima in hoc genere [pænæ scil. terrestis], sed quia maxima in illo genere [pænæ purgatorii] major sit maxima in hoc genere [scil. pænæ terrestris] ».

(2) S. Bellarminus, *Disp. de controversiis christ. fidei*, II, De purgatorio, lib. II, cap. xiv, in ed. Parisiis, 1700, c. 645.

(3) Cfr *Collat. Brugen.*, III, p. 308 ; alias difficultates solvit s. Thomas in responsionibus ad objectiones, *l. c.*

(4) Cfr *Mt.*, xxv, 46.

(5) Ita v. g. s. Augustinus, *De civ. Dei*, xxi, 13 et 16 (MPL, XLI, 728 et 731). — Inde quæstio quid de animabus quæ hoc momento nondum satis passæ sunt, necnon de iis hominibus, qui tempore secundi adventus Domini vivent adhuc ; censent quidam theologi Deum hoc momento supplere acerbitate pænæ et quoad ultimos viventes, eosdem purgandos esse in ipsa morte subeunda per ignem, quo mundus peribit ; cfr s. Thomas, *Com. in lib. IV Sent.*, dist. 47, q. 2, a. 3, sol. 2, ad 5 et s. Bonaventura, *In lib. IV Sent.*, dist. 47, a. 2, q. 4.

(6) Cfr s. Thomas, *Com. in lib. IV Sent.*, dist. 21, q. 1, a. 3, sol. 3 seu *Sum. theol.*, III, append. post suppl., q. 2, a. 6, c.

Novimus autem ab antiquo tempore Ecclesiam probavisse celebrationem anniversariorum unius ejusdemque animæ per plures annos, imo in perpetuum (1) ; adhuc, Ecclesiam damnavisse hanc propositionem : « Annuum legatum pro anima relictum non durat plus quam decem annos » (2) ; unde certo dicendum est probabiliorem esse sententiam, quæ *diutius aliquando* detineri animas in purgatorio contendit (3).

H. Lamiroy.

## III-IV.

### De principio : officium pro officio.

Q. *Quandonam et quare potest vel imo debet sacerdos sæcularis applicare principium :* officium valet pro officio ?

R. *Sensus principii* est quibusdam in adjunctis breviarii præcepto satisfacere, qui recitat officium a s. Sede approbatum sed diversum ab officio imposito.

Officium clericis in majoribus ordinibus constitutis recitandum imponitur « secundum proprios et probatos liturgicos libros » (can. 135) ; unde obligantur sacerdotes sæculares ut Breviarium Romanum a s. Pio V editum et a Pio X nuper reformatum recitent, et quidem juxta ordinem calendarii universalis, attento simul proprio diœcesis et ecclesiæ cui addicuntur (4). Officium autem ab imposito diversum duplex esse potest : potest esse vel officium ex eodem breviario romano, vel officium ex

---

(1) S. Augustinus, *Confes.*, ix, 13, 35 (MPL, XXXII, 778), triginta annis et amplius post obitum piæ matris adhuc orat pro ipsa et aliorum orationes petit.

(2) Errores in rebus moralibus damnati ab Alexandro VII, decr. 24 sept. 1665, n. 43 (*Enchir.*, n. 1143).

(3) Arguunt adhuc quidam auctores ex *revelationibus privatis* et *ratione*, sed istas considerationes omittere præstat, utpote ab aliis non receptas.

(4) Quale officium dicendum sit ab absentibus vide apud auctores de Liturgia et de Legibus.

breviario diverso, v. g. benedictinorum, augustinensium, ecclesiæ Ambrosianæ, quibus s. Pius V breviarium suum servare concessit.

Sub gravi breviarium romanum imponi non ambigitur : severe enim statuit s. Pius V « neminem ex iis, quibus hoc dicendi psallendique munus necessario impositum est, nisi hac sola formula satisfacere posse » (1), nec minus rigorose Pius X : « sciant se tam gravi non satisfacturos officio, nisi nostrum hunc Psalterii ordinem adhibeant » (2). Verum calendarii sequendi utrum gravis sit an levis obligatio inter theologos diu jam controvertitur ; autumant quidam ordinem calendarii esse de substantia præcepti, dum plerique præceptum virtualiter duplex esse aiunt et injunctam formam dividunt in substantialem et accidentalem : « forma substantialis consistit in differentia veluti specifica breviarii romani a ceteris breviariis,... et appellari potest ritus romanus ; forma vero accidentalis consistit in ritibus singularibus, quibus officia ejusdem breviarii romani inter se differunt » (3). Substantialem formam sub gravi, accidentalem autem de se saltem sub levi imponi concedunt (4).

His prælibatis, *respondetur*, sub conditionibus indicandis, officium valere pro officio triplici in casu, nimirum, si quis ex inadvertentia officium diversum recitaverit, dein si quis officium impositum præ manibus non habeat nec absque molestia quærere queat, tandem si adsit rationabilis causa aliud officium eligendi. In secundo casu, quoties per officium diversum fieri satis potest, oportet illud recitetur.

1/ *Si quis inadvertenter vel ex errore pro officio diei aliud*

---

(1) Bulla *Quod a nobis*, cujus textus invenitur in procemio breviarii.

(2) Bulla *Divino afflatu*, apud *Collat. Brugen.*, XVII, p. 46.

(3) P. Quarti, *Rubricæ Missalis Romani*, pars 1, t. 2, dub. 2, Romæ, 1655.

(4) Controversiam lucide expositam vide apud O. E. Dignant, *Tract. de virtute religionis*, n. 86 ss., Brugis, 19212.

*recitaverit* ex breviario romano, practice non jam tenetur impositum officium recitare. Inter rationes ab auctoribus ad hoc probandum allatas illam præferimus, quæ dicit non præsumendum esse Ecclesiam velle aliquem uno die bis ad opus illud obligare (1). Practica hæc regula legitime etiam applicatur ubi error non fuit nisi circa partem sibi consistentem, ut circa unam Horam, vel ubi error detegitur post partem notabilem alicujus Horæ ; nec tunc enim mutationis momentum tantum est (2).

Quodsi error ante absolutum officium detegatur, concedentibus plerisque, licitum erit vel inceptum officium prosequi vel cetera de officio injuncto recitare ; ut enim aiunt, quidquid agas, difformitas aderit sive officii ex duobus conflati sive officii non permissi. Cum tamen officium sit oratio liturgica seu munus orantis et ordinantis Ecclesiæ, magis s. Liturgiæ consentaneum ducimus assumere impositum officium, « quia minus malum est mutare partem officii quam totum, præsertim quia mutatio in reliquis horis esset voluntaria,... nec obstat diversitas prædictarum partium, ex quibus non videtur integrari posse unicum officium : quia salvatur connexio quoad substantiam, quæ consistit in hoc ut recitentur septem horæ in breviario romano non ex alio, et deformitas est accidentalis excusabilis per inadvertentiam quoad partes jam recitatas ; et hoc minus malum videtur quam omnino recedere ab ordine calendarii » (3). Excipe tamen casum quo notabiliter processisti in recitatione alicujus horæ, quam tunc melius eodem ritu absolvas.

Compensationem faciendam in casu brevioris officii recitati pauci auctores olim ut obligatoriam urgebant ; nunc post psalterium reformatum *practice* mutatio in

---

(1) *Ibidem*, n. 90.

(2) Nullatenus autem probamus principium « hora pro hora » ita intellectum ut v. g. a recitanda Nona excusetur qui inadvertenter bis Sextam dixit ; hoc modo evidenter textura officii pessumdatur.

(3) QUARTI, *o. c.*, pars 1, t. 6, dub. 3.

notabiliter brevius officium non continget nisi ubi pro officio festi officium feriale recitatur. Quo casu præsumimus Ecclesiam optare recitationem lectionum secundi et tertii nocturni, np. vitæ sancti vel explanationis mysterii et homiliæ festi ; ob auctorum sententiam non audemus tamen illam compensationem ut obligatoriam proponere. Ceteræ compensationes, v. g. antiphonarum propriarum, non videmus quomodo prosint nisi ad privatam devotionem alendam.

Solemnis dein est inter theologos quæstio utrum, si recitaveris officium de sancto nondum occurrente, possis, cum ille occurrerit, recitare officium sancti omissi. Plures optimæ notæ theologi hanc inversionem permittunt, quorum sententiam s. Alphonsus haud improbabilem dicit (1). Eam tamen rejiciendam censemus ut rubricarum litteræ et spiritui obstantem ; apposite notat Quarti (2) : « Quamvis non peccaverit sacerdos propria die, excusante illum inadvertentia invincibili, nihilominus peccaret recitando postea de illo sancto extra proprium diem. Probatur... a priori quia fieri non potest cujusvis festi translatio quoad officium et missam, nisi secundum regulas missalis et breviarii et in casibus ibidem expressis ; sed de hoc casu nulla prorsus fit mentio in missali vel breviario ».

Si autem officium inadvertenter recitatum est ex alio breviario, solutio non ita facilis apparet. Si diversitas officii et ritus non valde notabilis est, ut est v. g. generatim pro officio benedictinorum, opinamur non esse repetendum, non autem quasi obligationis substantia, recitatio cujusvis officii probati, fuerit observata, ut dicit Billuart (3), sed quia condonatio Ecclesiæ præsumi potest cum diversitas non tanta sit et nullam culpam adesse supponatur.

---

(1) S. Alphonsus, *Theologia moralis*, lib. 4, c. 2, n. 158.
(2) P. Quarti, *l. c.*
(3) Billuart, *De horis canonicis*, § 5.

2/ *Si quis caret officio dicendo vel parte ejus, nec absque proportionato incommodo sibi procurare potest*, licite supplet ex breviario romano, puta legendo de communi aut de alia Dominica vel alio quo meliori potest modo (1). Tunc imo pro quanto supplere potest, etiam supplere debet. Deducuntur hæc e distinctione supra allata inter obligationem substantialem ad breviarium romanum et accidentalem ad officium calendarii proprii ; secundæ obligationi ex hypothesi adæquate satisfieri nequit, prima tamen obligatio conscientiam adhuc onerat indeque officium integrum recitandum imponit. Ita qui completorium feriale præ manibus non habet, si quoad substantiam completorium dominicale memoriter tenet, hoc recitare potest et debet.

Si autem quis non tantum officio recitando sed et ipso breviario careat, eadem redit regula si quædam memoria retinet (2). « Si casus ita ponatur ut revera sit in potestate hominis dicere totum officium absque libro, saltem quoad substantiam ejus, non video cur non sit in eo casu obligandus... Imo, licet non posset omnes horas dicere, si tamen posset aliquas vel aliquam recitare, deberet illam dicere, dummodo integram dicere possit... ; neque obligatur aliquis ad dicendum psalmos aut orationes aut partes horarum, quia illæ, ut sic, non sunt horæ canonicæ, neque officium divinum, ad quod tantum recitandum clericus obligatur » (3).

---

(1) « Lectiones reformatæ ex integro vel ex parte et alia hujusmodi inseri quidem debent novis breviariis sed non obligant eos qui, juxta breviarum quod habent, officium recitant » ; ita GÉNICOT-SALSMANS, *Theol. mor.*, II, n. 50, arguentes ex decreto S. R. C., 14 dec. 1883.

(2) Non dicendum est cum SOTO, *De justitia*, l. 10, q. 5, a. 3, hoc esse accidentarium quod horæ memoria teneantur indeque obligationem recitandi non adesse ; scite respondet SUAREZ, *De virtute et statu religionis*, tr. 4, l. 4, c. 28, n. 10 : « Neque præceptum obligat ad recitandum per librum, neque requirit, ut conditionem necessariam, potestatem dicendi per librum ».

(3) SUAREZ, *l. c.* ; cfr DIGNANT, *o. c.*, n. 119. Non assentiendum putamus illis theologis, qui potius mathematice quam liturgice hac in re procedunt et cum s. ALPHONSO, *l. c.*, statuunt : « Si potes recitare

Quoad breviarium a romano diversum non ita dicendum est ; ex verbis citatis s. Pii V et Pii X apparet sacerdotes sæculares alio breviario satisfacere non posse, et proinde nec supplere debere ubi copiam breviarii sui non habent (1) ; excipe si officium sit fere identicum aut si, juvante memoria, quædam hora vel horæ breviarii romani recitari possint.

3/ *Si præsto sit rationabilis et mutationi proportionata causa*, mutationem deliberatam generatim concedunt auctores, dummodo fiat ad aliud officium ex eodem breviario romano. Raro tamen, ni fallimur, ratio talis aderit et fatendum est in his nimis indulsisse quosdam theologos a genuino liturgico sensu aberrantes. Ita dicunt multi sufficere devotionem specialem erga aliquem sanctum ; sed ista causa rationabilis minime videtur, nonne « sanctis magis grata est exacta observatio ritus et ordinis ecclesiastici, quam cultus inordinatus et contra rubricas et ecclesiæ regulas ? » (2). Verum, « licet permutatio ut recites cum socio aliud officium habente *et* tuo auxilio aliqualiter indigente ; at non sufficit sola ratio societatis, contra ac censuit s. Alphonsus ; imo nec sufficit occasio participandi cantum officii, puta Vesperarum, ut colligitur ex decreto S. R. C. 27 Jan. 1899 » (3).

Unde solvitur sequens casus : *Benedictus sacerdos 1/ cum festum s. Benedicti hoc anno in Dominica Palmarum occurrat, ex speciali devotione erga patronum suum officium s. Benedicti usque ad Vesperas recitat ; 2/ tendit ad monasterium benedictinorum, ubi Vesperarum Dominicæ cantum*

---

quantum est parva hora, teneris sub gravi eam dicere ; si vero minus, ne sub veniali quidem aliquid recitare obligaris ». Revera parva hora sub gravi imponitur, at non *primario* quia tanta est ejus materia, sed præsertim quia aliqua pars substantialis est officii divini.

(1) Ita Dignant, *o. c.*, n. 83 ; Bouquillon, *De virt. rel.*, n. 245, et plerique moderni.

(2) Quarti, *l. c.*

(3) Dignant, *o. c.*, n. 89.

*participat ; 3/ breviarium ibi oblitus nec aliud præ manibus habens, se a completorio excusatum putat.*

Ad 1/ sententiam extrinsece probabilem secutus est Benedictus, sed nobis irrationabilis prorsus videtur ita exercita devotio specialis ; pessumdatur enim anni ecclesiastici distributio et ordinatio in aliquo officio quod peculiari modo urget Ecclesia ;

ad 2/ si bona fide ita egit, non videtur inquietandus cum officium non sit valde notabiliter diversum ; deliberate ita agere non licet ;

ad 3/ videndum est utrum necne Benedictus potuerit memoriter recitare completorium dominicale aut alius diei quoad substantiam ; quod si potuit, perperam judicavit se esse excusatum ; si autem nequibat, nihil jam dicere debebat.

M. De Jonghe.

## V.

## De Kerk van Belgie onder het hollandsch bewind.

### X. Het Concordaat van 1827.

V. *Geef een bondig overzicht der omstandigheden en onderhandelingen die leidden tot het concordaat van 1827 tusschen paus Leo XII en koning Willem.*

A. Tijdens de vele moeilijkheden, die onze katholieke landgenooten beleefden in de eerste jaren van het hollandsch bewind, had de H. Stoel meer dan eens den wensch uitgedrukt, om door een concordaat aan de ontredderde Kerk der Nederlanden een bestendige en gelijke regeling te geven (1). Er waren daartoe redens te over : Noord-Nederland was nog immer een missieland, van uit Munster door een afgevaardigde der Propaganda bestuurd ; in Belgie was nog wel, volgens een uitdruk-

(1) Namelijk tijdens de moeilijkheden betreffende den eed en de benoeming van Mgr de Méan. Zie *Collat. Brugen.*, XXV, p. 212.

kelijke verklaring van den H. Stoel, het concordaat van 1801 van kracht, doch deze overeenkomst was in zijn geheel niet meer toepasselijk aan den nieuwen toestand, namelijk in een heel belangrijk punt : de benoeming der bisschoppen. Het was immers voorzien dat het voorrecht aan Napoleon geschonken slechts voor zijn katholieke opvolgers geldig bleef.

Doch de nederlandsche regeering scheen vooreerst niet te willen ingaan op den vurigen wensch der katholieke bevolking. Koning Willem immers hoopte wel het voorrecht der bisschopsbenoemingen zonder concordaat te veroveren, en werkelijk had hij reeds door zijn aandringen bij den H. Stoel den prins de Méan te Mechelen benoemd gekregen. Ook de ministers en de raadgevers van de kroon waren voor het sluiten van een concordaat niet gunstig gestemd ; zij vreesden dat dit voornamelijk zou zijn in het belang van den paus en de geestelijkheid (1).

Intusschen treurde de katholieke bevolking over het gemis aan bisschoppen. Doornik verloor zijn herder in 1819, Gent in 1821, de zetel van Luik stond reeds sedert 1808 open ; in het noorden was er zelfs geen wijbisschop. De meer dan tachtigjarige bisschop van Namen en de zwakke aartsbisschop van Mechelen konden onmogelijk alleen den last dragen van het toedienen der H. Wijdingen en van het H. Vormsel (2).

De regeering begon dan eindelijk ook in te zien dat dergelijke toestand niet kon blijven voortduren, zij zocht zelf aansluiting met Rome. Een concept-concordaat, reeds in 1817 door Goubeau opgesteld (3), werd in 1822

---

(1) Zie ALBERS, *t. a. pl.*, bl. 52 vlg. vooral de aanmerkingen van de ministers op het project-concordaat van Goubeau, bl. 60.

(2) TERLINDEN, *o. c.*, t. I, p. 262 ss.

(3) Zie dit project bij Terlinden, *o. c.*, p. 271. Goubeau hoopte met zijn concordaat zijn josephistische opvattingen te doen doorgaan. De koning zou de bisschoppen noemen, de paus moest ze goedkeuren binnen het jaar, zooniet zou de *institutio canonica* door den aartsbisschop of den oudsten bisschop geschieden. Alle dispensaties zouden

door den nederlandschen gezant te Rome, Reinhold, zonder eenige voorbereiding, aan card. Consalvi, den staatssekretaris, aangeboden. Deze handelwijze was, op zijn minst genomen, zeer ongewoon ; ook vlotte de bespreking niet. De H. Stoel wilde den opgedrongen tekst, die klaarblijkelijk voor doel had de Kerk in de nederlanden aan den Staat te onderwerpen, niet aannemen ; en stelde zelf voor den zetel der onderhandelingen naar hier over te brengen. Koning Willem aanvaardde dit voorstel en van weerskanten werden gevolmachtigden aangesteld (1).

De afgevaardigde van den H. Stoel was Mgr Nasalli, nuntius in Zwitserland ; hij kwam te Brussel aan, op 26 aug. 1823, voorzien van wijze en uitgebreide instructies door den staatssekretaris Consalvi opgemaakt (2). Wegens den dood van paus Pius VII en de verkiezing van Leo XII, konnen echter de onderhandelingen eerst in november beginnen. Enkele meer onschuldige artikelen werden gereedelijk van weerskanten aangenomen ; doch na korten tijd ontstond ernstig verschil over den eisch der nederlandsche regeering, dat de koning de bisschoppen zou benoemen. De koning echter zag weldra in dat hij van dezen eisch moest afzien ; maar hield dan ook des te meer aan een recht van recommandatie. Dit werd door Mgr Nasalli beantwoord met het doen van het voorstel, dat de kapittels de bisschopskeuze zouden doen. De regeering verlangde ook het recht van agreatie der voor-

---

door de bisschoppen gegeven worden. — Omtrent de verdeeling van het grondgebied, stelt Goubeau voor dat het rijk acht diocesen zou bevatten waaronder nl. dit van Brugge voor de provinciën West-Vlaanderen en Zeeland.

(1) TERLINDEN, *o. c.*, p. 280 s.

(2) *Ibid.*, p. 272-301. Deze instructies door Terlinden eerst openbaar gemaakt zijn heel belangrijk ; zij bewijzen dat de H. Stoel goed op de hoogte was der kerkelijke toestanden hier te lande. Onder de vooraanstaande personen bij wie Mgr Nasalli raad kon vragen, worden door Consalvi aangewezen : Goethals vicaris capitularis en Boussen secretaris van het vikariaat te Gent.

name geestelijken en der professoren van seminariën en weigerde de bisschoppen met vaste goederen te doteeren ; zij weigerde eveneens het kerkelijk huwelijk aan het burgerlijke te laten voorafgaan en de briefwisseling der geestelijkheid met Rome van alle toezicht te ontslaan door opheffing van het placet. Na een schorsing in het voorjaar van 1824, werden de onderhandelingen in april hervat, maar ook nu kwam men niet verder, zoodat de nederlandsche regeering, de zaak opgevend, in september voorstelde het concordaat van 1801, in het zuiden te behouden en voorloopig ook op het noorden toepasselijk te maken; en verder alleen de benoeming der bisschoppen te regelen (1).

De H. Stoel echter koesterde wantrouwen tegen dit voorstel en vreesde terecht dat de nederlandsche regeering veel meer de *articles organiques* van Napoleon, dan het concordaat op het oog had. Beter was het dan ook den *statu quo* te behouden en betere tijden af te wachten ; Mgr Nasalli werd naar Rome teruggeroepen en op 24 april 1825 liet de Paus aan de nederlandsche regeering weten dat aan hare vraag geen voldoening kon gegeven worden, maar dat de H. Stoel bereid bleef om te Rome zelf onderhandelingen te voeren.

De poging tot sluiting van een concordaat was aldus mislukt. Het bracht de regeering niet tot bezinning, maar scheen voor haar veeleer een spoorslag te zijn, om nog sneller voort te hollen op den verkeerden weg. De drie volgende jaren zijn door noodlottige maatregelen gekenmerkt, inzonderheid door de oprichting van het onzalig collegium philosophicum (2).

Maar juist dit boosaardig geterg schudde de nederland-

---

(1) Zie de gansche bespreking bij TERLINDEN, *o. c.*, p. 304-351, en bij ALBERS, *t. a. pl.*, bl. 63-74.

(2) Zie hooger bl. 80. Het was ook in dezen tijd dat de regeering een plan maakte om zelf de katholieke Kerk der Nederlanden, zonder tusschenkomst van den paus te organiseeren, Het bleef echter bij een plan.

sche katholieken hoe langer hoe meer wakker en verplichtte ten laatste koning Willem zelf naar middelen uit te zien om de onderhandelingen over het concordaat weder op te vatten (1). Allerlei toegevingen van wege den koning, einde 1825 en in den loop van 1826, toonen duidelijk dat hij toenadering zocht met den H. Stoel; hij liet de pauzelijk bul over het uitgeschreven jubeljaar, die hier te lande aanvankelijk niet was afgekondigd, thans toe; hij ontsloeg den heftigen Goubeau en voegde zijn departement bij dat van binnenlandsche zaken onder den meer gematigden Van Gobbelschroy, hij gaf persoonlijk 20000 florijnen voor de restauratie van de St Pieterskerk te Rome en verving eindelijk (sept. 1826) den liberalen Reinhold door de Celles als buitengewoon en gevolmachtigd ambassadeur te Rome tot het voeren van nieuwe onderhandelingen (2).

Aan graaf de Visscher de Celles, den nederlandsche afgevaardigde, is in groote mate het welgelukken der onderhandelingen te danken. Hij had zich zelf aangeboden om ter gelegenheid eener reis naar Rome voor persoonlijke aangelegenheden, aansluiting met den H. Stoel te zoeken; hij gelukte erin zoowel bij den Paus als bij den koning een goede stemming te verwekken en de vurige begeerte een einde te stellen aan den ingewikkelden toestand der Kerk in de Nederlanden. Toen hij eindelijk aangesteld werd om officieel de besprekingen te beginnen, zal hij, niettegenstaande de tegenkanting der gewone raadgevers van den koning, niet meer

(1) Het verloop dezer nieuwe onderhandelingen wordt zeer volledig en nauwkeurig verhaald volgens de romeinsche bronnen, bij TERLINDEN, *o. c.*, t. II, *Le Concordat* (1826-1830).

(2) Het blijkt uit de instructies, aan de Celles medegegeven, dat de nederlandsche regeering meest al hare vroegere eischen hield staan; zij was echter van taktiek veranderd. « Au lieu d'imposer brutalement leurs présentions, ils allaient essayer de circonvenir le Saint-Siège et d'obtenir des concessions, qui constitueraient entre les mains du gouvernement une arme terrible permettant de briser à jamais la résistance du clergé et des catholiques ». TERLINDEN, *o. c.*, p. 54.

loslaten vooraleer hij. wat hij thans zijn werk noemde, tot een goed einde had gebracht (1).

Zijn Heiligheid had tot afgevaardigden benoemd kardinaal Capelari, prefekt van de Propaganda, en Mgr Capaccini, den later internuntius in de Nederlanden. De besprekingen begonnen op 2 jan. 1827 ; zij werden in den beginne bemoeilijkt, door de houding der regeering in zake onderwijs, die Rome natuurlijk niet kon goedkeuren ; wij zagen hooger hoe door de facultatiefstelling van het collegium philosophicum de moeilijkheid vereffend werd (2). Ook op de anderen eischen der nederlandsche regeering moest veel afgedongen worden ; graaf de Celles toonde zich inschikkelijk en wist met den steun van zijn vriend van Gobbelschroy den koning te overhalen.

Zoo kwam men, reeds in juni 1825 tot eene voor de katholieke Kerk zeer voldoende overeenkomst, die gedeeltelijk door pauselijke brieven, gedeeltelijk door een concordaat en medegaande pauselijke bul zouden uitgevoerd worden. Deze overeenkomst komt hier op neer :

Het concordaat van 1801, zonder de organieke artikelen, zal op de noorderlijke provinciën worden toegepast. Mechelen zal de metropolitane kerk zijn,de suffragane Luik, Namen, Doornik, Gent en de drie volgende, die zullen worden opgericht : Brugge (3), Amsterdam en 's Hertogenbosch. De bisschoppen, de kapittels der kathedrale kerken en de verdere geestelijkheid zullen een vast inkomen genieten. De bisschop zal de generaal-vicarissen

---

(1) *Zie ibid.*, p. 55 het oordeel van Mgr Van Bommel over de Celles : « Connaissant l'ambition extrême de ce personnage, nous sommes bien persuadés que si le St Siège tient ferme, il ne s'est jamais trouvé dans une position plus propice à nos affaires religieuses. M. le comte de Celles.... ne peut revenir *re infecta* et finira par souscrire à toutes les clauses qu'on jugera utiles et nécessaires ».

(2) *Collat. Brugen.*, XXV, p. 161 vlg.

(3) Het was nu echter beslist dat het bisdom Brugge enkel West-Vlaanderen zou bevatten (Zie ALBERS, *t. a. pl.*, Bijlage XXIV).

benoemen en de lagere geestelijkheid. De volmaakte regeling der kapittels geschiedt door Apostolische brieven. Bij de keuze der bisschoppen zal de koning het *veto* hebben, dit wil zeggen : hij zal de kandidaten, die hem niet aangenaam zijn, van de lijst, door het kapittel aangeboden, schrappen, zoo nochtans, dat er een voldoend getal voor de keuze overblijft. De Paus zal een breve tot de bisschoppen richten, waarin hij de kapittels verzoekt, dat zij, zoo mogelijk, bij de keuze den wensch des konings in aanmerking nemen. De bisschop en ook de geestelijken der tweede orde zullen den koning den eed van getrouwheid zweren. Het collegium philosophicum zal door een koninklijk besluit facultatief worden gesteld ; en daarom zal men in de seminariën niet alleen de godgeleerdheid, maar ook de wijsbegeerte kunnen onderwijzen « et autres connaissances élémentaires, qui mènent à l'étude des sciences ecclésiastiques » (1).

De officieele stukken, waarin deze bepalingen bevat waren, werden te Rome door de volmachthebbenden onderteekend op 18 juni 1827 ze werden door den koning goedgekeurd op 25 juli. De Paus achtte zich daarop gerechtigd de gesloten overeenkomst aan de katholieke wereld bekend te maken door de bulle *Quod jamdiu* van 17 aug. (2). De nederlandsche regeering zette er zulk geen haast bij ; het was eerst op 2 oct. dat het concordaat door koninklijk besluit in het staatsblad afgekondigd werd en dan nog, niettegenstaande het protest van den H. Stoel, met het placet en onder voorbehoud der onschendbaarheid van 's rijks wetten. De koning had zich niet volledig kunnen losmaken van de onverzettelijke vijanden der Kerk. Dit zal nog meer blijken uit onze volgende verhandeling, waarin we te verhalen hebben hoe de werkelijke uitvoering van het concordaat uitgesteld bleef, tot dat het eindelijk te laat was.

R. Deschepper.

---

(1) *Ibid.*, bl. 198.
(2) *Ibid.*. bl. 534 ; Terlinden, *o. c.* (Annexe), p. 448.

## VI.

### De bireto.

Q. *Breviter exposita bireti origine, determina regulas quæ usum ejus moderantur.*

Q. I. **Origo et evolutio** (1). Jam in præcedentibus responsis vidimus amictum a sæc. X sæpius fuisse impositum capiti (2) et cappam — quæ primitus videtur designasse capitis tegumentum — usque ad sæc. XIII generatim fuisse munitam caputio (3). Hoc autem evanescit eo tempore quo cœpit et invaluit usus specialis capitis tegumenti quod a s. XII et maxime XIII sæpe occurrit, sub nomine *pilei*, *pileoli* et mox etiam *bireti*. Eo utebantur clerici tum in vita ordinaria tum ad officium canonicum. « Cantores caput pileis ornant » scribit medio sæc. XII Honorius Augustodunensis. Et a sæculo subsequenti invalescit bireti usus, qui communis fit s. XIV, ut apparet ex multis textibus et monumentis, notatim lapidibus sepulchralibus.

Ex his elucet etiam evolutio **formæ**. A forma rotunda, flexibili, quæ capiti penitus aptaretur, biretum per successivas mutationes — sicut olim mitra — evasit capitis tegumentum rigidum, formæ omnino peculiaris et conventionalis. Interdum in media summitate instructum erat clavo (bouton) vel flocco (floche). Decursu sæc XIV et XV pedetentim sed moderate crescit altitudo, et forma rotunda versus partem superiorem paulo latior evadit. A sæc. præsertim XVI, adjici solent tres vel quatuor api-

---

(1) Cfr Braun, S. J. *Die liturgische Gewandung*, Freiburg, 1907, p. 510-14 ; Fr. Bock, *Geschichte der liturgischen Gewänder der Mittelalters*, Bonn, 1866, II, 342-50 ; H. Thurston, *The catholic Encyclop.*, vo *Biretta* ; Claude de Vert, *Explication des cérémonies*, Paris, 1708, t. II, p. 242-263.

(2) *Collat. Brugen.*, XXV, p. 304.

(3) *Ibid.*, XXVI, p 166,

ces — quæ cornua vocantur (1) — unde formam assumit quadratam et dicitur « ad formam crucis confectum », ut ait synodus Mechliniensis a 1607. Tandem loco flexibilis panni quo interius erat munitum, inserta est spissior carta (carton) rigida : et ita habemus formam hodiernam. Sæculo tamen XVIII interdum ita est elatum ut altitudine videretur cum mitra velle contendere.

II. — **Usus bireti.** Gerere caput nudum apud christianos Occidentales semper habitum fuit ut omnino decens viris, maxime in solemniis, ut signum reverentiæ erga Deum vel superiores. Unde videmus in decursu historiæ usum tegumenti capitis eo magis prohiberi quo majorem reverentiam exigit officium ; et eo facilius concedi quo major est dignitas illius qui tiaram, mitram vel biretum portat.

Notissimus est locus s. Pauli I Cor., XI, 4, de capite velando vel non. Primi christiani, teste Tertulliano (Apolog., 30) orabant « capite nudato ». Pseudo-Alcuinus, (De divinis offic., 38) dicit sæc. XI non esse « moris ut pileati divina mysteria celebrent ». Card. Ottobonus in Anglia 1268 jubet ut clerici stent nudo capite in ecclesia et coram superioribus. A qua regula exempti sunt doctores universitatum quibus biretum concedebatur ut insigne doctoratus. Quando autem biretum omnibus clericis universim fuit concessum, distinctio inducta est coloris, qui statutus est pro cardinalibus rubeus, pro episcopio violaceus, pro aliis niger.

Juxta hodiernam disciplinam, generali regula (2) :

A/ — **Biretum assumitur :**

1) dum *sedetur*, in officio, in missa, in alia functione

---

(1) Quum solerent tribus digitis biretum in summitate assumere paulatim inter digitos nati sunt in lana tres apices quos postea ex professo reddiderunt rigidiores. Tres apices servati fuerunt in Italia : unde hodiedum biretum liturgicum habet tantum tria cornua. Alibi vero biretum perfecerunt « in formam crucis », quæ servata est in bireto doctorum.

(2) Cfr C. Callewaert, *Cæremoniale*, Brugis, 1922, n. 27-29.

(non exposito SS. Sacramento) ; sed quoties caput est inclinandum, biretum est auferendum (D. 2684, 13).

2) Dum *acceditur* ad aliquam functionem, aut ab ea *receditur*, v. g. ante et post missam (*Rit. celebr.* II, 1, 2 ; XII, 6) ; aut *transitur* ab una functione ad aliam, puta in accedendo post missam ad faciendam absolutionem ad feretrum (1), in delatione cadaveris ad ecclesiam, aut ad sepulchrum, et in reditu ad ecclesiam (2) ; aut sabbato sancto post prophe ias in adeundo fonte baptismali.

3) In *processionibus*, ii omnes qui deferunt reliquias vel imagines sanctorum, vel hastas baldachini semper procedere debent nudo capite (3), ceteri vero caput tegunt bireto quando non defertur SS. Sacramentum vel Lignum S. Crucis aut reliquia Passionis (D. 1841, 1).

Nota tamen solos celebrantem et ministros *paratos* (4) posse capite cooperto procedere *in ecclesia* (D. 2184, 3), ceteros posse tantum caput cooperire *extra ecclesiam*.

B/ — **Biretum prohibetur** :

1) semper et omnibus, etiam in sedendo, *coram SS. Sacramento exposito* : in ostensorio nempe, in pyxide, aut in calice in Cœna Domini, vel ad elevationem in missa, ad distributionem S. Communionis, ad benedictionem aut delationem Sanctissimi.

Si Sanctissimum sit expositum sed sub velo, concionator non potest caput tegere (D. 2769, 2) ; qui in choro sedent, laudabiliter sedent nudo capite (D. 2552, 1).

2) Dum quis in choro aut in actuali ministerio *stat* aut *adgeniculatur* (DD. 1891 ; 2027, 7 ; 2895 ; 3580) : ergo dum fit absolutio pro defunctis, aut elatio cadaveris in

---

(1) Cfr *Collat. Brugen.*, IV, p. 64 ; x, p. 675. Non ita dum transitur ab altari ad scamnum, ad *Gloria* (D. 1563, 1) : non est transitus ab una functione ad aliam.

(2) Cfr C. Callewaert, *Cæremoniale*, n. 249, nota 7.

(3) DD. 1352 ; 918, 1 ; 1043 ; 1800 ; 1841, 1.

(4) « Parati » dicuntur qui casulam, dalmaticam, tunicellam, manipulum, pluviale aut saltem stolam gerunt.

domo, aut peragitur cæremonia ad sepulchrum, vel fit statio in processione, caput est detegendum. Pro administrandis sacramentis, Rituale nullibi requirit biretum ; sed auctores suadent ut sacerdos in tribunali pœnitentiæ biretum assumat saltem dum absolvit (in signum potestatis judicialis quam exercet), modo illud auferat dum orat ad *Misereatur* et *Passio Domini*.

3) Ad quamvis *inclinationem aut genuflexionem* biretum auferre oportet (DD. 1563, 1 ; 2684, 13) nisi quis sit impeditus. Ita celebrans deferens calicem caput discooperire non debet ad inclinationem aut simplicem genuflexionem, sed tantummodo quando utrumque genu flectit (1). Item ad se signandum caput detegere convenit.

4) Crucifer (etiamsi sit subdiaconus paratus), ministri inferiores, dirigentes processionem, semper procedunt nudo capite, ne sese cooperiendo aut discooperiendo impediantur in suo ministerio.

C. Callewaert.

(1) Statim ac quis capite cooperto venit in conspectu SS. Sacramenti expositi, biretum auferre debet et manere capite discooperto quamdiu est in præsentia Sanctissimi. Nonnulli auctores idem præscribunt celebranti calicem deferenti. Quum tamen rubrica hunc habeat ut impeditum et ab eo capitis denudationem requirit tantum in extremis, h. e. in solo casu genuflexionis duplicis, censemus conformius esse rubricis et facilius, ut celebrans in casu habeat caput tantummodo discoopertum dum est genuflexus utroque genu.

# De synodo diœcesana.

Quo de natura synodi diœcesanæ apud nos proxime celebrandæ omnes penitiorem intellectum habeant, non absque re erit quædam tum canonica tum historica de hac institutione ecclesiastica compendiose referre.

Quapropter præmissis quibusdam magis generalibus, brevi agemus : 1) de convocatione synodi, 2) de negotiis in illa tractandis, 3) de celebratione synodi et 4) de competentia et statutis synodi diœcesanæ (1).

1° Synodus diœcesana *definiri* potest legitima congregatio ab episcopo coacta ex presbyteris et clericis sibi subditis aliisve, qui ad eam accedere tenentur, in qua de iis tantum agendum est, quæ ad particulares cleri populique diœcesis necessitates vel utilitates referuntur (can. 356, § 1).

2° Quod *tempus convocationis* spectat, distingui debet inter disciplinam quæ vigebat ante promulgationem novi codicis et eam aliam quæ per illum codicem fuit introducta.

*a/ Antiquitus* a quinto jam sæculo synodus diœcesana bis in anno celebranda erat ; in praxi tamen semel dumtaxat in anno cogi cœpit, eumque usum probavit ac in legem communem constituit conc. lateranense IV (a. 1215) sub Innocentio III habitum. Hanc eamdem disciplinam sanxit conc. tridentinum, simul modum celebrandi synodum ejusdemque competentiam pressius definiendo. Quæ legislatio et ipsa, contraria consuetudine, sciente et non reclamante s. Sede nonnihil emollita et temperata fuit, quin tamen unquam ex integro abrogata fuerit.

---

(1) Cfr pro tota hac materia : A. De Meester, *Compendium juris canonici*, t. II, p. 171 ; Claeys-Bouuaert-Simenon, *Manuale juris canonici*, p. 255 ; Claeys-Bouuaert, *De canonica cleri sæcularis obedientia*, p. 81 ; Bouix, *Tractatus de episcopis et synodo diœcesana*, Parisiis, 1859 ; Benedictus XIV, *De synodo diœcesana* ; Pistocchi, *De synodo diœcesana*, Augustæ Taurinorum, 1922 ; Wernz-Vidal, *Jus canonicum*, t. II, Romæ, 1923, e quibus pleraque hic relata desumpta sunt.

Quod disciplinam spectat, qualis in Belgio obtinuit, a longo jam tempore variis de causis habitæ non sunt synodi, excepta synodo leodiensi a, 1851, mechliniensi a. 1872 et tornacensi a 1899. His autem aliquo modo supplebatur per *Congregationes decanorum* (Congregationes prosynodales), quæ singulis annis celebrabantur, postquam ipsi decani suos parochos apud se congregaverint ; per *exercitia spiritualia*, quibus scopus synodi, quoad ea quæ spectant ad cleri reformationem ejusque zeli pastoralis et ecclesiastici spiritus renovationem, abunde obtineri potest ; deinde per *collatione* seu *conferentias*, quibus studia foventur (1).

*b/ Codex* vero votis et postulatis episcoporum occasione concilii vaticani jam propositis obsecundans disciplinam utilissimam synodi diœcesanæ instauravit et lege generali præcepit ut hæc in *singulis* diœcesibus celebraretur *decimo saltem quoque anno*. Statuit tamen licentiam pro episcopo qui plures diœceses administrandas habet, unam tantum diœcesanam synodum ex omnibus simul diœcesibus celebrandi (can. 356).

1. — **De convocatione synodi diœcesanæ.**

Primum exponimus : 1/ cuinam in genere et 2/ cuinam in specie jus synodum convocandi competat ; 3/ quinam ad eam convocari debeant et quinam possint ; 4/ tandem quænam forma in ejusdem convocatione servanda sit.

1/ *Jus illam convocandi* eique præsidendi, ex ipsa synodi natura, competit *episcopo residentiali*, illi nempe qui propriam ecclesiam habet, seu cuidam diœcesi præest quoad curam animarum et regimen ecclesiasticum ; nam celebratio synodi intrinsece pertinet ad curam pastoralem diœcesis, quæ apud episcopum residet. Si vero episcopus personaliter impediatur, synodum celebrare potest, imo debet per procuratorem, aut Vicarium suum ad hoc speciali mandato munitum (can. 356).

2/ Quod ulteriorem determinationem spectat, jus illud in specie competit *a/* tum *episcopo residentiali* etiam non-

(1) Cfr A. De Meester, *o. c.*, p. 171.

dum consecrato, postquam tamen, obtentis et exhibitis bullis provisionis, ecclesiæ suæ possessionem cepit ; tum *archiepiscopo*, etiam ante pallii receptionem ; *b/ vicario generali*, si speciale ad hoc mandatum ab episcopo receperit ; non autem *vicario capitulari* ; *c/ vicario et præfecto apostolico*, qui tamen obnoxii non sunt præscriptioni de tempore celebrationis ; *d/ administratori apostolico*, modo permanenter sit constitutus ; *e/ abbati vel prælato nullius*, modo in abbatia seu prælatura adsint tres ad minimum parœciæ.

3/ Quod autem *membra synodi* spectat, alii ipso juris præscripto vocari *debent*, alii vero arbitrio episcopi vocari *possunt* :

*A/ Vocari quidem debent* :

1° — *E clero sæculari* :

*a*) *Vicarius generalis*. Cum enim in iis quæ jurisdictionis sunt, una censeatur persona cum episcopo, convenientissime, locum habet in synodalibus collationibus.

*b*) *Canonici ecclesiæ cathedralis*, aut, his deficientibus, consultores diœcesani. Hi enim « senatum » episcopi constituunt.

*c*) *Rector seminarii saltem majoris*. Hoc jus eidem merito conferri patet ex eo quod in hujusmodi seminariis instituuntur, quos episcopus in administranda diœcesi et in procuranda salute populi cooperatores habebit.

*d*) *Vicarii foranei seu decani*. Hi inter eos, qui curam animarum gerunt jure primo loco vocantur utpote a quibus tamquam a testibus ocularibus episcopus cognoscere poterit statum rerum, etiam in remotis diœcesis partibus obtinentem.

*e*) *Parochi civitatis in qua synodus celebratur* et *deputatus* uniuscujusque *collegialis ecclesiæ* a capitulo ejusdem ecclesiæ e gremio eligendus.

*f*) *Unus* saltem *parochus ex unoquoque decanatu*, eligendus ab omnibus, qui curam animarum actu inibi habent. Synodus enim est congregatio diœcesana, quæ clerum totius diœcesis vere repræsentare debet.

2° — *E clero regulari : abbates de regimine*, i. e actualem jurisdictionem exercentes ; *unus e superioribus* cujusque *religionis clericalis*, qui in diœcesi commoratur, designatus a superiore provinciali, nisi domus provincialis sit in diœcesi et superior provincialis interesse ipse maluerit.

Quod autem hos omnes, qui de jure advocari debent, attinet, si forte impediti fuerint, episcopum de impedimento certiorem facere debent, neque mittere possunt procuratorem, qui eorum nomine synodo intersit. Negligentes potest episcopus punire etiam per censuras, nisi de exemptis agatur qui parochi non sint (can. 359).

*B/ Vocari autem possunt*, si episcopus id opportunum judicaverit, omnes superiores religiosi omnesque sacerdotes sæculares, iis tamen exceptis, qui necessarii sunt ne in parœciis animarum cura desit (can. 358, § 2).

Qui omnes ab episcopo libero arbitrio vocati sunt, nihilominus, ut videtur, *per se* saltem, stricta obligatione accedere non tenentur. Ipsi enim in ipso legis textu dicuntur *invitati ;* invitatio autem strictam obligationem non videtur inducere. *Per accidens* tamen cogi possunt, si v. g. in synodo agendum est de aliqua re eos concernenti. Hoc autem casu in ipsa convocatione obligatio accedendi, data ratione, notificanda est (1).

4/ De *forma convocationis* codex nihil statuit, at maxime conveniens est edictum publicum rite promulgatum, in quo, *tempore locoque* accurate indicatis, per clausulam generalem omnes convocantur, qui de jure intervenire synodo debent, vel loco illius clausulæ, singuli gradus clericorum indicantur, qui jubentur accedere aut sine vera obligatione dumtaxat invitantur (2).

2. — **De negotiis in synodo tractandis.**

Omnes causæ in synodo tractandæ determinandæ veniunt a fine illius instituti ecclesiastici, prouti ab ipso

(1) Cfr *ibid.*, p. 173.
(2) WERNZ-VIDAL, *o. c.*, p. 664.

jure communi describitur. Dicit autem can. 356 : « in quà congregatione de iis *tantum* agendum est quæ ad *particulares* cleri populique diœcesis necessitates vel utilitates referuntur ».

Porro a præclarissimo canonista, summo pontifice, Benedicto XIV, olim in specie indicabantur ut causæ in hac synodo pertractandæ : « *a*/ generale cleri scrutinium de vivendi ratione totius cleri, *b*/ casuum reservatio, *c*/ solutio cathedratici, *d*/ taxatio stipendii missarum, *e*/ acceptio rationum administrationis seminarii, si hæc in synodo fieri consuevit, *f*/ monitiones circa specialia capita, *g*/ statuta de regularibus, debito tamen observato modo, *h*/ approbatio examinatorum synodalium, parochorum consultorum et judicum synodalium, *i*/ designatio judicum quærelarum et excusationum quæ in synodo oriuntur, etc » (1).

Negotia autem a synodo apud nos proxime habenda longe majoris sunt ponderis, cum agatur de sedulo recognoscenda et ad tramitem novi juris corrigenda legislatione diœcesana : ideoque præcipuum munus ejusdem erit canones novi codicis juris canonici et decreta concilii mechliniensis IV particularibus cleri et populi hujus diœcesis necessitatibus et utilitatibus aptare atque applicare.

3. — **De celebratione synodi.**

Modus celebrandi synodum diœcesanam describitur in *Pontificali romano ;* codex tamen quædam particularia addit. Inter hæc, alia respiciunt ea quæ sunt facienda ante synodum, alia vero ea quæ in ipsa ejus celebratione sunt peragenda :

1/ *Facienda ante synodum : a*/ Quamvis episcopus pro jure suo possit celebrare tantum sessiones *solemnes,* in quibus, requisito consilio synodalium, decreta sua promulget, tamen ex praxi passim recepta et laudabiliter

(1) Cfr A. De Meester, *o. c.*, p. 172.

servata ac in can. 360 commendata, jam *ante* synodum celebrantur congregationes *præsynodales*, in cœtibus seu *commissionibus* ab episcopo e clero civitatis et diœcesis nominatis, quarum scopus est res in synodo tractandas parare.

*b*/ Ante synodi sessiones, episcopus omnibus qui convocati sunt et convenerunt decretorum schema tradendum curet (can. 360).

*c*/ Determinari debet locus in quo synodus celebrabitur. A jure autem indicatur ecclesia cathedralis nisi rationabilis causa alium locum suadeat. Patet autem expedire ut synodus in ipsa civitate episcopali celebretur ; quodsi certa quædam ratio obstet, alia poterit eligi civitas, quamvis utique controvertatur utrum necne hujusmodi civitatem etiam extra diœcesim eligere possit (1).

*d*/ Priusquam synodi celebratio inchoetur, ab episcopo *officiales* et *ministri* deputandi sunt : *α*/ *promotor* unus (vel duo ad arbitrium episcopi), cujus est urgere actiones synodales et curare ut omnia in synodo legitime et prompte gerantur ; *β*/ *secretarius*, ad componenda edicta aliasque scripturas ; *γ*/ *notarius*, qui acta et instrumenta authentica synodi conficiat ; *δ*/ duo saltem *magistri cæremoniarum*, quibus incumbit cura, ut ritus et cæremoniæ in omnibus actibus synodalibus accurate serventur ; *ε*/ *procurator cleri*, qui nomine omnium in synodo exponat, quæ sint cleri diœcesani vota et postulata. Quibus officialibus accedere possunt *judices querelarum et excusationum*, confessarii, concionatores, etc.

2/ *Peragenda in ipsa synodo : a*/ habentur præprimis *sessiones solemnes*, quæ nempe fiunt secundum ritum in libris liturgicis præscriptum, et quæ solæ in ecclesia locum habere debent.

*b*/ Præter has solemnes sessiones, haberi possunt etiam *congregationes generales* omnium synodalium et *commis-*

---

(1) Cfr Wernz-Vidal, *o. c.*, n. 625 ; A. De Meester, *o. c.*, p. 174.

*missiones particulares ;* quibus in commissionibus vel congregationibus apta et libera discussio prudenter permittitur (can. 361). Hæ convenientius in seminario vel palatio episcopali vel alia congrua domo coguntur.

*c/* Quoad *cæremonias* et *ritus*, standum est Pontificali romano et Cæremoniali episcoporum. Inter illas cæremonias præsertim commemoranda est professio fidei quam ex can. 1406 debet emittere præses coram synodalibus, synodales coram præside.

*d/* Quodsi ex Pontificali romano *duratio* synodi diœcesanæ ad *tres dies* videatur restricta, cum tribus diebus tres distinctæ assignentur sessiones, id non ita intelligendum est, quasi episcopus necessitate suadente non possit aliquantisper protrahere aut etiam duplici atque adeo unica sessione absolvere (1).

4. — **De competentia et statutis synodi diœcesanæ.**

1/ Cum episcopus in synodo *unicus* sit, qui jurisdictionem habeat et potestatem ferendi leges, *competentia* synodi diœcesanæ generatim non latius patet quam competentia ipsius episcopi. Quare ibidem nihil statui potest quod sit *contra jus commune*, aut contra legem particularem *a superiore* auctoritate v. g. a concilio provinciali latam. Salva peculiari facultate ergo, episcopus nequit prohibere quod jure communi aut provinciali expresse est permissum, nec vicissim permittere quod eodem jure est prohibitum ; inferior enim subjacet legi superioris. — Unde adhuc quæ a codice Ecclesiæ necnon a con. mechlin. IV statuta fuerunt et in nostris statutis transsumpta non fuerunt, plenam suam vim obligandi omnino servant.

Præterea cavendum est, ne quidquam constitutionibus synodalibus decernatur de controversiis dogmaticis vel canonicis nondum diremptis ; hujusmodi enim negotia competentiam episcopi excedunt. Nec, ut patet, quidlibet statuendum est, quod auctoritati et juribus Sedis

(1) Cfr Wernz-Vidal, *o. c.*, n. 628.

apostolicæ vel privilegiis regularium refragari possit.

In statutis ergo synodalibus condendis, hi limites omnino attendendi sunt, et insuper præ oculis habendus est ipsius synodi finis, qui, ut supra diximus, refertur ad vitia coercenda, virtutem promovendam, depravatos populi mores reformandos, ecclesiasticam disciplinam aut restaurandam aut fovendam. Condenda sunt imprimis statuta *secundum jus*, ut juris communis aut provincialis exsecutio urgeatur ; alia tamen *præter jus* accedere possunt.

Præter descripta negotia de quibus synodus statuere potest, alia sunt quæ ab ipso jure decernenda statuuntur. Ita : nominatio examinatorum (1) ac judicum synodalium (2) et parochorum consultorum (3). Dein episcopus, quantum fieri potest, in hac synodo definire debet manualem missarum stipem (can. 831) ; pariter peccata non debent reservari, nisi re in synodo discussa, aut saltem audito capitulo cathedrali et aliis prudentibus viris (can. 895).

2/ Cum *episcopus* in hac synodo sit unicus legislator ac judex, unus *subscribit* synodalibus constitutionibus (can. 368). Ceteri omnes, sive de jure vocandi sive arbitrio episcopi vocati, *votum* tantum *consultivum* habent, nisi quod ad ultimos spectat aliud expresse in invitatione caveatur (can. 358, § 2). Attamen relate ad designationem examinatorum synodalium, parochorum consultorum et

---

(1) *Examinatores synodales* sunt sacerdotes, sive sæculares, sive regulares, in synodo constituti ut episcopum adjuvent in experimentis ad provisionem parœciarum, necnon in remotione œconomica parochorum, aliisque processibus œconomicis contra clericos certorum delictorum reos.

(2) *Judices synodales* sunt presbyteri probatæ vitæ et in jure canonico periti, qui, non plures quam duodecim, ab episcopo in synodo propositi, et approbante synodo constituti sunt ut potestate *delegata* partem in judiciis habeant (can. 1574).

(3) *Porochi consultores* sunt parochi ex clero sæculari aut regulari item in synodo constituti, qui cum examinatoribus synodalibus episcopo sociantur in processibus de quibus supra ad notam (1).

judicum synodalium, votum non tantum consultivum sed *deliberativum* habent convenientes ad synodum ; præfati enim ab episcopo propositi debent a synodo *approbari*.

3/ *Statuta, ordinationes* vel *constitutiones* synodi diœcesanæ, quæ ex disciplina vigente non amplius *canones* appellari possunt, apta *methodo* et congruo *stylo* conscribenda sunt. Quod autem ordinem spectat, suadendum videtur ut egregius ille observetur, quem ipse codex secutus est. Ita enim, ex una parte, de eadem materia non tractabitur pluribus in locis diversis — quod certe incommodum haud leve pareret — et ex altera parte, facilius cum legislatione Ecclesiæ codicis conferri poterit legislatio synodi præfatum codicem ad casus particulares applicantis. Qua de causa jure merito duplicem partem habebit liber statutorum : unam de personis, alteram de rebus tractantem. Porro in illa priore parte opportune, pro singulis personarum categoriis, respectiva officia, jura ac facultates determinabuntur, secundum particulares diœcesis ordinationes. Quæ vero in aliis codicis libris reperiuntur poterunt in statutis diœcesanis prætermitti, utpote quæ pro particularibus cleri et populi necessitatibus speciatim non sunt applicanda.

4/ De *auctoritate statutorum* synodalium dicendum remanet. Obligationi statutorum, uti patet, *præsupponitur* eorumdem *promulgatio*, cujus modus relinquitur definiendus arbitrio episcopi ; practice consistit in ipsa publicatione statutorum in synodo peracta, nec ullo modo requiritur recognitio vel approbatio summi pontificis. Porro, illa promulgatione supposita, statim, id est *absque vacatione,* nisi expresse aliud ab episcopo statutum sit, obligare incipiunt. Obligant vero omnes, singulos pro materia ad ipsos spectante, qui in diœcesi domicilium vel quasi-domicilium habent, omnesque vagos dum in territorio diœcesis versantur, modo sufficientem eorum notitiam habuerint, nec speciali privilegio ab episcopi jurisdictione subtrahantur. Unde etiam religiosi, exemp-

tione eorum non obstante, diœcesanis synodi sanctionibus parere coguntur, in iis quæ respiciunt curam animarum, sacramentorum administrationem aliaque omnia in quibus subsunt jurisdictioni episcopi. Statuta vero non obligant extra territorium diœcesis, nisi eorum transgressio in proprio territorio noceat, aut evidenter sint leges personales.

Synodales constitutiones *perpetuæ* sunt, hoc scil. sensu, quod sunt regulæ stabiles, propositæ communitati, quæ moraliter eadem perseverat, ideoque in suo robore permanent quamvis episcopus, a quo editæ sunt, e vita decesserit, aut se episcopatu abdicaverit, aut ad aliam fuerit translatus ecclesiam.

Attamen quamvis *perpetua* sint illa statuta, non ideo sunt *immutabilia*, quia ab ipso legislatore, aut ejus successore, vel legitima consuetudine 40 annorum deleri, abrogari aut immutari possunt. Insuper, manente obligatione in communi, potest quis a constitutionis synodalis vinculo subduci per dispensationem impetratram ab episcopo vel ejus successore (1).

*Non omnia* in statutis contenta *ejusdem sunt efficaciæ* ad obligationem inducendam : alia enim *ad modum præcepti* enuntiantur, alia vero *ad modum suasionis* proferuntur. Illa omnes et singulos quos et quatenus spectat tamquam veræ leges diœcesanæ obstringunt; hæc vero, quamvis strictam legis vim non obtineant, nihilominus consideranda sunt ut consilia et vota, quæ sacerdotes, perfectionis suæ aliorumque saluti studiosi, non secus ac vera præcepta, sedulo adimplere satagent. Audiens enim ac sequens episcopum, sequitur et Deum.

*Gravitas obligationis* statutorum synodalium dependet ab ipsa materia et ab intentione legislatoris, juxta principia generalia de legis obligatione.

Quodsi quis statutis synodi diœcesanæ sese gravatum esse existimat, recurrere potest ad s. Congregationem Concilii sed in devolutivo tantum. J. Brys.

---

(1) Cfr A. De Meester, *o. c.*, t. II, p. 145.

# Acta SS. Congregationum.

## E S. Congr. Rituum

### I.

### POPAYANEN.

DUBIA (1)

Maximilianus Crespo, Archiepiscopus Popayanensis, a Sacra Rituum Congregatione sequentium dubiorum solutionem reverenter expostulavit ; nimirum :

I. Summus Pontifex Pius X sa. me., die 18 maii 1907, indulgentias christifidelibus concessit qui devote sacram Hostiam adspexerint cum in Missæ sacrificio elevatur, additis in ipsa oculorum elevatione verbis « Dominus meus et Deus meus ! » Hinc quæritur :

1. An fideles Missæ adstantes, in sacræ Hostiæ elevatione, clara et elata voce verba « Dominus meus et Deus meus ! » proferre possint ? An etiam ad Calicis elevationem ?

2. An ipse celebrans idem agere valeat, submissa tamen voce ?

II. Ex Decreto Sacræ Rituum Congregationis, diei 29 aprilis 1922 (2), Missæ sanctorum duodecim Apostolorum habent Evangelia stricte propria. Cum vero Sanctus Paulus inter duodecim Apostolos non recenseatur sed, ut ait Sanctus Beda Venerabilis, sit tertius decimus Apostolus, quæritur :

An Evangelia quæ leguntur in Missis de festis Conversionis et Commemorationis S. Pauli Apostoli, diebus 25 ianuarii et 30 iunii, sint stricte propria ?

---

(1) *Acta Apost. Sedis*, XVIII (1926), p. 21 s.

(2) Quod vide ap. *Collat. Brugen.*, XXII (1922), p. 234, collato decr. 16 junii 1922, ad XVII, ap. *Collat. Brugen.*, XXIII (1923), p. 70 ss., ubi (p. 77) responsum negativum insinuavimus.

III. Si accidat ut aliquod festum duplex maius vel minus aut semiduplex a festo duplici primæ classis impeditum commemoretur tantum ad Laudes, debetne omitti ad Matutinum nona Lectio historica vel stricte propria de festo impedito ?

IV. Sacerdos Feria quarta Cinerum Missam lectam celebraturus in oratoriis semi-publicis, potestne ante Missam benedicere cineres sine cantu eosque omnibus petentibus distribuere ?

V. Ex canone 1100 Codicis iuris canonici, extra casum necessitatis, in Matrimonii celebratione servandi sunt ritus in libris ritualibus ab Ecclesia probatis præscripti aut laudabilibus consuetudinibus receptis. Hinc quæritur :

1. An in his regionibus Manuale Toletanum, quod passim in celebrando Matrimonio atque in administratione Ssmi Viatici et Extremæ Unctionis adhibetur, sit præceptivum ?

2. Et, in casu affirmativo, an Ordinarii locorum eius usui semel pro semper renuntiare valeant, ut eius loco Rituale Romanum dehinc ab omnibus adhibeatur ?

VI. Attenta declaratione Sacræ Pœnitentiariæ Apostolicæ (Sectio de Indulgentiis), diei 21 iulii 1919, inspectis etiam Decretis Sacræ Rituum Congregationis, diei 15 octobris 1920 et 10 novembris 1921, de ratione cantandi Litanias Lauretanas, quæritur :

An in Litaniarum recitatione absque cantu iterari liceat priores invocationes hoc modo : V. *Kyrie, eleison.* R. *Kyrie, eleison.* – V. *Christe, eleison.* R. *Christe, eleison.* – V. *Kyrie, eleison.* R. *Kyrie, eleison* ?

VII. Sorores cuiusdam Instituti, ex perantiqua consuetudine, quoties aliqua Soror e vita decedit, huius defunctæ cadaver in lignea capsa, *albo* panno undequaque obvoluta, vel *albo* colore ex omni parte picta, in signum virginitatis, recondunt ; quæ capsa postea, pro Officio et Missa defunctorum, in medio oratorio Communitatis deponitur, sed undique variis *albi* coloris ornamentis circumsepta. Hinc quæritur :

An talis perantiqua consuetudo tolerari possit ?

VIII. Pluribus in locis, Deo favente, instituta est consociatio Sociarum Sacratissimi Cordis Iesu, quæ in prima cujuslibet mensis Feria sexta peculiaria pietatis exercitia in honorem Divini Cordis peragere et sacram Communionem recipere student ; et tunc celebratur Missa votiva de Sacratissimo Corde Iesu iuxta Decretum generale

Sacræ Rituum Congregationis, n. 3712, diei 28 iunii 1889. Cum vero huiusmodi Sociæ, ruri præsertim, ab ecclesia parœciali valde distent, et ob pauperem earum conditionem laboribus ad vitam sustentandam necessariis incumbere debeant, ac proinde sine gravi incommodo ecclesiam in Feria sexta adire nequeant, quæritur :

An in hisce casibus Missa votiva de Sacratissimo Corde Iesu, a memorato Decreto indulta, in prima mensis Dominica celebrari possit, cauto tamen ut una saltem Missa dicatur de Officio diei ?

Sacra autem Rituum Congregatio, audito specialis Commissionis voto, præpositis quæstionibus accurate perpensis, ita respondendum censuit :

Ad I. Quoad primam partem, *negative in omnibus*, ad mentem Cæremonialis Episcoporum, lib. II, cap. VIII, n. 70, et Decreti generalis n. 3827, ad III, diei 22 maii 1894.

Quoad secundam partem, *negative*, iuxta canonem 818 Codicis iuris canonici et Rubricas Missalis Romani.

Ad II. *Negative*,

Ad III. *Affirmative*.

Ad IV. *Affirmative*, ex gratia, iuxta Memoriale Rituum, iussu Benedicti Papæ XIII editum.

Ad V. Expedire ut adhibeatur Rituale Romanum iuxta Decreta n. 3654, *Carthaginien.*, 16 februarii 1886, et n. 3792 ad IX, *Strigonien.*, 30 augusti 1892.

Ad VI. *Affirmative*.

Ad VII. Serventur Rubricæ ac Decreta n. 3035 ad XI, *Briocen.*, 21 iulii 1855, (1), et n. 4165 ad V, *Dubiorum*, 4 augusti 1905 (2).

Ad VIII. *Negative*.

Atque ita rescripsit ac declaravit die 6 novembris 1925.

## II.

## DUBIA

### DE RESPONSORIIS PRIMI NOCTURNI ET DE EVANGELIO DOMINICÆ IN FINE MISSÆ (3).

Sacræ Rituum Congregationi sequentia dubia pro

---

(1) Ad similem quæstionem sed pro puella innupta non religiosa, respondetur : Negative.

(2) Hoc decretum statuit : « colorem panni emortualis esse debere nigrum, ornamenta autem sobria esse oportere ».

(3) *Acta Apost. Sedis*, XVIII (1926), p. 57.

opportuna solutione humillime proposita sunt; nimirum:

I. Quando resumuntur vel anticipantur Lectiones primi Nocturni de quavis Dominica impedita, debentne semper dici cum suis Responsoriis, etiamsi hæc in Dominicis seu Feriis præcedentibus recitata fuerint?

II. In fine Missæ de Festo duplici I vel II clasis cum Commemoratione de occurrente Dominica debetne recitari Evangelium eiusdem Dominicæ, quamvis Missa Dominicæ infra hebdomadam resumatur (1)?

III. In fine Missæ de officio diei cum Commemoratione de Missa Dominicæ primo infra hebdomadam resumpta debetne omitti Evangelium eiusdem Dominicæ (2)?

Et Sacra eadam Congregatio, audito specialis Commissionis suffragio, propositis dubiis respondendum cencuit:

Ad I. *Affirmative*, iuxta novas Rubricas generales Breviarii Romani, tit. I, n. 4 (3); nisi anticipentur Lectiones primi Nocturni de Dominica quinta Octobris, quæ dicuntur cum Responsoriis de Feria currenti, iuxta specialem Rubricam.

Ad II et III. *Affirmative*, iuxta novas Rubricas generales Missalis Romani. tit. IX, nn. 1 et 2.

Atque ita rescripsit ac declaravit, die 11 decembris 1925.

† A. Card. Vico, Ep Portuen. et S. Rufinæ,
*S. R. C. Præfectus.*

L. † S.

Alexander Verde, *Secretarius.*

---

(1) Responsum affirmativum patet indubium ex *Add. et Var. Rub. Mis.*, IX, 1.

(2) Responsum negativum diserte exprimitur *Add. et Var. Rub. Mis.*, IX, 2. Ratio autem est quia illud evangelium jam fuit lectum in fine missæ Dominicæ præcedentis, ut declaratur in responso præcedenti.

(3) « Lectiones *cujusvis* Dominicæ impeditæ, quæ *semper* dicuntur cum suis Responsoriis ». An textus ille erat dubius?

# Notæ bibliographicæ

**Godts, F. X.** (C. SS. R.). *Marie, complément de la très s. Trinité.* Esschen, Librairie St-Alphonse, 1926. — In 24, 24 p. — Pr. 2 fr.

**Idem.** *Du consentement virginal ou du « fiat » de la corédemptrice.* In 24, 48 p. — Pr. 2.50 fr.

Grand serviteur de Marie et très dévoué zélateur de son culte, le T. R. P. Godts expose dans le premier opuscule comment nous devons comprendre ce titre, étrange à première vue, que les Pères cependant ont donné à Marie : *totius Trinitatis complementum.* L'explication peut se résumer comme suit : par son libre *fiat*, Marie a procuré au Père, comme au Fils et au s. Esprit, une gloire qu'ils n'avaient pas jusqu'alors dans le monde ; de la sorte elle agrandit Dieu dans son œuvre et à ce titre peut s'appeler complément de la très s. Trinité.

C'est encore à faire mieux comprendre toute la portée du *fiat* de la sainte Vierge que visent les deux sermons de s. Bernardin de Sienne, dont le T. R. P. Godts donne la traduction dans le second opuscule. Le premier sermon traite de la profonde humilité, de l'ardente charité et de la grande foi de Marie, quand elle consentit à concevoir le Fils de Dieu ; le second sermon analyse plus à fond ce consentement en examinant le quadruple objet sur lequel il porta, les quatre actes de parfaite vertu que Marie accumula dans la conception du Fils de Dieu, enfin le quadruple secours communiqué par Dieu à Marie à ce moment.

**Martin, R. M.** (O. P.) *Pour saint Thomas et les thomistes et contre le R. P. Jean Stufler S. J. dans le débat touchant l'influx de Dieu sur les causes secondes.* Saint Maximin (Var), Ecole de théologie, 1926. — In. 8, 61 p.

La présente étude du T. R. P. Martin, régent du collège des dominicains à Louvain, est composée de quatre articles de la *Revue thomiste* ; le premier fut publié en 1924 ; le dernier vient de paraître dans le premier fascicule de la dite revue, cette année même. Le titre de l'étude dit suffisamment l'objet du débat. Voici d'une façon plus précise la doctrine que défend le T. R. P. Stufler, professeur de théologie dogmatique à l'Université d'Innsbruck, d'abord dans une série d'articles parus dans la *Zeitschrift für Kath. Theologie*, t. XLIV, 1920 et réunis en brochure : « Num sanctus Thomas prædeterminationem physicam docuerit » (Innsbruck, F. Rauch, 1920) ; ensuite dans son ouvrage, « Divi Thomæ Aquinatis doctrina de Deo operante », publié en 1923 :

« Saint Thomas n'enseigne pas le molinisme ; il n'enseigne pas non plus la prémotion physique ; il enseigne que Dieu influe sur la créature rationnelle suivant une motion médiate, en donnant et conservant à cette créature les formes ou principes internes et permanents d'opération, soit naturels, soit surnaturels, grâce auxquels elle tend par elle-même et spontanément à sa fin ».

Dans les deux premiers chapitres de son étude le T. R. P. Martin, examine d'une part les notions et principes généraux, qui commandent le système doctrinal de s. Thomas, ainsi que les principes plus particuliers du Docteur angélique ; d'autre part les théories du R. P. Stufler et démontre péremptoirement, par une discussion très serrée des textes, que les principes auxquels le R. P. Stufler rattache ses conclusions sont tout différents des principes, qui sont à la base de la doctrine de l'Ange de l'Ecole.

Dans un chapitre troisième il établit clairement par le même procedé scientifique, que la thèse du R. P. Stufler est en toutes lettres la négation d'une des principales thèses du « Doctor communis » sur la motion divine. Cette étude, dans laquelle le T. R. P. Martin défend si bien la doctrine thomiste, est écrite dans un style très alerte et très clair en même temps, avec toute la précision nécessaire en ces matières subtiles, controversées depuis des siècles.

**Thomas** (**S**.). *In metaphysicam Aristotelis commentaria*. Ed. 2a. Taurini, Marietti, 1926. — In 8, XII-798 p. — Pr. 30 lib. ital.

In hisce suis commentariis in metaphysicam, Aquinas libros tantum modo duodecim Stagiritæ explicationibus suis illustrat, omissis, quum quattuordecim essent apud Aristotelem, duobus ultimus libris, in quibus de Deo et de substantiis separatis secundum opinionem aliorum philosophorum tractatur.

Hæc omissio non impedit itaque quominus unum sit opus, nec sunt quæstiones disputatæ in hisce libris prætermissis, necessariæ ad intelligendam priorem partem majorem, cujus divisiones præcipuas indicare juvat.

Prima pars, a libro primo ad quartum inclusive, complectitur : *a/ introductionem in metaphysicam*, in qua de objecto materiali et formali hujus scientiæ, de possibilitate ejus ac methodo, necnon de quæstionibus disputandis, de aliis etiam opinionibus præcedentium philosophorum dicitur ; *b/ metaphysicam criticam* seu defensivam, in qua contra Heraclitem et sophistas vindicantur prima principia et imprimis principium contradictionis.

Secunda pars exponit, a libro quinto ad decimum inclusive, quæstiones quæ hodiedum in *metaphysica generali*, quam alii vocant *ontologiam*, plerumque tractantur. Præmittitur vocabularium metaphysicum ; determinatur de quonam ente sit agendum ; disputatur de ente in quantum est ens, et quidem prout dividitur per substantiam et accidens et adhuc per potentiam et actus ; in fine dicitur de « uno et eodem », quod est prima proprietas entis.

Tertia pars constat libris undecimo et duodecimo, atque comprehendit disputationem primo de via ad cognoscendum Deum ; deinde de Deo actu puro et suprema intelligentia. Hæc tertia pars itaque jure *theologia naturalis* vocari potest.

Brevis hæc analysis satis ostendit momentum hujusce operis, in quo quæstiones maxime arduæ sane, sed maxime simul necessariæ ad philosophiam recte intelligendam dilucide exponuntur et discutiuntur ;

apparet adhuc permagna ejusdem utilitas ad tractatum theologicum de Deo penitius intelligendum, in quo permulta ex ratione ad pleniorem intellectum veritatis revelatæ adducuntur, et sæpius etiam argumenta rationis ad demonstrandam existentiam Dei rursus afferuntur. Constat alioquin præcipuas difficultates contra fidem hodie in hac materia ex crassa ignorantia vel perversa explicatione sanæ philosophiæ perennis ortum suum habere, quod in erroribus modernisticis damnatis perspicue omnino videtur, ideoque romani pontifices « Aquinatem deserere, præsertim in re metaphysica, non sine magno detrimento esse » pluries inculcaverunt (1).

Editio hæc altera commentariorum s. Thomæ in metaphysicam, sicuti prior, prodiit cura ac studio P. F. M.-A. Cathala, O. P., professoris philosophiæ in instituto catholico tolosano, qui adjumentum haud exiguum lectori præbet præmittendo, ad singulas lectiones, in diversis libris et capitibus, breviores synopses aptissime confectas, quibus Stagiritæ et Aquinatis procedendi ratio doctrinæque amplitudo uno in conspectu exhibentur.

Perutile opus prosequitur editor successive in lucem edendo, tam practico et nitido modo, diversa s. Thomæ opera, ut ab omnibus philosophiæ ac theologiæ studiosis manibus teri possint.

H. Lamiroy.

**Van Noort, G.-Verhaar, J. P.** *Tractatus de sacramentis*, II, Hilversum, 1926. — In 8, 175 p. — Pr. 3 flor.

Hæc est altera pars tractatus de sacramentis, cujus pars prior, publici juris facta jam ab anno 1910, complectitur doctrinam de sacramentis in genere, de baptismo, confirmatione et ss. Eucharistia ; in hac autem parte secunda tractatur de reliquis sacramentis, excepto matrimonio, scilicet in tribus sectionibus, de sacramento pænitentiæ, de extrema unctione et de ordine.

Sectiones in consueta capita dividuntur : de exsistentia, de partibus, de effectibus (et necessitate), de ministro et de subjecto sacramenti. Sectioni de sacramento pænitentiæ additur duplex appendix : de excommunicatione et de indulgentiis.

Eminet iste tractatus, quem concinnavit cl. Verhaar, s. theologiæ professor in seminario warmundano, præsertim ex annotationibus cl. Van Noort, omnibus dotibus quas in hujusce auctoris variis operibus reperire est, nimirum imprimis solida doctrina, sub respectu *dogmatico* completa, compendiose simul et dilucide exposita. Quæstiones etiam *historicæ*, quæ materiam sacramenti pænitentiæ et ordinis tangunt, breviter exponuntur et prudenter dijudicantur.

Multum commendamus hoc opus, quod alumnis seminariorum et sacerdotibus sacro ministerio addictis procul dubio valde utile erit.

V. Coucke.

---

(1) Ita Pius X in encycl. « Pascendi », 8 sept. 1907 (*Collat. Brugen.*, XII, p. 677) et rursus Pius PP. XI in encycl. « Studiorum ducem », 29 juni 1923, (*Collat. Brugen.*, XXIV, p. 10).

**Gilson, E.** *Thomas d'Aquin.* Coll. Les moralistes chrétiens. Paris, Gabalda, 1924. — In 16, 380 p. — Pr. 12 fr.

Pour faire connaître la morale chrétienne par ses ennemis et par ceux qui devraient être ses amis, mais la méconnaissent souvent, quelques savants français ont pris l'initiative d'une collection de monographies exposant la doctrine des plus éminents moralistes chrétiens. Il était de rigueur de commencer par le prince de la pensée chrétienne ; cette rude tâche fut confiée à M. E. Gilson, qu'accréditaient ses ouvrages antérieurs sur le thomisme et la philosophie du moyen-âge.

Quelques pages d'introduction donnent la biographie du Docteur angélique et le situent dans l'histoire théologique de son époque ; il fut celui qui intégra dans la somme des vérités religieuses « l'idéal hellénique de la vie humaine tel qu'Aristote l'avait conçu par les forces de la raison seule » (p. 5). L'auteur fait bien remarquer comment dans le thomisme la morale ne tient pas une place à part, mais se rattache intimement aux vérités de foi : « la morale est en quelque sorte un prolongement de la création » (p. 18), c'est la règle de conduite que doit suivre l'être doué de raison pour se diriger vers ses fins.

Cette règle dans sa dépendance de la métaphysique est exposée d'après le plan que suggère la Somme théologique. Une première partie est consacrée à la morale générale et expose les principes communs de la moralité. Les obligations des différentes vertus sont étudiées brièvement dans la seconde partie, que termine un chapitre sur les devoirs d'état.

Dans un exposé clair et concis, cet ouvrage de haute vulgarisation résume et coordonne excellemment les principes de la morale thomiste.

M. De Jonghe.

**Prims, Fl.** *De sociaal-economische geschiedenis van Belgie.* Brugge, Excelsior, 1925. — In 8, 180 bl. — Pr. 5 fr.

Schrijver heeft als taak opgenomen een methodische samenvatting te geven van de verschillende wijzen, waarop door de tijden heen onze voorouders door *arbeid*, met of zonder *onderlinge hulp* in hunne stoffelijke behoeften hebben voorzien. Dit is een zeer belangwekkende geschiedenis, die men vruchteloos in onze gewone handboeken zal zoeken, die men, in alle geval, nergens, zooals hier, in eens te overschouwen krijgt. Het komt ons voor dat schrijver heel wat meer weet dan wat hij hier neerschreef ten behoeve der *leerlingen* van « scholen voor maatschappelijk dienstbetoon » ; mocht hij thans een handboek voor de *meesters* schrijven, met opgave der bijzonderste geraadpleegde boeken en bronnen, en wat uitvoeriger behandeling der bijzonderheden, waarop zijn verzameloordeelen gegrond zijn. Het zou uiterst welkom zijn ! Want het blijkt ook dat schrijver de sociale en economische feiten en toestanden goed waarneemt : uit de hoogte namelijk der christelijke wereldbeschouwing, die behoedt van dwaling (historisch materialisme, fatale klassenstrijd) en in 't verleden de groote les vindt voor de toekomst : de waarde van de zedelijke begrippen. Intusschen weze dit handboek aan onze priesters en vooral aan onze sociale werkers heel bijzonder aanbevolen. R. De Schepper.

**Vander Meersch, J.** *De katholieke leer over het kerkelijk gezag en de brief der bisschoppen van Belgie omtrent het nationalisme.* Brugge, Beyaert, 1926. — 36 bl. — Pr. 1.75 fr.

Midden de verwarring van duistere, wankelende en vervalschte begrippen, die in onzen tijd in alle landen heerschen omtrent godsdienst en zedenleer, is het een zegen werkjes en schriften ter hand te krijgen die onbewinpeld de echte, klare, katholieke leer over de huidige strijdvragen uiteenzetten.

Zulk een boekje schonk ons Z. E. H. Kan. Van der Meersch nopens de katholieke leer over het kerkelijk gezag.

Alwie 't geluk had vroeger de heerlijke lessen van den geleerden professor te volgen, alwie zijn menigvuldige werken en schriften dieper mocht instudeeren, was steeds voldaan omdat er alles bondig ineenstak, in de juiste termen zeer « formaliter » was uitgedrukt, klaar streng-logisch en koel-scholastisch was voorgesteld. Die kenmerkende hoedanigheden, schrijver zoo eigen, vinden we ook in dit boekje terug.

Het omvat twee deelen. Het eerste geeft de leer over het kerkelijk gezag. Schr. beschouwt er alleen de leermacht en de bestuursmacht, en onderzoekt nopens beide a/ waarin ze bestaan, b/ welk haar voorwerp is, c/ welke verplichting er bij de onderdanen ontstaat door het beoefenen van beide macht. Al de uiteengezette leerstellingen worden er weliswaar niet breedvoerig bewezen, doch steeds worden de ambtelijke oorkonden waarin zij bevat zijn of de studiewerken waarin zij bewezen zijn, zeer zorgvuldig aangeduid.

In 't tweede deel wordt die leer toegepast op den brief der Bisschoppen van Belgie omtrent het nationalisme. Op een grondige ontleding van den brief volgt een breede en diepgaande uitleg ervan. Op 't einde geeft Schr. een bondige samenvatting der plichten die hij zoowel voor leeken als voor priesters uit de leerstellige verklaring en uit de bevelen der bisschoppen afleidt. In de welwillende goedkeuring die Hij aan 't boekje schonk, schreef Zijne Doorl. Hoogwaardigheid : « het is een nauwkeurige uitleg van Onze leering en van Onze bevelen ».

**Creusen** (S. J). *Religieux et religieuses d'après le droit ecclésiastique.* 3e édit. Bruxelles, A. Dewit, 1924. — In 8, xv-288 p. — Pr. 7.50 fr.

Inutile de recommander encore à nos lecteurs ce traité, dont nous avons reçu, il y a quelques mois déja, la 3e édition corrigée et augmentée. Nous renvoyons d'ailleurs aux comptes rendus très élogieux qu'on a donnés dans cette revue à l'occasion des éditions antérieures. Les nombreux remaniements apportés à la deuxième édition ont complété très heureusement la doctrine, et en ont rendu l'exposé plus accessible à tous les lecteurs. On est particulièrement heureux d'y trouver une foule d'applications pratiques, qui aident à saisir la portée exacte de la loi. L'auteur ne donne pas seulement un commentaire très solide de s canons qui se rapportent aux religieux et religieuses, mais le plus

souvent il signale le but poursuivi par le législateur dans les prescriptions du droit des religieux. La connaissance de ce but est toujours un stimulant qui pousse à l'observation plus exacte de la loi.

Pour ce qui regarde l'analyse du traité, nous renvoyons aux compte-rendus dont nous parlions plus haut.

Notons en passant, que nous ne pouvons admettre l'interprétation du canon 656, donnée au nº 286, où l'auteur prétend que « dans les chapitres sur le renvoi des religieux, le mot *délit* est pris dans un sens général de faute ».

Nous profitons de cette occasion pour recommander aux supérieurs de nos communautés religieuses, ainsi qu'aux prêtres-directeurs de ces maisons, la *Revue des communautés religieuses* publiée par les RR. PP. Creusen et Jombart, S. J.

Cette revue bimestrielle a été fondée dans le but de faciliter aux supérieurs des communautés religieuses la connaissance et l'exécution des décrets du S. Siège qui les concernent, et d'aider les supérieurs et directeurs à résoudre les difficultés soulevées par l'application des lois ecclésiastiques et des constitutions de l'institut. La revue s'adresse surtout aux communautés de Frères, de moniales et de Sœurs. Ceux-ci y trouveront, outre les décrets, instructions et réponses du S. Siège avec commentaires explicatifs, des réponses à des consultations qui intéressent les communautés ; des études sur les principales obligations de la vie religieuse et des chroniques donnant des renseignements concernant l'état religieux et les principaux instituts.

**Cotel P.** (S. J). *Catéchisme des vœux*. 29e édit. revue et mise en harmonie avec le Code de droit canon par *E. Jombart, S. J.* Bruxelles, A. Dewit, 1926, — In 8, 96 p. — Pr. 2.50 fr.

Dans cet excellent petit traité le R. P. Cotel a exposé ce que toute âme consacrée à Dieu dans l'état religieux doit connaître au sujet de ses vœux. L'auteur procède par questions et réponses, méthode très simple qui rend la lecture et l'étude de ce petit manuel très facile aux âmes peu versées dans les questions de morale.

Dans une première partie il traite des vœux de religion en général ; il expose successivement la notion générale du vœu, l'excellence des vœux de religion et de l'état de perfection, les diverses sortes de vœux de religion et enfin les différentes vertus qui en font l'objet. Dans une seconde partie, la plus développée et la plus utile, l'A. passe en revue les vœux de religion en particulier. Chaque fois il distingue, et à bon droit, le vœu et la vertu ; et expose sommairement les avantages de l'exercice de chacune de ces vertus.

Ce petit traité devrait se trouver entre les mains de beaucoup de novices et de religieuses de nos couvents. Il aidera a élucider et, par endroits, à compléter ou à corriger d'après la législation nouvelle, les statuts promulgués en 1912 par sa Grandeur Monseigneur Waffelaert dans les « Grondwetten en levensregel voor de zusters der kloostergemeenten van het Bisdom Brugge ».

J. Brys.

# Collationes Brugenses

## Epistola apostolica

AD R. P. WLODIMIRUM LEDÓCHOWSKI, PRÆPOSITUM GENERALEM SOCIETATIS IESU, ALTERO EXEUNTE SÆCULO A DECRETIS ALOYSIO GONZAGÆ SANCTORUM CÆLITUM HONORIBUS (1).

### PIUS PP. XI

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem. — Singulare illud est in divini Magistri vita, quod iuvenes ab eo præcipua quadam caritate diliguntur. Innocentes enim pueros ad se allicit atque attrahit (2), pestiferosque eorum corruptores cum corripit severitate verborum, tum gravissimis se pœnis multaturum minatur (3) ; intemerato autem adulescentulo, ad invitamenti præmiique modum, expletam perfectamque sanctitatis formam proponit (4).

Hunc ipsum cum a suo Conditore spiritum Ecclesia, divinæ heres legationis atque operæ, hausisset, inde a christiani ævi primordiis se eodem iuvenum amore studioque incensam ostendit ac præstitit. Itaque, causâ infantiæ susceptâ, corporum cœpit animorumque tueri incolumitatem ; filios suos ut litterarum initiis altioribusque disciplinis imbueret, et ludos iis et athenaea aperire : Ordines ac religiosa sodalicia non tam probare quam provehere, eo nimirum consilio, ut, academiis, conlegiis, publicis scholis, consociationibus conditis, iuventuti rite instituendæ consulerent. Cuius quidem curandæ institutionis nativum inviolatumque sibi Ecclesia ius nullo non tempore vindicavit, utpote quæ facere non posset, quin coram commissa sibi humani

(1) *Acta Apost. Sedis*, XVIII (1926), p. 258 s.
(2) *Marc.*, x, 13-16.
(3) *Matth.*, XVIII, 6.
(4) *Marc.*, x, 21.

generis universitate doceret, unam se esse germanæ de moribus doctrinæ custodem, unam se certamique difficillimæ illius artis magistram, quæ in ingeniis hominum christiane conformandis versaretur. Incredibile quidem est quam Nos in præsentia delectet, innumerabiles ubique iuvenes, eosdemque ex utroque sexu atque ex omni civitatis ordine, intentiore animorum motu, sacerdotibus suisque instare Pastoribus, cupidos cum se doctrina omnique christianæ vitæ cultu expoliendi, tum Ecclesiam iuvandi laboris sui auxilio in ea, quam persequitur, emendatione hominum ac salute. Reputantibus autem Nobis, quam crebra iuvenum agmina, superiore piaculari anno, undique coram convenerint, ii sane redintegrantur voluptatis lætitiæque fructus, quos tum cepimus cogitando, ex talibus per omnes nationes ordinatis iuventutis legionibus quam frequens pacatusque coaliturus aliquando foret exercitus, quo ad senescentem mundum Apostolica Sedes recreandum uteretur. Ac Nostro crescit in animo altiusque defigitur iuvenum caritas, cum multiplices exsecrandasque cernimus insidias, quæ eorum fidei atque innocentiæ struuntur: qua quidem in aspera universæ spiritualis vitæ dimicatione niminum sæpe contingit, ut ætatis virtutisque nervi debilitentur et elidantur bene multorum, qui mirum quanto Ecclesiæ civitatique usui esse potuerant.

Alterum igitur, quod postremo huius anni die complebitur sæculum ab delatis Aloysio Gonzagæ sanctorum cælitum honoribus, ad spiritualem iuventutis profectum tam præclaras videtur habere utilitates, ut ad filiolos Nostros, qui, qua late orbis terrarum protenditur, in spem regni Iesu Christi succrescunt, cogitationes et alloquium Nostrum perlibenter, cum te, dilecte fili, alloquimur, convertamus. Etenim, quo debent iuvenes patrono cælesti, in suæ discriminibus periculisque vitæ, valido uti ac potenti, eum præterea sequantur oportet, singulare prorsus virtutum omnium exemplum: cuius vitam si quidem penitus introspiciant, iam plane noverint, qui sit ad perfectionem christianam aditus, quæ accommodatiores ad eius adeptionem adhibendæ artes, quamque suaves pretiososque, vestigiis Aloysii insistendo, virtutum fructus percepturi sint. Iamvero, Aloysium in se atque in suo collocatum lumine si contemplentur, omnino sane alium, quam quem Ecclesiæ adversarii fallaciter fabricati sunt vel scriptores minus prudentes finxere: nonne eum,

vel in tanta recentius Ecclesiæ parta sanctitatis laude, singulare iuvenilium virtutum exemplum habeant? Etenim si quis annales percurrat nostros, facile comprobabit, adulescentes hominesque, quos Dei Spiritus post Gonzagæ obitum ad hunc diem excitavit vitæ innocentia mirabiliores, magnam partem, ad eius disciplinam animos suos conformasse. In quibus, ne multi simus, commemorare tantummodo placet Ioannem Berchmans, qui, cum in Conlegio Romano degeret, nihil sibi aliud proposuerat, quam ut Aloysium in se referret; Nuntium Sulpritium, iuvenem illum operarium, qui Castellionensem imitari et a puero cœpit et ad exitum usque perrexit; Contardum Ferrinium, qui, cum ab æqualibus alter Aloysius merito nuncuparetur, tum hunc ipsum, quo exemplo ac tutore castimoniæ utebatur, piissime coluit; Bartholomæam Capitanio, quæ Gonzagam, cuius se in clientelam religiose contulisset, perfecte, vivens moriensque, reddidit, quæque ab Aloysio, sæculari hoc anno, quasi ipsius gloriæ particeps effecta ad beatorumque cælitum honores deducta videatur. Nec temere quispiam affirmet, Aloysium ad interiorem immutationem perfectionemque Gabrielis a Virgine Perdolente haud parum valuisse: qui, quamquam adulescens animum aliquanto leviorem remissioremque ostendit, Gonzagæ tamen, quem iuventutis Patronum venerari didicerat, opem auxiliumque implorare non destitit. Atque ut e recentioribus puerilis iuvenilisque disciplinæ auctoribus ac magistris unum afferamus, Ioannes Bosco non modo Aloysium amanter colebat, sed eiusmodi cultum, quem suboli suæ veluti hereditate reliquit, commendare vehementer pusionibus iis consueverat, quotquot sancte educendos excepisset: qua in Aloysii imitatione ex iis maxime omnium profecit candidissima illa anima, Dominicus Savio, quem Deus terris tam brevi permisit deditque conspiciendum.

Utique videri potest, non sine arcano divinæ Providentiæ consilio contigisse, ut immatura morte, vixdum efflorescens, tum eriperetur Aloysius cum egregiæ eius ingenii animique laudes, constans atque impigra voluntas, singularis ac pæne divina rerum prudentia, cum religionis animarumque studio coniunctæ, feracissimi apostolatus beneficia spondebant ac sperare iubebant. Nam placuit Deo, ut ab cælesti iuvene, quem communis ætatis flos amabilem imitabilemque ultro reddidisset, iuvenes

perdiscerent, quodnam peculiare eius ætatis esset præcipuumque munus, scilicet ut se ad vitæ agitationem, animo per christianas virtutes solide excolendo expoliendoque, pararent. Quo qui interiorum earum patrimonio virtutum, quæ in Aloysio mirifice eluxerunt, destituti sint ac careant, non eos profecto ad vitæ pericula ac certamina, non eos ad apostolatus cœpta satis aptos armatosque fore existimabimus, sed, factos veluti *æs sonans* et *cymbalum tinniens* (1), aut nihil profuturos aut forte nocituros illi ipsi causæ, quam agendam defendendamque susceperint, quemadmodum superioribus ætatibus haud semel evenisse in comperto est. Itaque nonne tempestive opportuneque in hæc tempora incidunt sæcularia eiusmodi Gonzagæ sollemnia, quippe qui suæ exemplo vitæ iuvenibus, ad externa ingenio proclivibus atque ad prosiliendum in vitæ actionem promptissimis, suadeat, ut proximos et rem catholicam ne ante curent, quam se ipsi interiorum virtutum studio atque exercitatione perfecerint?

Atque illud in primis iuvenes Gonzaga docet, christianæ institutionis summam in vivæ fidei sensu tamquam fundamento consistere, qua homines fide, veluti *lucerna lucente in caliginoso loco* (2), illustrati, mortalis vitæ naturam ac momentum penitus agnoscant. Itaque cum Aloysius decrevisset, vitam sibi non « ad temporales » sed « ad rationes æternas » componendam esse — unde si quis discedat, iam vir spiritualis aut esse aut dici nequeat — eiusmodi rationes, e divina revelatione haustas, in sanctorum Exercitiorum palæstra, in quam, vix e pueritia egressus et deinde in Societatem Iesu adscitus, identidem secessit, maxima cum animi utilitate ac voluptate, diu multumque volutare ac commentari assuevit. Iamvero omnino oportere censemus, ut in animis adulescentium nostrorum, Gonzaga duce, id altius insideat, hominum vitam non esse adeo deprimendam ut caducarum rerum cura ac fruitione dumtaxat contineatur, qua haud raro iuvenum ingenia sensusque abripiuntur, sed, contra, habendam nobis esse quasi quoddam curriculum, ubi, uni Christo servientes, ad sempiternam beatitatem nitamur. Atque rectam hanc vitæ æstimationem habituri

---

(1) *I Cor.*, XIII, 1.
(2) *II Petr.*, I, 19.

facile sunt adulescentes nostri, si quidem, cælestem imitati Patronum, interdum a rerum humanarum turbine procul secesserint ac par statos aliquot dies spiritualibus Exercitiis vacaverint, quæ, ut ex diuturna experientia liquet, nata apta sunt ad molles docilesque iuvenum animos salutariter firmiterque præoccupandos.

Hac supernarum rerum luce collustratus, ut diximus, Aloysius, cum nihil intentatum relinquere statuisset ut vitam innocentissimam duceret, tam in incepto perseveravit constanter, ut, inde a primo rationis usu ad extremum usque spiritum, ab omni gravis peccati macula se immunem præstiterit : præcipueque ab pudicitiæ flore tam diligenter omnem vel tenuissimam labeculam prohibuit, ut, cum ab æqualibus angeli nomine honestaretur — quo ipso deinceps nomine eum christianus populus consalutare assuevit — tum Beato Roberto Bellarmino, quo sanctus adulescens peritissimo usus est pietatis magistro, confirmatus in gratia videretur. Quam quidem perfectionem absolutionemque virtutis haud sane Aloysius idcirco attigit, quia, inaudito quodam Dei beneficio, iis exemptus esset interioribus externisque pugnis, quæ in naturam ab originali iustitia collapsam sunt nobis, dolentibus quidem, sæpius pugnandæ. Quodsi, ob privilegium prorsus singulare, voluptatis libidinisque stimulis agitatus est nunquam. tamen, ut erat ad grandia comparatus, ab iræ igniculis gloriolæque titillationibus vacuus omnino non fuit : quas quidem naturæ appetitiones invicta voluntate non tam coercuit, quam rationis imperio penitus atque omnino subegit. Cum autem nativam humanarum virium imbecillitatem non ignoraret, idemque virtuti in primis diffideret suæ, divinæ gratiæ præsidium sibi comparare studuit, fusis inderdiu noctuque et in multas horas productis ad Deum precibus, patrocinioque Deiparæ Virginis, in cuius clientela primas facile tulit, apud divinam clementiam adhibito ; maxime vero, quod in Eucharistia sanctissima totius vitæ spiritualis fontem ac robur posita esse intellegeret, divinam mensam, quotiescumque per id temporis licebat, celebrare consueverat, ut recentiores perpetuo vires inde exprimeret atque hauriret. Vitæ autem innocentiam morumque castimoniam ut custodiret noster — neque enim a divinæ gratiæ dono seiungi industria hominis queat — ad piissimum Augusti Sacramenti et Deiparæ cultum, humanarum rerum fugam

adiecit eamque sensuum castigationem, quam reliqui mortales, maximam partem, suspicere quidem possint, æquare non possint. Illud enim mirabile ac vix credibile dixeris, in tanta morum corruptela, Gonzagam animi candore cum cælestibus spiritibus certasse ; in tanta voluptatum consectatione, adulescentem singulari abstinentia et vitæ austeritate atque asperitate floruisse ; in tali honorum cupiditate, adeo Aloysium illos contempsisse ac fastidivisse, ut et principatu, qui sibi hereditario iure obventurus erat, se perlibenter abdicarit et in eam religiosam familiam cooptari maluerit, in qua, iurisiurandi religione interposita, ad sacras dignitates intercluderetur aditus ; in eo denique immodico veteris romanorum græcorumque sapientiæ cultu, tam assiduum Aloysii fuisse cælestium rerum studium atque usum, ut, præcipuo Dei munere, mirificâ ipsius industriâ coniunctâ, adeo tota mente cum Deo cohæreret, nullis ut alienis cogitationibus a rerum divinarum contemplatione avocaretur.

Hæc quidem singularia, ipsisque consummatæ virtutis hominibus inaccessa fere, sanctitatis culmina ; res tamen documento adulescentibus nostris esto, quibus artibus quod est præstantissimum iuventutis decus atque ornamentum, morum scilicet innocentia et castimonia, servetur incolume. Qua in re non ignoramus, nonnullos iuvenilis disciplinæ magistros, præsenti morum depravatione perterritos, qua tot adulescentes in exitium, incredibili cum animarum detrimento, præcipites aguntur, tam gravem ut perniciem iacturamque a civitate prohibeant, in nova aliqua institutionis educationisque via excogitanda totos esse. At vero hos probe intellegere velimus, nihil se commodi rei publicæ allaturos, si artes illas eamque disciplinam neglexerint, quas, e christianæ sapientiæ fonte haustas diuturnoque sæculorum usu probata, idem ille Aloysius in se expertus est efficacissimas : fidem, inquimus, vivam, illecebrarum fugam, animi temperationem et continentiam, actuosam in Deum Beatamque Virginem pietatem, vitam denique cælesti epulo quam creberrime refectam ac recreatam.

Quodsi intentis adulescentes animis Gonzagam tamquam absolutum castimoniæ sanctitatisque exemplum suspexerint, ii profecto non modo libidinem cohibere condiscent, sed etiam funestum illum christianæ institutionis scopulum vitabunt, in quem incidant oportet

quotquot, commentis imbuti scientiæ cuiusdam doctrinam Christi Ecclesiæque detrectantis, immodico libertatis æstu, mentis arrogantia animique licentia conturbari se sinunt. At contra Aloysius, licet se aviti principatus heredem fore sentiret, quibus litterarum pietatisque usus est præceptoribus, iis se ducendum ultro permittit; postmodum vero, Societatis Iesu alumnus, ea animi demissione moderatorum iussis consiliisque obtemperat, ut vel in minimis religiosæ vitæ officiis ne transversum unguem ab instituto discederet: quæ quidem agendi ratio quantum ab eorum iuvenum ratione abhorreat, qui, specie quadam boni decepti nulliusque patientes freni, seniorum monita detrectant, nemo est qui non videat. Quicumque igitur sub Christi signis militare cupiunt, pro certo habeant, se, disciplinæ iugo a suis cervicibus deiecto, ignobiles, palmarum loco, clades accepturos, cum iuvenes sint ita comparati divinitus, ut in sua mentis animique cultura in suaque demum vita ad christianos spiritus componenda nihil proficiant, nisi alieno magisterio regantur. Quodsi magnam ad ceteras disciplinas, at maiorem profecto ad actionis atque apostolatus officia animi docilitatem afferant oportet: quæ quidem officia, cum munus Ecclesiæ a Christo mandatum attingant, sancte utiliterque expleri nequeant, nisi demissis erga eos animis, quos Spiritus Sanctus *posuit episcopos regere Ecclesiam Dei* (1). Quemadmodum autem in paradiso terrestri, grandia atque incredibilia Satanas pollicitus, primos humani generis parentes, ab officio obedientiæ abductos, ad rebellandum Deo impulit, sic, sub libertatis obtentu, hisce temporibus, iuvenes corrumpit ad interitumque inani inflatos superbia trahit, quorum, contra, germana dignitas in una legitimæ auctoritati obtemperatione consistat. Iamvero Aloysius, quamvis, ob insignem prudentiæ laudem apud populum suum commendatus, magnam futuri principatus exspectationem commovisset et religiosis postea sodalibus ad summum Ordinis magistratum aptissimus aliquando fore videretur, unus tamen se ipse despiciens, humillimo obsequio cum dignitate coniuncto iis omnibus parebat, quicumque sibi, Domini sui ac Regis æterni vices gerendo, præficiebantur.

---

(1) *Act.*, xx, 28.

Ex sanctissima interim eiusmodi vitæ ratione, ad fidei lucem ac normam absolutissime exacta, præclaros iucundissimosque fructus percepit Aloysius; naturæ autem gratiæque dona inter se mirum in modum congruentia talem effecere, ut perfectam adulescentis formam exprimeret. Etenim, ob ingenii præstantiam ac fortitudinem, ob comitatem et suavitatem morum, nonne perfectius quiddam prætulit atque exhibuit? Iuvenis sane innocentissimus, qui, a quavis animi perturbatione vacuus, in una veri ac recti contemplatione perspicientiaque perpetuo defixus erat, quam singulari esset intellegentia acieque mentis, apparet prorsus, cum ex confectis studiorum bonarumque artium summa cum laude curriculis, tum ex disputationibus de re philosophica publicis unanimi cum assensione plausuque habitis, tum etiam ex scriptis — potissimumque ex epistulis — quæ quidem scripta, etsi haud frequentia, pro adulescentis ætate, sapienti rerum cognitione ac consideratione commendantur. Quæ autem in eo iudicii integritas subtilitasque eluceret, manifesto colligitur ex difficillimis negotiis, quæ, a patre sibi commissa, prudenter gessit expediitque feliciter, ex eoque haud minus arduo, quod, patre vita functo, cum Mantuæ Duce dynastam fratrem suum, simultatibus odiisque restinctis, reconciliavit. Nobilitatem præterea animi comitatemque morum prolixe cumulateque dilaudabant omnes, quotquot vel in consuetudine communis vitæ vel in luce ipsa regiæ domus cum eo versati sunt: dicimus cives ac famulos, principes dicimus aulicosque viros, ac potissimum Societatis moderatores ac sodales, quibus omnibus sui admirationem iniecerat. Verumtatem novimus, præcipua quadam ratione firmitatem animi constantiamque voluntatis in Aloysio enituisse; siquidem, inde a teneris unguiculis, parvulus ille Castelionensis principatus heres statuerat ac deliberaverat sanctitatem adipisci, quo in consilio animose fortiterque inito sic usque ad obitum perstitit, nihil ut unquam spirituales ascensiones, quæ cum prima rationis luce congruissent, aut retardaret aut interciperet. Ecquod igitur aliud liceat opportunius aptiusque iuvenibus — iis potissimum qui studiis dant operam — proponere exemplum, quod pro ætate intueantur ac sedulo imitentur? Hi enim, præterquam quod ad saniores solidioresqne doctrinas excolere mentes animosque debent, præterea et sapienti et tranquillo et æquabili

iudicio valeant oportet, ut recte de hominibus deque eventis existiment ac sentiant, neque aut falsis rerum imaginibus aut impetu mollitieve animi aut vulgari opinione se transversos agi patiantur ; eâ denique opus est ut benignitate ac suavitate emineant, quâ pacem in domestico convictu in hominumque societate tueantur ac provehant, et voluntatis firmitate et constantia, qua et se ipsi et proximos ad bonum regere queant.

Nec vero defuit in Aloysio mira quædam industria atque alacritas in ceterorum hominum utilitatem impensa, qua apostolatus ille continetur, in quem sæpius ætatem ingeniumque adulescentium ferri videmus. Quamquam enim præcipuum Gonzagæ assiduumque studium in ea positum erat cælestium rerum commentatione familiarique cum Deo consuetudine, quare ipsius vita dici recte poterat « abscondita cum Christo in Deo » (1), attamen crebro ex eius animo iam tum erumpebant apostolici ardoris igniculi, qui futuri quodammodo incendii flammas portenderent. Quo in genere, vix e puero egressus, rectis exemplis piisque colloquiis commonere omnes quibuscum ageret, atque, occasione oblata, ad virtutem inflammare ; cumque ætate aliquantum processisset, ad maiora exardescens, altissima quæque ac difficillima pro æterna animarum salute prospicere et apostolicas etiam ad hæreticos vel ethnicos expeditiones cogitare. Civibus autem Romanis spectaculo fuit Aloysius, cum, Conlegii Romani alumnus, plateas, compita, vicos circumiret Urbis, ut christianæ doctrinæ elementis puerulos ac pauperes erudiret ; testes iidem fuere heroicæ illius caritatis, qua is incensus, cum Urbs pestilentiâ conflictaretur, exitiali laborantibus morbo ministrabat : cuius quidem morbi cum semina concepisset, paucis post mensibus, annos vix quatuor ac viginti natus, tabe absumptus est. Atque hic etiam iuvenibus nostris patet sane latissimus campus, in quo actuose, Aloysio duce, versentur : scilicet ad imitandum sequendumque proponitur recti exempli via, honestorum eloquentia sermonum, sacrarum Missionum amor ac studium, christianæ doctrinæ institutio, multiplex denique caritatis excercitatio. Quibus quidem rebus si catholicorum iuvenum cohortes animos adiecerint, iam Aloysiani

(1) *Ad Coloss.*, III, 3.

apostolatus formam rettulerint apteque ad tempora accomodaverint; Aloysiani, inquimus, apostolatus, qui de cælo salutaris perseverat, nedum sit Gonzagæ morte præcisus atque interceptus. E beata enim cælestium sede, in qua eum Carmelitis illa virgo Magdalena e Pazzis, per visum, gloriose regnantem mirabunda conspexit; in qua ipsum item assidere, inter sanctos cælites per sollemne decretum numerando, fel. rec. decessor Noster Benedictus XIII, abhinc ducentis annis, declaravit; nunquam destitit Aloysius adulescentium potissimum ordines omnes in suam clientelam receptos benificiis cumulare. Idcirco sodalicia eorundem quamplurima Aloysii vel nomine censeri vel patrocinio gloriari; idcirco iuvenes utriusque sexus pæne innumerabiles, vestigia eius persecuti, pænitentiæ spinas cum innocentiæ liliis mirifice consociare; idcirco nobile quoddam veluti certamen Aloysium inter et christianam iuventutem exortum, uter superior exsisteret, isne cælestibus donis adulescentes augendo, an hæc Patronum cælestem venerando. Itaque nihil mirum si Romani Pontifices Aloysium iuventuti exemplum simul ac Patronum attribuerunt.

Quæ Nos quidem omnia recolentes, cum simus in primis de adulescentium optima institutione ac salute solliciti, hoc præsertim tempore cum ea plus solito periclitatur, ut præteritarum non modo recordatio rerum renovetur, sed etiam uberiora ab Aloysio bona proficiscantur, de more institutoque decessorum Nostrorum, præsertim Benedicti XIII ac Leonis XIII, iterum sollemniter confirmamus ac, quatenus opus sit, auctoritate Nostra apostolica declaramus Sanctum Aloysium Gonzagam Patronum cælestem christianæ iuventutis universæ. Hanc igitur lectissimam catholicæ familiæ subolem, in Aloysii tutelam fidemque convocantes, quo florentior in dies crescat ac vigeat, et, christianam fidem palam aperteque professa, morum innocentiam latius præferat, impense hortamur paternoque obsecramus animo, ut Aloysium intueatur atque imitetur, eundemque perpetuo colat atque invocet, per eas quoque pietatis exercitationes, unde — ut e precationibus per sex continuos dominicos dies habitis — tam multos, eosdemque haud mediocres, exstitisse fructus diuturna experientia docet.

Summopere interea lætamur, ab Consilio principe sæcularibus sollemnibus habendis ac promovendis, cui quidem Cardinalis Noster in Urbe Vicarius studiosissime

præsidet, id iuvenibus propositum, ut parent, dato aliquo sacris commentationibus spatio, pactum quoddam de christiana vita a se integre casteque ducenda, in scidis relatum, manu sua subscribere ac veluti iureiurando obfirmare : quæ quidem scidæ in volumina collectæ atque ab legatis universæ e catholico orbe iuventutis huc delatæ, postquam Romanus Pontifex eas quasi ratas habuerit, pietatis, memoriæque causa, in Ludovisiano templo deponantur, ubi veneranda Aloysii ossa requiescunt. Qua quidem re nihil ad generosam iuvenum naturam excitandam opportunius, quorum spiritualem ubique gentium renovationem sæcularis commemoratio cum auspicato intendat, tum paritura haud dubie videtur. Quotquot autem ingentis catholicorum iuvenum familiæ legati, ut diximus, stato ad celebrationem tempore, in hanc Almam Urbem convenient, eos, magnarum profecto rerum utilitatumque sponsores, perlibenter admissuri atque allocuturi sumus : quos quidem ipsos ad Aloysii sepulcrum cogitatione animoque comitabimur, rogantes, ut filioli Nostri universi tutelam cælestis Patroni cotidie validiorem experiantur.

Quandoquidem vero, uno eodemque die cum Aloysio coniunctim, in cælitibus sanctis Stanislaus Kostka numeratus est, qui paulo ante et in Societate Iesu vixerat et ad beatas sedes evolaverat, nostros decet adulescentes, per hanc ipsam rei faustitatem, in seraphicum iuvenem Polonum intueri quem Deus « inter cetera sapientiæ » suæ « miracula » talem effecit, ut « etiam in tenera ætate, maturæ sanctitatis gratiam » adeptus sit. Principe is quoque loco ortus, magno præditus excelsoque animo, cælesti castimonia florere et ad perfectissima quæque contendere ; fratri suo germano, urbaniori lautiorique homini, obsistere ac repugnare ; ex callidis hæreticæ hospitalis familiæ et vagorum intemperantiumque æqualium insidiis victor continuo exstare ; eucharistico epulo, haud semel per angelorum ministerium, recreatus ac roboratus, diuturna pedes itinera conficere, ut Deo ad altiora vocanti, ut Deiparæ ad Societatem Iesu aperte cienti, obsequeretur ; in Alma vero hac Urbe quasi ad tempus consistere, ut haud ita multo post, interiore caritatis flamma consumptus, cum duodeviginti haud amplius annos haberet, adhuc tirunculus, in æternam illam urbem Hierusalem, inter sanctos confessores minimus natu, ingrederetur. Stanislai profecto animi

fortitudinem et constantiam visus est Deus peculiari ratione rependere voluisse, innocentissimum collustrando adulescentem eo gloriæ splendore, ut is suam gentem, immo totum christianum nomen, in maximo eorum temporum discrimine, quod Turcarum incursiones facesserent, tutelâ suâ, quasi inexsuperabili quodam vallo, munierit. Ipsum autem patriæ suæ laboranti, vel mirabiliter, adfuisse, tam erat vulgo exploratum, ut Ioannes Sobieski, christianus ille Cæsar qui gravissima Vindobonam obsidione liberavit, affirmare non dubitaret, victorias suas non tam se armis quam Stanislai patrocinio debuisse.

Utinam cælites hi ambo, coniuncta inter se deprecatione, impetrent atque efficiant, ut iuventus nostra, utrumque æmulando, ad unam veramque christifidelium gloriam, idest ad pulcherrimam castimoniæ et sanctitatis laudem, et ardentius adspiret et citatiore gradu procedat.

Cælestium interea munerum auspicem paternæque caritatis Nostræ testem, tibi, dilecte fili, universis e Societate Iesu religiosis viris eorundemque alumnis, apostolicam benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum die XIII mensis iunii anno MDCCCCXXVI, Pontificatus Nostri quinto.

PIUS PP. XI.

# RESPONSA

## ad quæstiones in conferentiis mensis aprilis propositas.

—

### I.

### In Lucam, XVI, 1-9. — Homilia.

Q. *Expositis circa Evangelium Missæ dominicæ VIII^æ post Pentecosten* (Lc., XVI, 1-9) *explicationibus ad textum intelligendum requisitis et, intuitu homiliæ habendæ, lectioni Evangelii opportune præmittendis, paucis delinea schema homiliæ, cujus objectum sit : quomodo oporteat nos omnibus facultatibus a Deo nobis concessis, in specie divitiis hujus mundi, prudenter uti ad comparandam nobis salutem æternam.*

R. — *Explicationes ad intellectum Evangelii præparatoriæ* (1).

Venerat Jesus hominum salutem moriendo promereri eisque verbo et exemplo viam salutis manifestam facere. Noverat autem Judæorum — imo et omnium hominum — indolem ad possessionem divitiarum hujus mundi proclivem et quam instanter ab illo salutis et perfectionis impedimento eos avertere conatus fuerat (2). Ulterius autem progrediens, in hodierno Evangelio eos adhortatur ut easdem divitias adhibeant tamquam medium æternæ

---

(1) Historicum conspectum exegeseos hujus satis difficilis parabolæ exhibet A. Rücker, *Ueber das Gleichniss vom ungerechten Verwalter*, in *Biblische Streitfragen*, XVII, 5 (1912). — Vide etiam Fonck, *Die Parabeln des Herrn*, 3 ed., p. 675 ; Tillmann, in *Biblische Zeitschrift*, IX (1911), pp. 171 ss.

(2) Cfr *Mt.*, VI, 19-34.

salutis sibi assecurandæ. Quod præstat per parabolam in qua audiemus de homine divite, qui magnam suam negotiationem, signanter duarum mercium magni momenti, olei et frumenti, gerit per hominem quemdam intermedium, per sic dictum villicum seu dispensatorem seu œconomum (gr. οἰκονόμον) (1) ; hic autem, fiducia domini sui abutens, bona ipsius dissipat, vitæ voluptuosæ luxuosæque indulgens (2). Quo audito, dominus eum ad se mandat, munus ablaturus, exigitque ut, sane infra tempus non ita longum, quælibet documenta scripta, contractus, schedulas debitorias aliaque hujusmodi ad dominum afferat (3) : dies erit rationis reddendæ. Et en recogitat villicus, tempori suo futuro prospicere volens vitamque felicem et honorabilem ducere cupiens (4), modum agendi certiorem sibi decernit decretumque consilium exsecutioni mandat. Tempore sibi relicto, quantumvis brevi, solerter utitur, debitores domini sui mandat, et quidem singulos, forte ne unus alterum a cooperatione præstanda verbo aut exemplo retrahat ; schedulas debitorias, agnitiones debitorum ab ipsis olim conscriptas et signatas eis restituit (5) jubetque alias conscribi, ubi minora debita agnoscant ; in quo iterum apparet ejus solertia dum non omnia debita æquali modo, sed, sane pro variis adjunctis et signanter pro variis præsumptis dispositionibus debitorum, variis modis imminuenda proponit (6). — Hoc modo sperat villicus se, a munere suo dimissum, vagari non debere, sed ab eisdem debitoribus quibus benefecerit, receptum iri in eorum domibus. Et ecce, quod mirum videri potest, debitores assentiunt ;

---

(1) Fl. : *Rentmeester*, *toeziener* ; gall. *gérant*, *intendant*.

(2) Cfr v. 3 : Fodere non valet ; mendicare erubescit.

(3) Alium sibi villicum quæret dominus, cui negotia hujus infidelis, cum omnibus documentis, transmittet.

(4) Cfr v. 3.

(5) Hic videtur optimus modus acta villici nobis repræsentandi.

(6) Debitum pro 100 cadis olei (cadus = 20 lit.) imminuit ad 50 ; debitum pro 100 coris tritici (corus = 200 lit.) imminuit ad 80.

imo, quod magis mirum, ipse dominus, re audita laudat, i. e. admiratur (1) villicum iniquum de sua prudentia et solertia. Et tamen, ut, quasi inter parentheses, quasi alta voce recogitat ipse Lucas evangelista, v. 8b (2), neutrum mirum videri debet. Est enim villicus ille, est et dominus, sunt et debitores filii hujus sæculi, i. e. hujus mundi, homines mundani et principiis hujus mundi imbuti ; de legibus justitiæ et æquitatis nihil sunt solliciti et unum tantum intendunt finem, omnibus mediis assecurandum : vitam suam futuram commode et honorabiliter ducendam, — multo magis quam filii lucis, i. e. homines in Deo veritateque divina credentes, solliciti sunt de vita sua æterna assecuranda.

Modus ille agendi villici iniquus erat et injustus : et sane Jesus nequaquam eum approbabat aut auditoribus sub hoc respectu in exemplum proponebat (3). Attamen utile erat ipsis documentum, utile est et nobis, quatenus suo modo inculcat etiam nobis omnibus mediis, et signanter bonis temporalibus hujus mundi (4), esse solerter utendum in ordine ad salutem nostram æternam assecurandam.

---

(1) Nimis patet sensum non esse dominum *approbare* modum agendi sui villici, saltem in quantum sibi nocivi.

(2) Hæc altera pars v. 8 : *Quia filii hujus sæculi...* non videtur pertinere ad verba illius domini : illius hominis divitis non est ita distinguere inter filios sæculi et filios lucis ; nec videntur esse verba ipsius Jesu, quasi, ut sæpe dicunt auctores, prima quædam applicatio parabolæ ; nam obvio sensu applicatio incipit tantum in v. 9 : *Et ego vobis dico.* Unde videntur potius animadversio ipsius Lucæ in ordine ad explicandum mira illa facta debitores tam facile consentire villico et dominum laudare prudentiam illius ; est cæteroquin expressa forma omnino Paulina, cujus Pauli discipulus erat Lucas.

(3) Non plus approbat Jesus hunc modum agendi villici, quam ubi nos fures allegaremus qua noctes insomnes ducentes, ut aliquem exhortemur ad « horam sanctam » peragendam.

(4) Divitiæ vocantur a Jesu *mammona* — cujus vox incerta est etymologia et incertus sensus —, et additur : mammona *iniquitatis*, quia divitiæ sæpe ex injustitia aliisque peccatis ortum ducunt et quia facile possessores suos ad injustitiam aliave peccata omnigena deducunt.

Sequatur *lectio evangelii.*

*Applicatio.* — Quam merito hanc parabolam sensu latiori audiemus, non tantum de Judæis Jesu auditoribus, nec tantum de usu faciendo divitiarum hujus mundi, sed de usu quorumlibet bonorum nobis a Deo concreditorum ut iis salutem nostram operemur !

*Homo* ille *dives*, quis alius quam ipse Christus : ipsius enim est infinita ejus divinitas, ipsius est omnium rerum universitas. *Villicus* ejus sumus omnes nos, quibus omnibus concredit gerendum negotium salutis et administranda quam multa et quam maxime varia bona (1) : *bona naturæ*, tum *interna*, sive animæ, ut intellectus, voluntas, libertas, indoles, scientia, memoria, variæ aptitudines et virtutes naturales, sive corporis, omnes dotes et vires ipsius, forma, robur, sanitas, ætas, quinque sensus, — tum *externa*, ut sunt divitiæ, dignitas et potestas, honor, favor, quæcumque relationes et cognationes; — *bona gratiæ*, tum *interna*, ut sunt gratia sanctificans, virtutes et dona infusa et tot gratiæ actuales, tum *externa*, ut sunt angeli custodes et patroni, ipsa Ecclesia quæ, ut mater, nos amplectitur et fovet, sacramenta et sacramentalia, prædicationes et lectiones, superiorum monita et bonorum exempla etc. ; tandem omnium illorum bonorum quasi substratum et eadem administrandi communis conditio, pretiosissimum *tempus*.

Hæc omnia credidit nobis Jesus, ut, tamquam dispensatores fideles (2), animæ nostræ proximorumque saluti allaborantes, simul ipsius Deique interesse et gloriæ provideamus. Unde *dissipamus bona ipsius* ubi ad Dei offensam, proximorumque aut nostram perniciem spiritualem ea adhibemus. — At *diffamamur*, denuntiamur apud Jesum : peccata ipsa nostra clamant ad eum ; conscientia nos vituperat ; reprehendunt justi, assentiunt iniqui ;

---

(1) Bona nulla tam pleno sensu *nostra* sunt ut non sint nobis data a Deo et de eorum administratione ratio Deo nobis reddenda non sit.

(2) Cfr *I Cor.*, IV, 1 s.

deferunt diabolus et angeli ; legit ipse Jesus scientia sua infinita.

Et ecce *vocat nos* Dominus : resonat in corde nostro vox conscientiæ propriæ ; monemur gratia Jesu interna ; monemur doctrina ministrorum Ecclesiæ, superiorum aut aliorum quorumvis : monemur beneficiis aut flagellis divinis, senectute aut infirmitate, etc. — Monemur *de reddenda ratione* ; de morte adventante, de judicio ex improviso adventuro. Et tunc actum erit de merenda salute : *jam non potero villicare ;* laborare amplius non potero : *fodere non valebo ;* nec quisquam poterit nos adjuvare : *mendicandum non erit.*

Sed nondum advenit momentum : ut villico evangelii, ita Jesus nobis adhuc relinquit tempus assecurandi vitam nostram futuram æternam ; adhuc relinquit bona sua in manibus nostris ut iis saluti provideamus.

Ne simus, in re tanti momenti, minus prudentes quam homines hujus mundi : sumus nos filii lucis, illi tenebrarum ; nos veritatem habemus, nos gratia Dei illustramur et doctrina Jesu ! Ut villicus evangelii *dicamus intra nos*, recogitemus, meditemur ; *sciamus quid faciamus*, decernamus quid intuitu salutis sit agendum ; et *illud* quoque, quod viderimus faciendum, invitis omnibus difficultatibus, *faciamus.*

Signanter, ut villicus evangelii : *a/* utamur tempore hujus vitæ, brevissimo forte, ast pretiosissimo... ; *b/* utamur divitiis hujus mundi, in pauperes, in necessitates Ecclesiæ, in opera bona, amicos nobis facientes qui in cælum nos introducant : nonne pauperum est regnum cælorum, ita ut ipsi possint nobis præparare locum in æternis tabernaculis cæli ? nonne quod indigentibus facimus, Christo facimus, ita ut ipse certe nos recepturus sit in cælum ? — *c/* debitoribus nostris dimittamus debita, ut et nobis dimittat Jesus ; — *d/* omnibus bonis a Jesu nobis commissis utamur ad bonum faciendum aliis, ad salutem nostram operandam.

Utinam intuitu salutis nostræ et gloriæ divinæ faciamus,

vel partim saltem, quod faciunt homines mundani — nonne et quod facimus nosipsi ? — intuitu rerum temporalium, divitiarum, honorum, voluptatum, imo intuitu mali promovendi ! Et quando venerit tandem dies rationis reddendæ, dies judicii, *laudabit nos Dominus* æternaque coronabit corona gloriæ. A. VANDER HEEREN.

## II.

## De beatitudine cœlesti.

Q. *Explicando paucis evolve responsum catechismi de gaudio cœlesti.*

R. — 1/ In lectione quadragesima prima ad septimum quærit catechismus noster « in quonam consistat maximum gaudium cœlorum », et responsum sic sonat : « in visione Dei faciali et in fruitione omnis boni in Deo », quod theologi una locutione plerumque enuntiant, quando præmium essentiale cœleste vocant *visionem beatificam*, seu visionem Dei quæ perfecte beatum facit.

Secundum sententiam s. Thomæ, *beatitudo*, generatim considerata, consistit *essentialiter in operatione intellectus*, qua bonum adipiscimur (1) ; ad voluntatem vero pertinet delectatio seu gaudium de bono possesso, atque hæc *delectatio in voluntate consequitur* ad bonum possessum per actum intellectus, sicut accidens proprium consequitur ad essentiam (2), adeoque « ipsum gaudium est *consummatio* beatitudinis » (3).

---

(1) Cfr *Sum. theol.*, I-II, q. 3, a. 4, c. coll. *Summa contra gentiles*, III, 25 s. et adverte agi *de beatitudine formali* ; lege ILL. AC REV. WAFFELAERT, *Disquisitio dogmatica de unione justorum cum Deo tum in hac vita tum in vita æternum beata*, n. 63 apud *Collat. Brugen.*, XVI, p. 88 s.

(2) *Sum theol.*, I-II, q. 3, a 4, c. coll. q. 2, a. 6, c.

(3) *Ibidem*, q. 3, a. 4, c. ; itaque, uti auctores quidam loquuntur, pertinet gaudium ad *essentiam physicam* beatitudinis, sed hujus *essentia metaphysica*, seu « esse beatitudinis », ut dicit s. Thomas, consistit in sola visione intuitiva.

Ubi de beatitudine *cœlesti* dicit, Angelicus iterum *totam ejus essentiam* in *sola visione* Dei reponit (1); porro, viso Deo, omne bonum possident beati, utpote supremum bonum adepti per hanc visionem *vere beatificam*; consequenter vero ad hanc adeptionem supremi boni per actum intellectus, in voluntate sua de hoc bono possesso gaudent et delectantur, ac in fine obtento conquiescit eorum voluntas (2).

Cum gaudium cœleste non faciat difficultatem, sufficiat indicasse quomodo se habeat ad visionem facialem (3), quam in sequentibus penitius explicamus (4).

2/ *Doctrina catholica* de visione Dei intuitiva breviter et dilucide a Benedicto XII hisce verbis proponitur : « Hac in perpetuum valitura constitutione auctoritate apostolica definimus : quod .. animæ sanctorum omnium vident divinam essentiam visione intuitiva et etiam faciali, *nulla mediante creatura in ratione objecti visi* se habente, sed divina essentia *immediate* se nude, clare et aperte eis ostendente, quodque sic videntes eadem divina essentia perfruuntur, necnon quod ex tali visione et fruitione eorum animæ... sunt vere beatæ, et habent vitam ac requiem æternam » (5).

---

(1) *Sum theol.*, I, q. 12, a. 1 s. et cfr ILL. AC REV. WAFFELAERT, *o. c.*, n. 63. p. 88 s.

(2) *Sum. theol.*, I-II, q. 3, a. 4, c. coll. q. 2, a. 8 et q. 4, a. 1, s.

(3) Adverte catechismum in quæstione interrogare de gaudio, in responsione vero describere imprimis visionem, ad quam maximum gaudium consequitur.

(4) Aliæ sententiæ præcipuæ sunt J. D. SCOTI, *Quæst. in lib. IV Sent.*, dist. 49, a. 4 et 5 (in ed. Antverpiæ, 1620, p. 512 s. et p. 517), qui reponit beatitudinem essentialiter in actu voluntatis et s. BONAVENTURÆ, *Com. in lib. IV Sent.*, dist. 49, p. 1, a. 1, q. 5 (ed. Lugduni, 1668, p 532), qui eamdem reperit in actibus intellectus et voluntatis simul.

(5) BENEDICTUS XII, constit. « *Benedictus Deus* », 29 junii 1336 (*Enchir.*, 530) et cfr *Conc. florentin.*, œcum. XVII, in decreto pro Græcis, a. 1439 (*Enchir.*, n. 693) necnon prop. 38 seq. A. de Rosmini damnatas sub Leone XIII per decretum S. Officii, 14 dec. 1887 (*Enchir.*, n. 1928 s.).

Statuit insuper concilium viennense: « Anima indiget *lumine gloriæ*, ipsam elevante ad Deum videndum et eo beate fruendum » (1).

Unde : *a*/ visio Dei facialis seu intuitiva est actus intellectus (2) elevati et confortati per lumen gloriæ, quo Deus cognoscitur immediate in se, « sicuti est » (3), analoga ratione ad modum quo seipsum cognoscit et exinde perfecte beatus existit (4).

Igitur lumen gloriæ non est id quo Deus cognoscitur, sed *id quo* Deus cognoscitur in visione faciali est *ipse Deus* (5). Lumen autem gloriæ est habitus supernaturalis, intellectui creato intrinsece infusus et inhærens, quo hic

---

(1) *Conc. viennen.*, a. 1311-12, œcum. XV (*Enchir.*, n. 475), ubi damnatur propositio contradictoria huic quam recitamus ; attende prop. 36 seq. A. de Rosmini (*Enchir*, 1926 s.), quæ erronee hoc lumen explicant.

(2) Cfr *Sum. theol.*, I, q. 67, a 1, c., ubi legitur : *nomen visionis* « primo impositum est ad significandum actum visus, sed propter dignitatem et certitudinem hujus sensus, extensum est. .. etiam ad cognitionem intellectus » ; dicitur visio *facialis*, secundum verbum Apostoli (*I Cor.*, XIII, 12), et *intuitiva* ut significetur eam esse omnino claram et immediatam, ut in textu explicatur. — *Sum theol.*, I, q. 12, a. 3 coll. III, suppl., q. 92, a. 2, probatur Deum non videri nec videri posse oculis corporalibus ; itaque observa quomodo priore loco, ad 1, explicet s. Thomas verba Scripturæ : « In carne mea videbo Deum meum » et ad 2 dicat de præmio accidentali, quando post resurrectionem beati videbunt oculis suis mundum renovatum et corpora gloriosa sanctorum omnium.

(3) *I Jo.*, III, 2 et lege interpretationem hujus textus apud *Sum. theol.*, I, q. 12, a 6, ad 1.

(4) Cfr *Sum. theol.*, I, q. 26, a. 1 s.

(5) Cfr *Sum. theol.*, I, q. 12, a. 2 coll. III, suppl., q. 92, a. 1, c. et *Summa contra gentiles*, III, 51 : « Ostensum est supra (III, 49) quod divina substantia non potest videri per intellectum in aliqua specie creata ; unde oportet, si essentia Dei videatur, quod per ipsammet essentiam divinam intellectus ipsam videat, ut sic in tali visione divina essentia sit et *quod* videtur, et *quo* videtur », seu *quasi species impressa*. Sic itaque intellige JUNGMANN, *Tract. de novissimis*, n. 144, ubi lumen gloriæ dicit « veluti medium ad videndum Deum » et adverte *Sum. theol.*, I, q. 12, a 5, ad 2, in ed. critica romana legi hoc lumen esse *medium sub quo*, sicut lumen intellectuale in nobis quandoque dicitur medium sub quo cognoscimus ; in quibusdam aliis editionibus, ita in taurinensi, legitur eodem loco lumen gloriæ esse *medium quo*, quod minus cum doctrina s. Thomæ certa cohæret.

fit habilis ut immediate uniatur cum Deo, qui *quasi species impressa* intellectum sic confortatum ad sui intuitionem determinat (1).

Dicitur hic habitus *lumen*, ex analogia quam habet ad lumen naturale, et lumen *gloriæ*, quia ad glorificationem hominis facit. Sedulo tamen nota : dum lumen naturale recipitur *in re corporali*, ut hæc sic illuminata *fiat visibilis*, contrà lumen gloriæ recipitur in *ipsa facultate* (2) ; etenim Deus est *summe intelligibilis*, et ideo omni intellectui creato « inintelligibilis » (3), adeoque indiget facultas lumine gloriæ, quo « aliquam divinam similitudinem participet » (4), aliquam deiformitatem acquirat (5) et sic potens fiat ad Deum intuitive cognoscendum.

*b*/ Objectum visionis facialis, seu *id quod* sic immediate cognoscitur, est iterum *ipse Deus in se* (6), unus et trinus (objectum primarium) ; insuper in Deo cognoscuntur

---

(1) Non datur itaque in visione Dei faciali *species impressa*, sed uti exponit ILL. AC REV. WAFFELAERT, *o. c.*, n. 73, p. 168, ipsum Verbum ad instar speciei impressæ unitur intime intellectui creato ; n. 75 s., p. 171 s. vide disputationem de specie expressa in visione beatifica et cfr VANDER MEERSCH, *Tract. de Deo*, n. 304, p. 264 s., Brugis, 1917.

(2) *Sum. theol.*, I, q. 12, a. 5, ad 1 : « Dicendum quod lumen [gloriæ] creatum est necessarium ad videndum Dei essentiam ; non quod per hoc lumen Dei essentia intelligibilis fiat, quæ secundum se summe intelligibilis est, sed ad hoc quod intellectus fiat potens ad intelligendum » et adverte in quibusdam editionibus, ita rursus in taurinensi, legi : « secundum se inintelligibilis », quod contradicit doctrinæ, quam Angelicus, totidem verbis proponit et vindicat in ejusdem quæstionis articulo primo.

(3) *Sum. theol.*, I, q. 12, a 1, c. et hoc probat Aquinas ex eo quod Deus est actus purus.

(4) *Contra gentiles*, III, 53 ac nota ipsam facultatem dici *similem Deo* et non agi de similitudine seu specie in facultate recepta.

(5) *Sum. theol*, I, q. 12, a. 2 et a. 6, ubi explicite dicitur facultatem in deiformitate constitui.

(6) Cfr *Summa contra gentiles*, III, 51 et ILL. AC REV. WAFFELAERT, *o. c.*, n. 73, p. 169 : cum Verbum unitur intellectui creato, « huic manifestat Patrem et se, adeoque Spiritum sanctum ab utroque procedentem.... Unde videtur per Verbum et divina essentia et videntur processiones æternæ et divina personarum Trinitas ».

*alia a Deo* (objectum secundarium), et quidem *per ipsum Deum visum*, non autem per species creatas (1), itaque adhuc *omnia simul*, et non successive (2).

Attamen nullus intellectus creatus videndo Deum, potest Deum *comprehendere*, seu cognoscere tantum quantum est cognoscibilis ; hoc enim est solius Dei (3). Et revera ad videndum Deum indiget intellectus creatus lumine gloriæ ; « cum [autem] lumen gloriæ creatum in quocumque intellectu creato receptum, non possit esse infinitum, impossibile est quod aliquis intellectus creatus Deum infinite cognoscat. Unde impossibile est quod Deum comprehendat » (4). Hinc etiam, quoad alia a Deo, « intellectus creatus videndo divinam essentiam, non videt in ipsa omnia quæ facit Deus, vel facere potest » (5).

Nihilominus omnes beati vident *Deum totum* licet *non totaliter* (6) ; vident et possident *infinitum bonum* eoque fruuntur, quamquam *non* hac *infinita ratione*, quæ soli Deo competit, itaque, secundum conditionem suam creaturæ, perfecte sunt beati et consequenter in voluntate sua perfectum habent gaudium, quoniam appetitus eorum perfecte quietatur (7).

H. Lamiroy.

---

(1) Cfr *Sum. theol.*, I, q. 12, a. 9, c. coll. *Quæst. disp. de veritate*, q. 8, a 5.

(2) *Sum. theol.*, I, q. 12, a. 10, c. coll. *Summa contra gentiles*, III, 60.

(3) Cfr *Collat. Brugen.*, XXIV, p. 143.

(4) *Sum. theol.*, I, q. 12, a. 7, c. coll. *Contra gentiles*, III, 55 et *Collat. Brugen.*, III, p. 428 s

(5) *Sum. theol.*, I, q. 12, a. 8, c. coll. III, suppl., q. 92, a. 3, c. et *Contra gentiles*, III, 55. — Communiter admittunt theologi singulos beatos in Deo cognoscere omnia, quæ ad ipsos spectant, et quorum cognitione eorum beatitudo promoveri potest ; cfr *Contra gentiles*, III, 59.

(6) Cfr ILL. AC REV. Waffelaert, *o. c.*, n. 66, p. 93 coll. *Sum. theol.*, I, q. 12, a. 6, ad 3 et a. 7, ad 3.

(7) Cfr *Summa contra gentiles*, III, 63 et *Collat. Brugen.*, III, p. 430 s. necnon Vander Meersch, *Tract. de Deo*, n. 308, p. 268.

## III-IV.

### Casus de impedimentis consanguinitatis et affinitatis.

Q. *Titius et Caius, duo fratres, duxerunt respective Titiam et Caiam, duas sorores. Titia vero non est baptizata.*

1/ *Mortua Titia, Titius matrimonium init cum Paula, filia Caii et Caiæ. Quænam requiruntur dispensationes ?*

2/ *Mortuo Caio, Caia matrimonium contrahit cum Paulo, filio catholico Titii et Titiæ. Quænam requiruntur dispensationes ?*

R. Ad I^um^.

Statim apparet impedimenta quæ forsan obstare possunt esse impedimentum *consanguinitatis* et *affinitatis*.

Consanguinitas enim fundatur in *communione sanguinis*. Jamautem, hæc communio certe existit inter Titium et filiam fratris ejus

Præterea, Titius est *viduus* et Paula est *consanguinea*, per matrem suam Caiam, cum Titia, uxore Titii defuncta et sorore Caiæ. Statim itaque cogitamus de affinitate quæ existere potest inter viduum et consanguineos defunctæ compartis.

Attamen, fundamentum affinitatis est matrimonium validum simul et *ratum*. Porro, in casu proposito dicitur Titiam non esse baptizatam. Hæc animadversio sane non est ratio in dubium vocandi valorem matrimonii, quod potuit cum dispensatione in disparitate cultus valide contrahi. Sed quæstio ponitur an matrimonium illud *ratum* fuerit.

Etenim, in can. 1015 matrimonium ratum dicitur, sine addito matrimonium *baptizatorum*. Qua de causa, saltem (1) dubium est dubio juris an matrimonium inter cultu dispares fundamentum sit affinitatis, adeoque non est attendendum impedimentum ex hac parte, quia in

(1) Cfr *Collat. Brugen.*, XX (1920), p. 400.

dubio juris Ecclesia non urget suas leges, etiam si sint irritantes.

Supponimus tamen Titiam non esse baptizatam post suum matrimonium cum Titio, quia baptismo Titiæ matrimonium eo ipso factum esset sacramentum et proin ratum.

Hisce præmissis, sequenti schemate apparet matrimonio Titii cum Paula obstare 1/ impedimentum *consanguinitatis* in 2° gradu tangente 1m, eo quod Titius est patruus Paulæ ; 2/ in solo casu quo Titia post suas nuptias sit baptizata, impedimentum *affinitatis* similiter in 2° gradu tangente 1m, eo quod defuncta uxor Titii erat matertera ejusdem Paulæ.

En schema, in quo communis stipitis indicandi gratia, introducimus Petrum, ut patrem Titii et Caii, Joannem vero ut patrem Caiæ et Titiæ.




Ad IIm.

Ex supradictis et schemate dato pariter apparet matrimonio inter Caiam et Paulum obstare 1/ impedimentum *consanguinitatis* in 2° gradu tangente 1m, eo quod Caia est matertera Pauli ; 2/ impedimentum *affinitatis* pariter in 2° gradu tangente 1m, eo quod Caius, defunctus maritus Caiæ, erat patruus ejusdem Pauli.

Adverte matrimonium inter Caium et Caiam fuisse ab initio ratum, utpote matrimonium baptizatorum.

V. Coucke.

## V.

## De exercitio viæ crucis (1).

Q. *Quænam conditiones requiruntur ad lucrandas indulgentias viæ crucis : 1° in exercitio privato a singulis fidelibus peracto, 2ª in exercitio collectivo viæ crucis ?*

R. — *Prænota de indulgentiis exercitio viæ crucis adnexis.*

« Non publicetur ex pulpitis aut alia forma, multoque minus scribatur in.... stationibus certus et determinatus numerus indulgentiarum lucrandarum.... et.... sat erit dicere, quemcumque.... hoc sancto exercitio.... consecuturum easdem indulgentias quas consequeretur, si personaliter visitaret stationes viæ crucis in Jerusalem » (2).

Omnes indulgentiæ V. C. sunt *defunctis applicabiles*, ut concludi debet ex eo jam quod exercitium V. C. in *Raccolta* recensetur (3).

Ad quæstionem utrum hæ indulgentiæ *toties* in die lucrifieri valeant, *quoties* hoc exercitium iteratur, respondit s. Congregatio Indulgentiarum id ex documentis non constare (4).

I. — *Conditiones requisitæ ad lucrandas indulgentias in exercitio viæ crucis a singulis peracto* sunt motus localis

---

(1) Cfr opera supra citata, hoc tomo p. 131.

(2) *Monitum 9m. Decr. auth.* n. 100. Circa indulgentias in decursu temporum a ss. Pontificibus huic exercitio concessas vide Beringer-Steinen, *Die Ablässe*, t. I, p. 350 ss., n. 748 ss. Cfr A. Janssen, apud *Ons geloof*, t. VII, 1921, p. 193 ss., 241 ss. ; *Raccolta*, ed. 1886, p. 111 dicit hoc exercitium ditatum esse plurimis indulgentiis.

(3) Benedictus XIII, 3 martii 1726 in bulla *Inter plurima*, explicite concessit ut indulgentiæ viæ crucis essent applicabiles animabus purgatorii. Cfr Beringer-Steinen, *o. c.*, t. I, p. 351, n. 748.

(4) Cfr *Collat. Brugen.*. t. IV, 1899, p. 307 ss. ubi concludit C. Callewaert indulgentiam (s) plenariam (s) viæ crucis semel tantum in die acquiri posse. Cfr Beringer-Steinen, *o. c.*, t. I, p. 353 sq., n. 752, et p. 92, n. 174. Quoad indulgentias partiales nullum dubium est eas posse pluries de die obtineri, quum contrarium non sit expresse statutum. Cfr can. 928 § 2.

ab una statione ad aliam, visitatio omnium stationum continua et meditatio Passionis D. N. J. C.

1/ *Motus localis* ab una statione ad aliam *semper* requiritur quando a fidelibus *singulatim* via crucis instituitur, nam etiam « in magno populi concursu, maxime cum ecclesia repleta et compressa sit devotis » non possunt christifideles sine corporis motu de loco in locum indulgentias V. C. lucrari, nisi obtento speciali indulto (1). Et ideo monentur fideles ut a via crucis peragenda abstineant tempore divinorum officiorum, missæ, uti etiam quando talis sit in ecclesia populi concursus ut V. C. peragi nequeat absque tumultu ac perturbatione (2). — Adverte nullam genuflexionem esse de necessitate præscriptam.

2/ *Visitatio quatuordecim stationum continua*, seu uno tractu facta, sine *notabili* interruptione (3). Hinc quæcumque modica interruptio aut imo longior interruptio ex causa religiosa, puta ad audiendum sacrum, ad sumendam ss. Eucharistiam, ad confessionem instituendam, non obstat continuitati exercitii V. C. neque impedit obtentionem indulgentiarum, si exercitium postea absolvatur (5).

3/ *Meditatio Passionis D. N. J. C.* et quidem *quantumvis brevis* (5), ac *secundum uniuscujusque capacitatem* (6).

Non ergo requiritur consideratio de singulis stationibus in specie, sed sufficit meditatio de Passione in genere ; nec sufficit oratio vocalis ad singulas stationes repetita. Neque etiam requiritur confessio et s. communio ad

---

(1) Cfr decr. 26 febr. 1841, *Decr. auth.*, n. 287. Vide exempla talis indulti apud Beringer-Steinen, *o. c.*, t. I, p. 347 sq., 739.

(2) *Monitum* 7m. *Decr. auth.*, n. 100.

(3) Cfr decr. 22 jan. 1858 ad I. *Decr. auth.* n. 385, coll. decr. 16 dec. 1760 ad IV. *Ibid.*, n. 223.

(4) Cfr decr. modo citatum, *Decr. auth.*, n. 223 ad IV. Cfr Stein, *Tractatus de indulgentiis lucrandis*, p. 36.

(5) *Monitum* 6m *et* 9m. *Decr. auth.* n. 100.

(6) *Raccolta*, p. 111.

indulgentias V. C. lucrandas. Recitatio precum vocalium quæ sive in communi sive in privato exercitio V. C. usurpari solent, ut sunt actus contritionis ante V. C., *Adoramus Te Christe etc.*, *Pater*, *Ave*, *Miserere nostri* etc. ad singulas stationes, sex Pater, Ave et Gloria post V. C. est quidem laudabilis consuetudo, minime vero necessaria conditio ad indulgentias V. C lucrandas (1).

II. — *Conditiones requisitæ in exercitio collectivo viæ crucis.*

Sicut in exercitio singillatim instituto, ita et in exercitio collectivo, necessario requiritur visitatio continua 14 stationum et meditatio Passionis juxta superius dicta. De sola prima conditione, motu scilicet locali ab una statione ad aliam, quædam specialia sunt notanda.

Regula generalis est : « transeundum esse ab una statione ad aliam, in quantum sinit aut multitudo personarum... aut angustia loci..... » (2).

In specie autem ita statutum est : 1/ pro exercitio *publico*, id est quod ad modum publicæ functionis, præeunte sacerdote, instituitur.

« Pro publico exercitio V. C., quando perturbatio excitari potest observetur methodus a P. Leonardo a Portu Mauritio proposita, ut videlicet unoquoque de populo suum locum tenente, sacerdos cum duobus clericis sive cantoribus circumeat (3), ac sistens in qualibet statione,

---

(1) Cfr *Monitum* 6m *l. c.*, *Raccolta*, p. 111, decr. 2 jun. 1838, *Decr. auth.*, n. 259, coll. decr. 20 jun. 1836, ad II, *ibid.* n. 257. Cfr Beringer-Steinen, *o. c.*, t. I, p. 349, n. 741. Quum autem, ut quis sibi lucretur indulgentias, requiratur status gratiæ, et, ut plene indulgentiam plenariam obtineat, voluntas nulli peccato adhærere possit, inde patet quandonam et in quantum necessarius esse possit actus contritionis in exercitio V. C. tamquam conditio ad lucrandas indulgentias.

(2) Cfr decr. 26 febr. 1841. *Decr. auth.* n. 287 et *Monitum* 7m, *ibid.* n. 100: « ubi nullum adsit impedimentum, singulæ stationes sunt singillatim visitandæ ».

(3) Adverte iterum nec ex parte fidelium, nec ex parte sacerdotis exigi genuflexionem,

ibique recitans peculiares consuetas preces, ceteris alternatim respondentibus » (1).

Hoc casu ne quidem requiritur ut fideles, pro more, ad singulas stationes sese vertant ac genuflectant : hoc tamen suadendum videtur.

In casu tantum quo ob ecclesiæ amplitudinem aut alia loci adjuncta vix aut ne vix quidem audiri possit sacerdos visitans singulas stationes, possunt consuetæ preces recitari a sacerdote e suggestu, *dummodo alius sacerdos cum duobus clericis aut cantoribus circumeat et in qualibet statione sistat.* « Servata hac conditione, quæ pro via crucis censenda est substantialis, adquiri poterunt indulgentiæ quin specialis gratia ad id concedatur » (2).

2/ Pro exercitio *communi* in domibus religiosorum et religiosarum.

Ob angustiam loci, sequens methodus servari potest in exercitio V. C. collective peragendo in sacellis domorum communitatum religiosarum, ut loco sacerdotis cum duobus clericis, unus tantum e fratribus, aut respective una ex sororibus circumeat, sistat in qualibet statione, suetasque preces recitet (3). Hoc autem indultum non fuit abrogatum, ut nobis omnino videtur, per decretum s. Officii, 24 juli 1912 (4), nec per declarationem ejus in decreto s. Pœnitentiariæ 14 decembris 1917, ad VI (5).

---

(1) Decr. 6 augusti 1757 ad II. *Decr. auth.*, n. 210. Non tamen ad lucrandas indulgentias requiritur ut quis respondeat his precibus : sufficit ut interea meditetur de Passione.

(2) Cfr rescriptum S. C. de Propaganda Fide, 1 martii 1884, citatum apud MOCCHEGIANI, *Collectio indulgentiarum*, p. 551, n. 1231. Cfr BERINGER-STEINEN, *o. c.*, t. I, p. 347, n. 738, STEIN, *o. c.*, p. 36.

(3) Cfr decreta S. C. Indulg. respective 27 februarii 1901 et 7 maii 1902. Hoc ultimum vide apud *Collat. Brugen.*, t. VII, 1902, p. 487.

(4) Cfr *Collat. Brugen.*, t. XVII, 1912, p. 682 sq.

(5) Cfr *ibid.*, t. XX, 1920, p. 152 ubi statuitur decreto s. Officii in textu memorato non esse abolitas concessiones quibus permittitur, in stationibus singulis rite visitandis, ut multitudo populi fidelis in suo loco consistat, ibique pro qualibet statione assurgat tantum et genuflectat. Immerito autem ex hoc responso concluderetur genuflexionem esse de necessitate prascriptam.

*Nota.* — Utrum vero indultum pro religiosis extendi possit ad quemvis cœtum fidelium laïcorum communiter viam crucis instituentium, ita, ut loco sacerdotis, aliquis laïcus aut religiosus aut religiosa circumire possit, reliquis locum suum tenentibus, dubium nobis videtur (1).

A. Legrand.

## VI.

### De obligatione ritus sepulturæ sacræ.

Q. *Interpretando can. 1215 determina ambitum obligationis concedendi fidelibus defunctis ritum sepulturæ sacræ.*

R. — Quo melius determinatio hujus obligationis perspiciatur præmittitur textus can. præcitati, in quo hæc obligatio, quæ utique in Ecclesia semper in praxim deducta fuit, nunc primo lege universali scripta statuta est. Ait canon : « *Nisi gravis causa obstet, cadavera fidelium, antequam tumulentur, transferenda sunt e loco in quo reperiuntur, in ecclesiam ubi funus, idest totus ordo exsequiarum quæ in probatis liturgicis libris describuntur persolvatur* ».

Quæstioni autem positæ satis faciemus duo explicando : speciem nempe *obligationis*, et *ejusdem objectum* seu ea quæ comprehendit hæc obligatio. Et ideo :

1/ *De ipsa obligatione* agimus. Hujus autem apud omnes notitia plena in promptu erit, quando a/ ejus gravitas, b/ subjectum cui incumbit, et c/ causæ quæ ab illa excusare possunt determinata fuerint. Quapropter :

*a/ Per se gravis obligatio* est transferendi corpora fidelium defunctorum, antequam tumulentur, e loco in quo reperiuntur ad ecclesiam, ut ibi funus peragatur secundum ritus in libris liturgicis præscriptos.

*Ratio* autem cur hæc obligatio per se gravis dicenda

(1) Cfr H. Beyersbergen, apud *Nederlandsche katholieke stemmen*, 1923, p. 164 ss.

videatur, inde desumitur *primo* quod ipse legis textus « gravem causam » exigit ut ab illa adimplenda excusatio habeatur ; *secundo* quod hi ritus delationis ad ecclesiam, funeris et depositionis sunt antiquissimi in Ecclesia, ita ut pluries inculcaverit Sancta Mater Ecclesia urgentem necessitatem pro parochis « illos tamquam vera religionis mysteria christianæque pietatis signa et fidelium mortuorum suffragia summo studio servandi atque usu retinendi (1) » ; *tertio* quod decreta romana ut abusus ab episcopis omni ope evellendos reprobavit usus corpora fidelium directe ad cœmeterium ducendi (2) ; *quarto* quod auctores ad hanc gravitatem admittendam concordes inveniuntur (3). Porro hæc obligatio nostris præsertim temporibus gravius urget, cum « perversi homines diabolicos conatus adhibeant, ut cultuï christiano defunctorum, quo dogmata de immortalitate animæ, de resurrectione corporum, de communione sanctorum tam efficaciter inculcantur, cultus quidam atheisticus et paganus substituatur » (4).

*b/ Subjectum* vero seu personæ quibus dicta obligatio incumbit, sunt *præprimis* omnes et *singuli fideles* quatenus prædeterminare prohibentur ne sine sepultura ecclesiastica humentur ; et ideo nulli catholico licet huic sepulturæ renuntiare, quamvis utique sepulturæ cum pompa faciendæ cuicumque valedicere fas sit. Unde graviter et districte, licet implicite tantum, reprobantur pro fidelibus sic dictæ « exsequiæ civiles » in quibus nempe nullus ritus ab Ecclesia præscriptus adhibetur. Clausula vero ultimæ voluntatis huic obligationi contraria

---

(1) *Rit. rom.*, tit. VI, cap. I, n. 1.

(2) *Decr. authen.*, n. 3291.

(3) Cfr VERMEERCH-CREUSEN, *Epitome juris canonici*, t. II, n. 526 ; A. DE MEESTER, *Compendium juris canonici*, t. III, n. 1184 ; G. COCCHI, *Commentarium in codicem j. can.*, t. V, n. 55 ; A. BLAT, *Commentarium in cod. j. can* , t. III, n. 73 ; MATTHÆUS A CORONATA, *De locis et temporibus sacris*, p. 156 etc.

(4) Cfr *Conc. prov. mechl.*, decr. n. 298.

tamquam non adjecta omnino est habenda, cum privata voluntas jus publicum de hac re mutare nequeat.

Hæc obligatio *ulterius* respicit familiam hæredesque defuncti, omnesque sacerdotes ad quos cura defunctorum, præprimis pauperum, pertinet.

*c/ Excusat* a gravi illa obligatione *causa gravis*, qualis est pestis grassans, lex civilis prohibens, bellum sæviens ; *gravior* causa requiritur ut excusatio detur ab omissione totius ordinis funerum quam solum a parte ; imo ad pensandam causam excusationis inter varias funerum partes distinguendum est cum non omnes, ut patebit ex infra dicendis, æquo urgeant.

2/ *Obligationis objectum seu ea quæ hæc obligatio comprehendit* determinare possumus, imo debemus, ad invicem conferendo varia Ritualis Romani præscripta et documenta S. C. Rituum ad hanc materiam spectantia. Inspecto enim solo canonis textu videretur sub obligatione cadi « totus exsequiarum ordo », quod aperte contradicit Rituali Romano, in quo hinc prædictus textus can. 1215 resumitur, hinc vero variæ rubricæ clare ostendunt non omnes exsequiarum partes æquo gradu esse persolvendas.

Quæ omnia in aperto erunt cum indicaverimus: *a/* quid veniat nomine exsequiarum, *b/* quænam circa varias funeris partes præscribantur.

Et ideo *a/ nomine exsequiarum* quæ olim vocabantur *agenda defunctorum*, intelligitur complexus ille cœremoniarum et precum liturgicarum quibus Ecclesia defunctorum fidelium animam Deo commendat et corpus honorifice sepulturæ tradit.

Complectuntur autem tria : α) corporis elationem e domo et deductionem ad ecclesiam ; β) perfunctionem sacri ritus in ecclesia funeris, nempe officium defunctorum, missam exsequialem et preces absolutionis ; γ) ipsam sepulturam seu deductionem cadaveris ab ecclesia funeris ad locum sepulturæ.

*b/* Ut supra diximus, ritus sepulturæ ecclesissticæ per se sub gravi est obligatorius, sed prouti in libris liturgicis

proponitur. Jamvero in Rituali Romano *exoptat* Ecclesia ut « deposito feretro... statim, *nisi quid impediat*, dicatur officium defunctorum » (1) et « quod antiquissimi et instituti, illud; *quantum fieri poterit*, retineatur, ut missa, præsente corpore defuncti, pro eo celebretur, antequam sepulturæ tradatur » (2). Unde ex his appositis restrictionibus jam apparet has rubricas non esse stricte præceptivas. Quod magis adhuc elucet ex eo quod ulterius Rituale supponit ob varias *rationabiles* causas vel non integrum dici (3), vel imo, et iterum ob causam *rationabilem* tantum — dum in antiquo Rituali *urgens necessitas* ad hoc requirebatur — penitus omitti officium defunctorum (4) et ipsam missam (5). Sollicite tamen bis repetit Ritualis textus quoad reliqua : « prædictæ preces et suffragia *numquam omittantur* » (6). Et ideo merito concludimus de gravi præcepto tantum esse ritum sepulturæ ecclesiasticæ qui saltem comprehendit delationem corporis defuncti ad ecclesiam, ritumque tum absolutionis tum sepulturæ.

Unde ulterius admitti potest, prout et ipsa consuetudo tenet, tunc solum adesse *strictam obligationem* cantandi missam et officium ejusve partem, quando et in quantum erogatæ fuerunt eleemosynæ in taxarum indice statutæ. Et hæc quidem obligatio est justitiæ. At quamvis missa exsequialis non dicenda sit absolute obligatoria, tamen, inter ea quæ, propter causam proportionatam omitti possunt, ultimo loco sit missa, cum « quantum fieri poterit » « antiquum usum » celebrandi missam, et quidem « exsequialem, præsente corpore » retineri debeat. Ideoque contra votum Ecclesiæ agunt, qui funus *sine missa* inter paucissimos familiares fieri volunt.

---

(1) *Rit. rom.*, t. VI, cap. 3, n. 4.
(2) *Ibid.*, cap. 1, n. 7.
(3) *Ibid.*, cap. 3, n. 16.
(4) *Ibid.*, cap. 3, n. 17.
(5) *Ibid.*, cap. 3. n. 18.
(6) *Ibid.*, cap. 3. n. 14 et 17.

Quapropter « impugnandus est usus, infeliciter etiam apud pios christianos invalescens, mortuos sepeliendi hora pomeridiana et privatim, *dans la plus stricte intimité*, uti dicunt » (1). Curent ergo parochi debita vigilantia sed et prudentia ut hunc abusum tollant vel induci non sinant.

Quod vero spectat pauperes « quibus mortuis nihil, aut tam parum superest, ut consuetis impensis humari non possint », benigna mater Ecclesia, de iis vere sollicita, præscribit ut « gratis omnino ac decenter funerentur ac sepeliantur, cum exsequiis, secundum leges liturgicas et statuta diœcesana, præscriptis » (2). De his autem statuit conc. prov. « si defuncti familia impar sit expensis missæ cantatæ solvendis, saltem legatur, servatis servandis, missa de *Requiem* præsente corpore. Pauperibus quibus nihil aut vix aliquid superest, funus gratis omnino persolvatur, et, si fieri potest, sacrificium missæ sine honorario pro eis celebretur » (3). At, ne hæc nimio sacerdotibus, oneri sint addit conc. « certe laudandæ sunt piæ sodalitates quarum finis est ut pauperes digna funera gratis habeant » (4). Addere quidem nobis liceat pariter laudandos esse usus apud nos hinc inde vigentes in ipsis exsequiis eleemosynas colligendi, ut missæ sacrificium in refrigerium eorum animarum offeri possit.

J. Brys.

(1) Cfr *Conc. prov. mechl.*, decr. n. 298.
(2) *Rit. rom.*, *l. c.* cap. I, n. 11.
(3) Cfr *Conc. prov. mechl.*, decr. n. 217.
(4) *Ibidem.*

# RESPONSA

## ad quæstiones in conferentiis mensis maii propositas.

—

### I.

### In Lucam, XIX. 41-48. — Homilia.

Q. *Eadem, quæ in præcedenti quæstione 1ª indicantur* (1), *præsta circa Evangelium Missæ Dominicæ IXæ post Pentecosten* (Lc., XIX, 41-48), — *sitque homiliæ objectum : De misera sorte et signanter de periculo pro fide et pro salute æterna* (cfr vv. 41-44) *apud illos qui rebus hujus mundi nimis æquo inhærent* (cfr vv. 45-48).

R. — *Explicationes ad intellectum Evangelii præparatoriæ* (2).

Per tres annos et amplius integram Palæstinam peragraverat Jesus; iteratis quoque vicibus Hierosolymam venerat (3), prædicans doctrinam sicut nemo unquam locutus fuerat veritatemque doctrinæ suæ miraculis quamplurimis confirmans. Ante paucos dies Bethaniæ inter omnia maxime insigne patraverat miraculum, resurrectionem Lazari. Jam ascensurus est Hierosolymam, ultimam conversionis occasionem præbiturus Judæis. Dum a Bethania progreditur, ingens multitudo eum comitatur, alia ex civitate ipsi obviam venit : vestimenta sternunt in via, ramis arborum applaudunt, altis vocibus acclamant : Jesus ut Messias, ut Rex Israël ingresurus est civitatem suam principem, ingressurus domum suam regiam, templum.

---

(1) Vide supra, p. 301.

(2) Non immerito, ut putamus, Evangelii lectio in duas partes secabitur, singulis partibus præmissa sua introductione explicatoria.

(3) Septem hujusmodi itinera enumerat Joannes in suo Evangelio.

Et ecce dum, monte Olivarum circumducto, appropinquat civitati, videns eam, lacrymas fundit super illam, v. 41. Hanc enim civitatem, civitatem sanctam Dei ; hunc populum, populum a Deo electum et per sæcula tam speciali cura provisum, quam sincere diligit Jesus, suumque amorem per vitæ suæ publicæ decursum tam miro modo ostenderat : *Quoties volui congregare filios tuos* etc... Sed amori Jesu restiterunt : *Noluisti* ! Novit enim Jesus *duces populi* esse et mansuros sibi inimicos : horrendo peccato contra Spiritum sanctum (1), oculos, aures et corda clauserant Jesu. — Etiam huic novæ et quasi ultimæ gratiæ, ipsi ingressui triumphali Jesu, resistent. Est hæc dies vere *dies eorum*, dies gratiæ decisivæ ipsis a Deo concessæ, dies in qua Jesus *pacem* ipsis affert, sollicitans eos ad fidem et salutem amplectendam. Utinam, sicut discipuli Jesu, etiam ipsi (2) gratiam agnoscant ipsique cooperentur ; sed eheu obduratis in peccato et incredulitate sua, etiam hæc ipsis manebunt abscondita. — Et populus, massa eorum qui nunc ipsi acclamant, sicut tam sæpe fuerant (3), ita et nunc instabiles erunt et, juvante cæteroquin exemplo et verbo principum, etiam ipsi Jesu se opponent et clamantibus *Hosanna* post paucos dies succedent clamantes *Crucifigatur*.

Quare horrenda veniet divina vindicta in eos : destructio a Romanis, vv. 43-34 (4) ; Judæorum dispersio inter

---

(1) Cfr *Mt.*, XII, 24-45.

(2) *Quia si cognovisses et tu...*, v. 42.

(3) Cfr in specia ea quæ Joannes refert de multiplicatione panum, quæ populi enthusiasmum excitat Jesumque qua Messiam acclamare facit, *Jo.*, VI, 1-15 ; et die sequente de oratione Jesu de pane eucharistico, quæ eos ab hoc « *duro sermone* » et ab ipso Jesu avertit, *Jo.*, VI, 22-66.

(4) Quomodo ad litteram hæc Jesu terribilis prædictio, hoc loco Evangelii et infra, *Lc.*, XXI, 20-24 relata, adimpleta fuerit, narrat Flavius Josephus, historiographus Judæus, factis coætaneus, *De bello judaico*, l. 5 et 6. Cfr VANSTEENKISTE, *In Mt.*, II, p. 752 s. — Duæ vero sequentes prædictiones adhuc semper adimplentur et, omnibus invitis, semper exstat populus judaicus, viva realizatio verbi Christi.

gentes, *Lc.*, XXI, 24 ; exclusio a salute messianica usque ad tempus quo, in fine mundi, tandem se convertent, *Mt.*, XXIII, 37-39 ; *Rom.*, XI, 25 s.

Sequatur *lectio l^æ partis Evangelii*, vv. 41-44.

Quodnam autem est motivum hujus resistentiæ gratiæ et obdurationis? Indicavit quondam Jesus : *Dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem : erant enim eorum mala opera* (1), et phrasi quasi summaria expressit Paulus : *Christum — crucifixum, Judæis quidem scandalum* (2). Si fuisset Jesus Messias qualem exspectabant, rex temporalis, dives, potens, liberans populum suum a dominio Romanorum pacemque temporalem eidem largiens ; si docuisset licere hominibus libere indulgere triplici concupiscentiæ, certe omnes illi, præprimis principes, ei adhæsissent. Sed talis Messias non erat Jesus, sed pauper et humilis ; regnum ejus non erat de hoc mundo ; sequaces suos liberaret a dominio hostium spiritualium eisque pacem promittebat pro animabus eorum ; verbo et exemplo docuerat sectandam esse paupertatem, castitatem, humilitatem : quod quam apposite explicat præsens Evangelium : Messias erat Jesus qui Judæos vetare vollebat ne ex cultu divino lucrum sibi facerent (3) !

Etenim, intuitu lucri faciendi, in templum, i. e. non in sanctuarium, sed in ædificia vel atria adjuncta, introduxerant ibique vendebant quælibet animalia, ut boves et oves et columbas pro sacrificiis offerendis, et mensas nummularias exstruxerant, ut puta pro nummis romanis in judæos mutandos intuitu tributi templo solvendi : domum Dei converterant in domum negotiationis, imo, ob frequentes sane injustitias, in speluncam latronum. Re sanctissima in lucrum temporale abutebantur. Honorem domus Dei severe vindicabit Jesus (4).

---

(1) *Jo.*, III, 21.

(2) *I Cor.*, I, 23.

(3) Cfr dictum Pauli ubi loquitur de talibus qui æstimant « *quæstum esse pietatem* », seu qui religionem cultumque divinum in occasionem lucri temporalis faciendi convertunt. *I Tim.*, VI, 5.

(4) Factum hîc narratum a s. Luca et locis parallelis a *Mt.*, XXI, 12-13 et a *Mc.*, XI, 15-19, et specietenus saltem ab iis repositum in fine

Sequatur *lectio Iae partis Evangelii*, vv. 45-48.

*Applicatio*, (vixnon tota jam contenta in expositis). — Ne, exemplum sectantes Judæorum etiam, nos fidei et salutis jacturam faciamus !

Etiam nos impense diligit Jesus, nos in populum suum peculiarem electos, nos quos tam sæpe qua civitatem suam sanctam inhabitare venit in Eucharistia, imo et jugiter, si volumus, inhabitatione ss. Trinitatis. Quam sæpe nos visitavit gratia sua ; quantum edocuit, externo magisterio Ecclesiæ, illustratione gratiæ internæ ; quantum confirmavit doctrinam suam omnibus miraculis tum olim tum subsequentibus, etiam nostris temporibus patratis, signanter ipso miraculo quod est Ecclesia.

Nonne lacrymas fundere debet Jesus super tam multos qui fidem aut amittunt aut in periculum adducunt aut saltem opere non exsequuntur ? Nonne multis imminet periculum ne gratiæ etiam ultimæ resistant, et quæ ad pacem internam in hac vita, ad pacem et requiem æternam in altera vita, concedit Jesus, rejiciant ? Miseros nos si sic prosequimur : ab hostibus, a spiritibus malignis, circumdabimur, — a salute in æternum excludemur !

Quam perniciem ut vitemus, cum Jesu defleamus nostra peccata, et tollamus ea quæ a fide et salute nos avertere nata sunt — *Nemo* enim *potest duobus dominis servire* (1) : — concupiscentiam carnis, nam : *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt ;* concupiscentiam oculorum seu nimiam adhæsionem divitiis hujus mundi, nam : *Beati pauperes spiritu, quia ipsorum est regnum cælorum* (2) ; — superbiam vitæ, nam dixit Jesus :

---

vitæ Jesu maximam similitudinem habet cum facto narrato a *Jo.*, III 13-17 et ab ipso reposito in initio vitæ publicæ. Porro, in quæstione inter AA. hîc disputata, probabilius æstimamus idem utrobique referri factum illudque reponendum, cum s. Joanne, initio vitæ publicæ.

(1) *Mt.*, VI, 24.

(2) De vitanda sollicitudine circa bona temporalia et de pessimo influxu quem in re salutis et perfectionis exercet avaritia, plurimi

*Discite a me quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris:* pacem hic in terra, requiem æternam in cælo.

A. Vander Heeren.

## II.

## De inæqualitate gloriæ cœlestis.

Q. *Explica responsum catechismi nostri de inæqualitate gloriæ cœlestis, simul indicando quomodo hæc obtineri possit ac intelligi debeat.*

R. — Quærit catechismus noster, in lectione quadragesima prima ad octavum, « num omnes sancti futuri sint æquales in gloria », et respondet : « Negative, sed unusquisque habebit secundum merita sua ». Hæc est *doctrina catholica*, solemniter ab Ecclesia proposita in concilio florentino : « Diffinimus.... [omnes sanctos] intueri clare ipsum Deum trinum et unum, pro meritorum tamen diversitate alium alio perfectius » (1).

Igitur *causa inæqualitatis gloriæ* est *inæqualitas meriti*, quod sancti in terris obtinuere (2) ; ad explicandum vero *modum*, quo hæc inæqualitas obtineri possit ac intelligi debeat, supposita responsione mensis præcedentis de beatitudine cœlesti, hæc verba s. Thomæ sedulo perpendere satis erit.

---

prostant in Evangeliis aliisque libris sacris textus, qui certe animum audientium ab hoc vitio avertere nati sunt. Cfr in specie *Mt.*, VI, 19-34; *Lc.*, XII, 13-21 ; XVI, 14-31 ; *Mc.*, X, 17-27 etc.

(1) *Conc. florent.*, œcum XVII, in decreto pro græcis (*Enchir.*, n. 693) et cfr *Collat. Brugen.*, III, p. 427 s.

(2) Cfr *Sum. theol.*, I, q. 12, a. 6, c. coll. III, suppl., q. 94, a. 3, c. et adverte initio tractatus de novissimis ex professo demonstrari tempus meriti ac demeriti seu statum viæ, uti dicitur, terminari cum morte, quod omnino certum est revelatione et definitum ab Ecclesia, quantum spectat præmium essentiale ; v. supra p. 244 et documenta ecclesiastica, n. 3.

« Dicendum quod videntium Deum per essentiam unus alio perfectius eum videbit. Quod quidem *non* erit *per aliquam Dei similitudinem* [seu speciem] *perfectiorem* in uno quam in alio, cum illa visio non sit futura per aliquam similitudinem, ut ostensum est (1), sed hoc erit per hoc quod intellectus unius habebit *majorem virtutem* seu facultatem ad videndum Deum, quam alterius. Facultas autem ad videndum Deum non competit intellectui creato secundum suam naturam, sed *per lumen gloriæ*, quod intellectum in quadam deiformitate constituit, ut ex superioribus patet » (2).

Diversitas itaque in perfectione visionis facialis Dei consistit *essentialiter in diversa intensitate* ejusdem cognitionis. Et enim principium subjectivum cognitionis intuitivæ Dei est intellectus elevatus et confortatus lumine gloriæ ; quo majus est lumen gloriæ, eo magis cognoscit anima ipsum Deum. Sed, cum Deus sit omnino simplex, *totus* itaque *Deus* est *objectum primarium* visionis intuitivæ, et « *diversitas non* erit *ex parte objecti*, quia idem omnibus præsentabitur, scilicet Dei essentia » (3), sed erit *ex diversitate intensitatis*, qua unusquisque beatus totum Deum videbit.

Inde facile simul intelligitur *alia diversitas* in perfectione visionis facialis, quæ *consequitur* ad diversam intensitatem visionis et consistit *in diversa extensione ad objecta secunda-*

---

(1) Vide supra p. 308 et *Sum. theol.*, I, q. 12, a. 2, c.

(2) *Sum theol.*, I, q. 12, a. 6, c. coll. a. 5, c. et *Summa contra gentiles*, III, 58 ac cfr ILL. AC REV. WAFFELAERT, *Disquisitio dogmatica*, n. 66, apud *Collat. Brugen.*, XVI, p. 92 s. — Secundum sententiam s. Thomæ duo beati, quorum unus est altero naturaliter perspicacior, si æquali gradu lumine gloriæ donantur, æqualiter Deum videbunt, quod negat Scotus, cum aliis paucis, quos indicat PÈGUES, *Com. français litt. de la Somme théologique de saint Thomas*, I, 1e P., p. 349, Toulouse, 1907. Attende hæc non contradicere iis quæ docet s. THOMAS, *Sum. theol.*, III, suppl., q. 96, a. 7, de præmio accidentali, seu aureola debita doctoribus, omnibus scilicet qui doctrinam Christi prædicaverunt et eamdem alios docuerunt.

(3) *Sum. theol.*, I, q. 12, a. 6, ad 3.

*ria*, quæ a beatis in Deo et per Deum cognoscuntur (1).

In fine nota, quod in præcedenti responsione jam ostendimus, nimirum *omnes* videntes Deum intuitive *esse perfecte beatos*, *nec* in ipsis *tristitiam* vel *invidiam* oriri ex eo quod unus sciat alium majori frui beatitudine.

Hanc enim diversitatem cognoscunt in contemplanda divina essentia et sic ordinatissimam eam vident, quare agnoscentes divinam sapientiam, benignitatem ac potentiam, Deum laudant simul ac concivibus cœlestibus, quos perfecto diligunt amore, congratulantur eosque admirantur propter generosam cooperationem cum gratia divina, vi cujus majora merita sibi acquisiverunt, adeoque majorem gloriam obtinuerunt (2).

H. Lamiroy.

## III-IV.

### De choreis recentioribus.

Q. *Sacerdos quidam novit Caium ejusque sororem viginti circiter annorum, suos pœnitentes, quandoque ex voluntate parentum in societate juvenum optimæ conditionis participare choreas modernas, de quibus concilium provinc. mechliniense, decr. 59. — Quæritur 1/ utrum necne peccarint contra castitatem, et cur; 2/ cum neuter de hoc in confessione verbulum habeat, utrum et quomodo interrogandi sint?*

R. — Efficax nutrimentum materialismi practici morumque indisciplinæ præbet nostris diebus grassans saltationum lues. Novi chorearum modi, moderni, americani, exotici, nigritarum dicti, ultimis annis increbruerunt et in dies magis etiam in familiis catholicis melioris

---

(1) Vide supra, p. 309 et cfr Vander Meersch, *Tractatus de Deo*, n. 307, p. 267 s.

(2) Cfr Vander Meersch, *o. c.*, n. 308, p. 268; eodem modo explicat s. Thomas, *Sum. theol.*, III, suppl., q. 94, a. 2, beatos non contristari de miseriis damnatorum, quas in Deo justo cognoscunt.

conditionis admittuntur, multiplicatis simul chorearum occasionibus, erectis imo ædibus expresse ad choreas ducendas.

Severum de choreis in genere disciplina ecclesiastica et moralis theologia semper judicium protulit (1) ; multo severius autem nunc de recentioribus choreis loquuntur (2). Nec soli sunt viri ecclesiastici ; cum enim castitatis neglectio non tantum leges moralitatis, sed et sanitatem individui et bonum generis humani pessumdet, merito de chorearum damnis queruntur serii politici et honesti medici (3).

Principia moralitatis hac in re præmittere juvabit ut conclusiones practicas deducere et casus propositi solutionem afferre valeamus.

I. — **Principia**. Choreæ constant rythmicis corporis motibus et gestibus, qui, in abstracto considerati, indifferentes dici possunt ; in concreto tamen cum choreæ, de quibus hic, magis communiter fiant per paria et repræsentent amatoria facta, et quidem, ut sæpius, persecutionem qua mas feminam consectatur, facillime peccaminosæ fiunt, utpote quæ peccatorum occasionem præbent.

---

(1) Cfr T. Ortolan, v° *Danse* apud Vacant-Mangenot, *Dict. de théol. cath.*, t. IV, col. 107 et A. Eschbach, *Disputationes physiologico-theologicæ*, Romæ, 19012, p. 517.

(2) Ita Pontifex Benedictus XV : « Mittimus autem eas quæ nuper ex barbaria in hominum elegantium morem venerunt, alias aliis deteriores, saltationes, quibus nihil inveniri potest aptius ad omnem exuendam verecundiam » (Encyc. « *Sacra propediem* » apud *Collat. Brugen.* t. XXI, p. 87). Ita magis lucide *Conc. prov. mechlinien.*, decr. 59 et plures episcopi. Ita plures jam edixerunt moralistæ : cfr P. Doncœur, *Danseront-elles ?* apud period. *Etudes*, CLXXV, p. 193 ; F. Vuillermet, *Les catholiques et les danses nouvelles*, Paris, 1924 ; A. Janssen, *Les danses modernes*, Bruxelles, 1925 ; E. Hocedez, *Les danses* apud period. *Nouv. rev. théol.*, LI, p. 32 ; G. Kiselstein, *La danse et la Morale*, in *Rev. eccl. de Liège*, XVI, p. 86.

(3) Nuper prodiit instructivum opus J. Germain, *Danseront-elles ? Enquête sur les danses modernes*, Paris, 1923, in quo colliguntur testimonia generatim severa de choreis prolata ab hominibus, quorum major pars nullatenus catholica dici potest.

Tali commercio fovetur necessario sensualitas quædam quæ ad veneream delectationem viam sternit ; choreas faciliter comitantur prava desideria, impura phantasmata, turpes sermones, commotiones carnales. Hi effectus modo saltandi et variis circumstantiis augeri possunt ita ut obvie enascatur periculum plus minusve proximum consentiendi in desiderium aut delectationem exortam, periculum etiam intendendi expresse delectationem sensualem, imo carnalem et adducendi compartem ad libidinem ; adde facilem cooperationem in peccato compartis. Notant tamen theologi periculum minui ob quasdam circumstantias et subjectivam dispositionem moralem aut physicam subjecti, adeoque dari posse casus in quibus adsit ratio sufficiens choreas permittendi.

Hæc de choreis generalia principia etiam valent de modernis choreis, quas jam pressius considerare lubet, primo in se sumptas, abstractione facta tum ab intentione voluptatis venereæ tum a nonnullis circumstantiis, de quibus postea sermo habebitur.

Choreæ istæ modernæ (1) ex intentione indubia inventorum repræsentant et simulant non quælibet amatoria facta, sed plus minusve aperte copulam carnalem (2). Ideo conflati sunt talibus amplexibus, tactibus et gestibus qui nati sunt hunc finem obtinere : sunt evidenter tales actus copulam figurantes plerumque suo fine operis inchoatio actus consummati (3) seu a natura delectabiles facti quatenus ad copulam conducunt. Revera, experientia teste, sæpius existunt causa per se commotionis et

---

(1) Ut quasdam choreas nominemus : tango, fox-trot, one-step, two-step, shimmy (ex pessimis), java, blouss, etc ; quotannis novi modi introducuntur ejusdem inspirationis.

(2) Cfr Reboux apud Germain, *o. c.*, p. 97 ; choreas modernas dicit V. Margueritte esse pro puellis deflorationem virginalem, *ibid.*, p. 14.

(3) Qua ratione choreæ communiter inter actus non consummatos recenseantur vide apud ill. ac rev. Waffelaert, *De prudentia, fortitudine et temperantia*, Brugis, 1889, n. 178.

delectationis venereæ, imo, ut videtur, etiam pollutionis (1).

Ex dictis obvie concludet theologus pro hominibus communiter tales choreas jam in se constituere periculum proximum gravis peccati luxuriæ internæ et externæ, indeque sub gravi esse vitandas ; simul concludet earum participationem esse peccatum scandali et cooperationis. Ita aperte declarat Concilium mechliniense, decr. 59 : « Nunc autem certæ increbrescunt choreæ, quæ vel ipsa quam exhibent significatione perversa, vel modo quo vir mulierem arcte complectitur, in se grave luxuriæ vel saltem scandali peccatum objective loquendo constituunt ».

Hæc modernarum chorearum constitutiva adeo incentiva libidinis mirum in modum augentur variis circumstantiis in quibus ducuntur : ita rythmus musicæ eligitur valde enervans, præsertim si ope « jazz-band » obtinetur ; rythmus saltationis valde languidus est cum frequentibus suspensionibus ; nec rythmus magnam attentionem requirit cum absque ulla arte coordinatis paucis gressibus et corporis contorsionibus constet ; adde ornatum hodiernum mulieris arcte contra pectus viri compressæ (2) ; adde usum invalescentem ut toto tempore

---

(1) Quædam testimonia seligamus ; choreæ illæ dicuntur : « une préparation violente à l'acte physiologique.... inutile « (GUITET-VAUQUELIN, apud GERMAIN, *o. c.*, p. 55) ; « une pure préparation à quelque chose de plus intime, sur quoi il faut tirer le rideau » (LEVEL, *ib.*, p. 80) ; « des attitudes franchement obscènes » (JACQUIN, *ib.* p. 64). A. LECLÈRE medicus dicit : « Telles danses actuelles, de provenance argentine, sont tout simplement une manifestation de satyriasis » (*ib.*, p. 70. — Satyriasis est nevrosis quæ consistit in vehementi erectione genitalium cum vehementiori desiderio ad venerea in viro, cfr J. ANTONELLI, *Medicina pastoralis*, I, Romæ, 1905, n. 430). « Vivant tous les jours côte à côte avec la jeunesse universitaire, je les connais assez pour pouvoir exprimer cet avis. Ils préfèrent en général que leur fiancée à eux ne se livre pas à de semblables exercices avec un autre. Ils savent sans doute pourquoi », ita A. JANSSEN, *o. c.*, p. 37.

(2) « La danseuse sans corset, sans ceinture est littéralement nue sous la robe et le partenaire est bien obligé de s'en rendre compte », ita M. PRÉVOST apud GERMAIN, *o. c.*, p. 91.

idem cum eadem saltet necnon periculum saltandi cum comparte cujus valor moralis penitus ignoratur.

Uno verbo, differunt recentiores choreæ ab antiquioribus ratione majoris tendentiæ ad venerea et magis propinqui periculi.

At diffitendum non est quandoque periculum posse minui, licet supprimi totaliter nequeat : prostant enim quidam illarum chorearum modi emendati a magis indecentibus tactibus (1) ; minus est periculum ubi saltationes indolem habent officialem aut privatam, præsentibus parentibus ; item ubi quis eas adit ex necessitate aut decentia status vel ubi ad motus rythmum studiose attendit, maxime ubi minus ad libidinem subjective saltans disponitur, ut v. g. facilius obtinetur pro puella casta et mysterii vitæ sexualis ignara (2).

II. — **Regulæ practicæ.** 1/ Si constaret pro determinata persona periculum gravis peccati contra sextum esse remotum tantum, a talibus choreis non esset sub gravi prohibenda vi præcepti castitatis servandæ, imo nullum esset peccatum si adesset ratio proportionata periculo quod habetur ; attamen abstinere deberet ratione gravis scandali et cooperationis nisi iterum ab utroque excusaret ratio proportionaliter gravis.

2/ Si constat, ut magis commune est præsertim pro viro, periculum esse proximum, tales choreæ ipsi interdicuntur tum ratione periculi proprii peccati, tum ratione scandali et cooperationis ad peccatum alterius. In casu

---

(1) Objicit tamen P. Bourget, *ibid.*, p. 39 : « Ces danses spéciales, créées dans un but spécial dans leur pays d'origine, ne peuvent être totalement libérées de leur tare première, et plus ou moins elles sont appelées à revenir à leur destination première ».

(2) « Une jeune dame très intelligente, et qui avait vu comment ces danses se font dans des maisons très catholiques, disait à l'auteur de cet article : Je suis persuadée qu'une jeune fille très pure, et qui ignore les choses du mariage, peut danser innocemment ces danses exotiques, mais je prétends que c'est impossible pour une jeune femme et pour un jeune homme quelconque », E. Hocedez, *a. c.*, p. 38.

quodam extremo et rarissimo permitti posset, si np. datur ratio gravissima (ut v. g. ira perdurans parentum nisi filius tales choreas in honesta societate participet), quæ reddat occasionem necessariam sed dummodo variis cautelis periculum remotum reddatur.

3/ Si dubium remanet utrum periculum proximum sit an remotum, cum practice saltem remotum sit et timendum sit ne brevi proximum evadat, severe loquendum est de istis luxuriæ retibus et enixe hortandum ut ab iis abstineatur (1). Nunquam vero hoc casu permittantur nisi gravis adsit ratio quæ a scandalo et ab adeundo periculo excuset, nec negligatur indicatio mediorum aptorum ad periculum sensualitatis et luxuriæ removendum.

III. — **Solutio casus** (2). 1/ Utrum Caius ejusque soror contra castitatem peccarint, a priori, ut ex dictis patet, constare non potest; præsumi tamen poterit nisi in virtute castitatis omnino firmati noscantur, licet hic ob additas circumstantias periculum minuatur. Revera sæpius peccarint contra castitatem eo quod admiserint carnalem delectationem exortam vel eam intenderint aut simpliciter voluerint vel prava desideria erga actus peccaminosos foverint, vel in pravis cogitationibus qua delectabilibus morati sint (3).

2/ Practice indubium videtur eos esse sponte interrogandos cum peccatum saltem leviter probabile sit; dicat ergo confessarius se scire eos adiisse hujusmodi choreas; mentem suam aperiat de earum perversione et indicet pericula modo exposita; dein prudenter interroget utrum necne ita peccarint; responsione accepta se gerat confessarius juxta supra indicatas regulas (4).

M. De Jonghe.

---

(1) Methodum practicam præmonstrat *Conc. mechl.*, n. 59.

(2) Ponitur casus de solutis; pro matrimonio junctis evidenter ratio habenda est eorum status.

(3) Cfr ill. ac rev. Waffelaert, *o. c.*, n. 178 ss.

(4) Apud auctores de Sacramento Pænitentiæ vide quousque oporteat quandoque denegare absolutionem necnon quousque liceat in casu extremo bonam fidem inturbatam relinquere.

# V.

## De Kerk van Belgie onder het hollandsch bewind.

### XI. Gedeeltelijke uitvoering van het concordaat van 1827.

V. *Hoe werd het concordaat van 1827 in de Nederlanden onthaald en uitgevoerd ?*

A. De uitvaardiging van het concordaat, eerst door den Paus op 17 aug., dan door den koning op 2 oct. 1827 (1), verwekte in de Nederlanden zeer verschillende gevoelens. Terwijl de katholieken den goeden uitslag met geestdriftige vreugde begroetten, spanden dweepzuchtige calvinisten en woelige liberalen saam, om het concordaat en de bewerkers met spot en hoon te overladen. Zelfs durfde men den koning te verwijten al te veel, en namelijk in 't bijzonder de benoeming der bisschoppen en het collegium philosophicum, aan de « pretentiën » van Rome te hebben geofferd.

Goubeau vooral kon zijn spijt niet verkroppen en had wel gewild dat de overeenkomst, vooraleer wet te zijn, aan de goedkeuring der Kamers zou onderworpen worpen. Van Maanen en de andere ministers waren echter van gevoelen dat het concordaat, nu het eenmaal een feit was, in 't openbaar tegen de talrijke aanvallen moest verdedigd worden, doch dat de uitvoering niet te rap mocht geschieden en op zijn minst moest gebracht worden (2). Dit werd vooral hun gevoelen, toen niet alleen de liberale dagbladen (3) maar ook de gouverneurs der provinciën aan hunne ontevredenheid lucht gaven en het deden voorkomen alsof door de gesloten overeen-

---

(1) Zie hooger bl. 259.

(2) ALBERS, *Herstel....*, t. I, bl. 215 v. ; TERLINDEN, *o. c.*, t. II.

(3) Een der bitterste bestrijders van het concordaat was de beruchte Louis de Potter, die zijn ontevredenheid vooral lucht gaf in den *Courrier des Pays-Bas*. Hij noemde de onderhandelingen te Rome « la capucinade de M. de Celles ». TERLINDEN, *o. c.*, p. 146.

komst, en namelijk door het facultatiefstellen van het collegium philosophicum, de staat in gevaar kwam. De koning, omringd van lieden die hem voortdurend bestookten, ten prooi ook aan eigen vooroordeel, liet zich tot deze politiek overhalen. Zoo mocht de beruchte circulaire van 5 oct. verschijnen, waarin, zooals we hooger reeds zeiden, Van Gobbelschoy aan de gouverneurs liet weten dat het concordaat enkel onder voorbehoud was aangenomen, de uitvoering tot na de bezetting der bisschoppelijke zetels uitgesteld was, en intusschen de verordeningen betreffende het collegium philosophicum van kracht bleven (1).

Dit stuk, dat ook in de dagbladen verscheen, bracht een geweldigen indruk te weeg bij voor- en tegenstanders. De eersten begroetten de circulaire als den tegenhanger van 's Pauzen geheime allocutie, als een uiting van oprechte eerlijkheid, die de ongerustheid van de verstandige lieden zou bedaren; maar met gelijke kracht en hevigheid uitten de katholieken hun gevoelens van droefheid en wantrouwen, die natuurlijk niet verminderden, toen de koning in de troonrede van 15 oct. 1827 opnieuw verklaarde dat het concordaat afgekondigd was met het voorbehoud « welke 's lands wetten noodzakelijk maakten » (2).

En toch hadden de katholieken den moed niet verloren! Afgevaardigden der verschillende kerkvoogden kwamen naar den Haag om den koning gunstiger te stemmen; in alle bisdommen verschenen herderlijke brieven om de bevolking tot dankbaarheid en vertrouwen op te wekken, en er ging in de laatste maanden van het jaar 1827 en in het begin van 1828 een machtige stem van dank en hulde door gansch het koninkrijk. De algemeene geestdrift, bij alle welgezinde katholieken, uitte zich in openbare fees-

---

(1) *Zie* dit belangrijk stuk bij TERLINDEN, *o. c.*, p. 151 ss. en de omstandigheden, die er aanleiding toe gaven bij ALBERS, *t. a. pl.* bl. 221.

(2) ALBERS, *t. a. pl.*, bl. 230.

ten, in eerebogen, opschriften en jaarschriften en schitterende verlichting. Zoo groote vreugde had de gemoederen overweldigd, dat men het onmogelijke geloofde en de bisschoppen reeds in het naaste verschiet zag. Zelfs gewaagden de dagbladen in 't begin van januari 1828 van een bericht uit Rome, dat alle nieuwe bisschoppen der Nederlanden waren benoemd (1).

Doch de zaken stonden bijlang zoo goed niet ; het was alsof de geestdriftige hoop der katholieken de regeering ergerde ; gedurende gansch het jaar 1828 kwam van het concordaat niets terecht.

Integendeel de groote meerderheid der « permanente commissie voor den R. K. eeredienst », die met de uitvoering belast was, maakte voortdurend moeilijkheden en drong bij den H. Stoel aan om veranderingen te bekomen, die de regeering heer en meester moesten maken over godsdienst en onderwijs. De Paus weigerde daarop in te gaan ; doch inziende, dat men niet vooruitkwam, stelde hij voor een buitengewone gezant naar de Nederlanden te zenden, om de moeilijkheden te vereffenen en de uitvoering te bespoedigen ; dit voorstel werd aangenomen en op 17 october 1828 kreeg Mgr Capaccini, de pauselijke afgevaardigde, zijn eerste audientie bij den koning.

De taak van Mgr Capaccini was voorwaar niet gemakkelijk ; met vredelievende gematigheid trachtte hij de gemoederen, hoe langer hoe meer opgezweept, tot

---

(1) *Ibid.*, bl. 234. In 't bisdom Gent verspreidde men het concordaat op 4000 exemplaren. Brugge hield in de St Salvator's kerk een negendaagsche plechtigheid « niet alleen om God te danken voor de verwerving van het heilzaam verdrag, gesloten tusschen Zijne Heiligheid Leo XII en zijne Majesteit Willem I, maar ook om door de voorbidding der allerheiligste Maagd en Moeder Gods Maria eene spoedige en gelukkige uitvoering dezer overeenkomst van den hemel af te smeeken ». In St Gilliskerk derzelfde stad besteedde men acht volle dagen aan « plechtige feesten van dankbaarheid voor de bekomene overeenkomst ». Rembry, *Les remaniements de la hierarchie épiscopale* in *Ann. de l'Emulation*, 1902, p. 72 ss.

bedaardheid te brengen ; bij allen wilde hij de overtuiging verwekken dat de H. Stoel niets verzuimde wat tot een goede uitkomst kon leiden (1). We weten reeds hoe de fijne diplomaat de gunst van den koning vermocht te winnen en hem eindelijk kon overhalen zijn belofte betreffende het collegium philosophicum te vervullen (2). Met evenveel beleid en kracht vatte hij de onderhandelingen aan over de bezetting der bisschopszetels.

De benoeming der belgische bisschoppen heeft heel wat moeite gekost. De onderhandelingen in de jaren 1827 en 1828 te Rome zelf gevoerd, waren bijna vruchteloos gebleven (3). Alleen Namen ontving een bisschop in den persoon van Mgr Ondernard, een grijsaard van drie-en-zeventig jaar, die om zijn regeeringsgezindheid bekend stond (4). Zulke benoemingen te beletten en echt kerke-

---

(1) Mgr Capaccini was goed op de hoogte der onderhandelingen betreffend het concordaat, waaraan hij werkelijk deel had genomen (zie hooger bl. 263) ; doch sedert dien was de toestand in de Nederlanden meer ingewikkeld geworden, en deze toestand was hem zoo wel niet bekend. Hij liet zich dan ook in den beginne te zeer beïnvloeden door regeeringsgezinde kringen en was niet te best gezien bij de vooraanstaande katholieken en geestelijken, die hij wat verwaarloosd had, omdat hij ze over het algemeen te « streng » vond. Later kwam hij tot beter inzicht. (TERLINDEN, *o. c.*, p. 193).

Een der grootste beletselen voor het welslagen zijner pogingen zag Capaccini in de beruchte vereeniging der katholieken en liberalen, die door de werking der dagbladen in het najaar 1828 voltrokken werd. ALBERS, *t. a. pl.*, bl. 251.

(2) Zie hooger bl. 163.

(3) Op te merken is dat de paus zich voorbehouden had de eerste maal zelf « de Kerk in het rijk der Nederlanden van herders te voorzien » (Bulla *Quod jamdiu*). Zijn Heiligheid wenschte echter enkel den koning aangename kandidaten voor te stellen, ten einde de verder uitvoering der overeenkomst gemakkelijker te maken. De nederlandsche gezant, de Celles, had reeds in opdracht der regeering een kandidatenlijst te Rome aangeboden in november 1827 ; doch een akkoord kon niet getroffen worden. Voor Brugge werd geen naam genoemd, alleen werd gezegd dat daar een « hollandais sage » diende genoemd, terwijl 's Hertogenbosch best een « flamand sage » zou krijgen. TERLINDEN, *o. c.*, p. 187 s.

(4) Was Mgr Ondernard de meest toegeeflijke der belgische bisschoppen, de omstandigheden en de korte duur van zijn episcopaat

lijke mannen op de bisschoppelijke zetels te brengen was thans de zware taak van Capaccini.

Maar de zaak vlotte niet best ; want ongelukkigerwijze deed de koning menig voorstel waarop de Paus niet kon ingaan : hij wilde namelijk Mgr de Mean ontslag doen nemen en hem vervangen door Mgr Hommer van Trier ; op de andere zetels had hij eveneens duitsche geestelijken willen geplaatst zien. Doch Capaccini deed den vorst begrijpen dat de Paus daar nooit voor zou te vinden zijn, en tegenover de immer nieuwe candidaten door koning of regeering voorgesteld, stelde hij zijn eigen lijst van verdienstelijke nederlandsche geestelijken, die kans hadden door den koning aangenomen te worden (1). Eindelijk, na veel onderhandelen en druk heen en weerschrijven, kwam men, einde januari 1829, overeen op de drie volgende voortreffelijke geestelijken : den zeer eerw. Van de Velde, pastoor-deken van Lier, bestemd voor Gent, den gewezen regent van 't klein seminarie van Hageveld, van Bommel, voor Luik, en Delplanque, pastoor van Hannut, voor Doornik. Een groot werk was hiermede volbracht, de drie ledigstaande zetels van Belgie waren door drie uitmuntende bisschoppen bezet, allen van de lijst van Capaccini, terwijl van de 13 candidaten der regeering geen enkele aanvaard was (2).

---

verhinderden hem de kerkelijke politiek der regeering te volgen. Toch berichtte Capacini naar Rome, dat de regeering gemakkelijk spel zou hebben indien het gansche episcopaat bezield was met den geest van Mgr Ondernard, ALBERS, *t. a. pl.* bl. 261. Zie ook *Rembry, o. c.*, p 74.

(1) Bij den koning stond het eerst vast, geen belgen noch hollanders, omdat Z. M. van meening was dat belgische en hollandsche priesters overdreven strenge beginselen beleefden en voortdurend in oneenigheid met hem zouden leven. Om de aandacht van duitsche geestelijkheid af te trekken, vooral van Mgr Hommer van Trier, die een ongeluk voor ons land zou geweest zijn (Zie REMBRY. *o. c.* p. 45) stelde Capaccini twee engelsche geleerde priesters voor, die te Douai hadden gestudeerd, John Lingard en Mgr Gradevel. Deze werden om politieke redenen door den koning geweigerd ; maar dit was toch daarbij gewonnen dat weer over nederlanders kon gesproken worden. ALBERS, *t. a. pl.*, bl. 262, TERLINDEN, *o. c.* p. 248.

(2) Zie over de drie benoemde bisschoppen ALBERS, *t. a. pl.*, bl. 271. Een ernstige moeilijkheid bedreigde in den beginne den bekomen

Voorloopig kon thans niets meer bereikt worden ; voor de drie overige zetels diende men toch eerst de bisdommen op te richten te Amsterdam, te 's Hertogenbosch en te Brugge, met al de waarborgen door het concordaat voorzien. Reeds dadelijk na zijn aankomen in de Nederlanden had Capaccini den koning een project-bul over de circumscriptie der bisdommen voorgelegd ; doch de onderhandelingen werden om verschillende redenen zeer vertraagd, door den dood van Leo XII (10 febr. 1829), door de petitiebeweging en de stichting der eendrachtspolitiek tusschen liberalen en katholieken (1), ook door de omvorming van het ministerie en verandering van 's konings gezant te Rome (2). De onderhandelingen werden daarbij vooral bemoeilijkt door de « permanente commissie voor den R. K. eeredienst », die met het onderzoek der voorgestelde bul belast was. Bezwaren werden namelijk geopperd tegen het recht dat de Paus zich voorbehield het grondgebied der bisschoppelijke jurisdictie te bepalen, niet eens maar iedermaal dat veranderingen wenschelijk waren, tegen de voorgestelde trakte-

---

uitslag: de regeering wilde dat de benoemde bisschoppen zelf 's konings *placet* verzochten op de pauselijke bullen, die ze aanstelden. Zij weigerden het te doen en vroegen alleen aan den koning het *placet* « om het tijdelijke te genieten, dat aan het episcopaat verbonden is ». De koning hoewel zeer verbitterd vond geraadzaam toe te geven ; maar door deze omstandigheden waren de bisschopswijdingen tot in het najaar uitgesteld gebleven.

(1) De geestelijkheid had eerst, op aanvraag van Mgr Capaccini geen deel genomen aan de petitionneering, die den koning en de regeering zoo verbitterde. Doch toen de regeeringsbladen de onvoorzichtigheid bedreven op het voorbeeld der geestelijken te wijzen, lieten deze laatsten den raad van den internuntius varen. De eerste petitionneerende geestelijke was pastoor Verhelst van Moorslede. Zijn voorbeeld vond navolging en de beweging strekte zich uit over de gansche Kempen tot Noord Brabant en verder. De priesters stonden van dan af aan het hoofd der beweging en verzekerden het succes. ALBERS, *t. a. pl.*, bl. 320, TERLINDEN, *o. c.* p. 386.

(2) De Celles was in ongenade gevallen, en werd vervangen door den graaf van Liedekerke, die voor de katholieken goed gesteld was, maar eerst de zaak moest instudeeren. TERLINDEN, *o. c.*, p.

menten en andere stoffelijke voordeelen, vooral tegen de vrije benoeming der kanunniken. De commissie stelde voor: goedkeuring van alle statuten der kapittels door de regeering; agreatie van alle kanunniken, ook van den vicarius capitularis, door den koning. Mgr Capaccini bevocht zoo goed hij kon, geholpen door den nieuwen directeur-generaal van eeredienst, de Pelichy, het hatelijk rapport der commissie, maar zag intusschen veel kostelijken tijd voorbijgaan (1).

Doch ook de koning was met de project-bul niet ingenomen; hij liet zich nochtans, in de eerste maanden van 1830, door den onvermoeibaren Capaccini overhalen, behalve echter op het stuk van de agreatie der kanunniken: dit was, verklaarde hij, een recht van de kroon, het eenige middel om den volgens hem zoo noodigen invloed te behouden op de bisschopskeuze, die door het concordaat aan de kapittels was toevertrouwd. Doch de bisschoppen, alle welgezinde geestelijken en de voornaamste katholieken van het land waren van gevoelen dat de katholieke zaak voor altijd verloren was, indien de koning de agreatie der kanunniken verkreeg; stond de H. Stoel daarentegen onwrikbaar, dan zou men wel deze moeilijkheden en alle andere te boven komen. Capaccini deelde dit gevoelen, en toen de koning hem liet weten dat hij rechtstreeks te Rome de agreatie zou aanvragen, dan durfde de pauzelijke gezant vrijmoedig verklaren dat dit den vorst vrijstond; maar dat hij van zijnen kant den Paus zou bidden en smeeken de agreatie niet toe te staan (2).

En werkelijk zoo geschiedde: in juli werd graaf van Liedekerke, de nieuwe nederlandsche gezant te Rome, belast een eigenhandig schrijven van den koning aan den Paus te overhandigen (3); doch de H. Stoel was op

---

(1) ALBERS, *t. a. pl.* bl., 340.
(2) *Ibid.*, bl. 366.
(3) Zie dezen brief bij TERLINDEN, *o. c.*, p. 331.

de hoogte gebracht van den toestand, niet alleen door Capaccini, maar ook door de bisschoppen. Deze laatsten, vreezend dat Willem nimmer van zijn eisch zou afzien, verklaarden zelf dat ze van de bezoldiging der kanunniken, die den koning niet aangenaam waren, wilden afzien, indien de door hen benoemde, onbezoldigde, dezelfde rechten hadden als de andere. De Paus liet de zaak onderzoeken door zijn staatssekretaris en de Congregatie voor de buitengewone kerkelijke aangelegenheden ; deze laatste wilde een middenweg zoeken om den koning niet te misdoen en de uitvoering van het concordaat niet verder tegen te houden (1) ; doch de H. Vader was daarvoor niet te vinden, hij deed een afwijzend schrijven in gereedheid brengen, waarin hij verklaarde den koning niet te kunnen ter wille zijn, omdat het hem niet geoorloofd was de rechten van de bisschoppen te schenden en de agreatie een bron zou zijn van twisten tusschen de bisschoppen van Nederland en de regeering.

Dit schrijven echter van Pius VIII heeft nooit anders bestaan dan in minute (2) en werd om den loop der tijdsomstandigheden niet verzonden. Terwijl men immers te Rome beraadslaagde was de revolutie losgebroken (25 Aug.) ; de gemoederen sinds zoolang opgehitst, niet het minst door de tergende houding der regeering in kerkelijke aangelegenheden, hadden al met eens eene geweldige uiting gezocht, die weldra niet meer tegen te houden bleek. De Paus wilde in deze omstandigheden noch de eene noch de andere partij beleedigen ; en liet de vraag van den nederlandschen vorst onbeantwoord (3).

Onnoodig bij te voegen dat, wat ons land betreft, verder onderhandelingen over het concordaat weldra onnoo-

---

(1) Volgens te Rome bewaarde archivalia eerst benuttigd door TERLINDEN, *o. c.*, p. 341 ss.

(2) Overgedrukt bij TERLINDEN, *o. c.*, p. 345.

(3) ALBERS, *t. a. pl.*, bl. 385.

dig bleken (2); de nieuwe grondwet nam de niet vervallen verplichtingen van het concordaat van 1801 weer op en gaf voor het overige vrijheid van godsdienst, van onderwijs en van vereeniging. In Holland ging integendeel, bij de scheiding van Zuid en Noord, alle hoop op onmiddelijke kerkelijke inrichting verloren.

R. DESCHEPPER.

## IV.

### De nominando « beato N » in oratione « A cunctis ».

Q. *Quodnam nomen est exprimendum ad litteram* N. *in oratione* A cunctis *tam in missa quam in officio ?*

R. Oratio *A cunctis*, quæ secunda est inter « Orationes diversas » in fine Missalis, inscribitur « ad poscenda suffragia Sanctorum ». In ea enim petimus mentis et corporis salutem ac pacem et Ecclesiæ libertatem, et hæc quidem « intercedente beata et gloriosa semper Virgine Dei Genitrice Maria, cum beato Joseph, beatis apostolis Petro et Paulo *atque beato N.* et omnibus Sanctis ».

In correlativa Postcommunione eadem fit enumeratio : « intercedente beata etc.

Quum objectum orationis sit generale et invocetur intercessio omnium Sanctorum valde conveniens est hæc Oratio quæ adhibeatur tanquam *Commemoratio communis*, quæ statis per rubricas temporibus, in ritu simplici aut semiduplici, Orationi diei et Commemorationibus specialibus addenda est, tam in missa quam in Vesperis et Laudibus officii.

---

(3) Als wetenswaardig kan hier nogthans nog aangestipt worden, dat in de eerste dagen der revolutie, de internuntius, op aanvraag van den kroonprins, zich bereid verklaarde aanstonds een bisschop te benoemen te Brugge en te 's Hertogenbosch, ten einde de bevolking van West-Vlaanderen en Noord Brabant goed te stemmen. Doch koning Willem wees, benevens andere, ook dit middel af, dat den vrede had kunnen helpen herstellen. ALBERS, *t. a. pl.*, bl. 389.

Dicit autem *rubrica* reformata Missalis et Breviarii : « ad litteram N. exprimitur nomen Titularis propriæ ecclesiæ, dummodo *a*/ Titulus non sit persona divina vel mysterium Domini, aut *b*/ de ipso Titulo non dicatur missa aut facta non sit Commemoratio, aut *c*/ illius nomen non sit in eadem Oratione *A cunctis* expressum. Ac nomina sanctorum Angelorum et S. Joannis Baptistæ, si Titulares fuerint, præponuntur nomini sancti Joseph. In hisce autem omnibus casibus omittuntur verba *atque beato N.* ».

I. **Regulariter** ergo exprimitur nomen Sancti qui est *Titularis ecclesiæ*, h. e. sub cujus nomine et invocatione seu in cujus honorem erecta et dedicata est ecclesia (1). Vere enim constituitur Titularis tantum in ecclesiæ dedicatione : h. e. in consecratione vel solemni benedictione. Ita dedicari debent ecclesiæ et oratoria publica, possunt autem oratoria semi-publica, modo sint cultui divino perpetuo dicata. Titularem ergo non habent *a*/ oratoria privata seu domestica ; *b*/ oratoria semipublica quæ benedictione loci tantum sunt benedicta ; *c*/ oratoria publica et ecclesiæ ante solemnem benedictionem aut consecrationem. Si plures Sancti sint Titulares omnes nominari debent qui sunt Titulares *æque principales*.

Attamen si ecclesia aut oratorium principale seminarii, collegii, nosocomii aut cujusvis domus piæ, est consecratum vel solemniter benedictum, hujus Titularis habetur ut Titularis etiam oratorii interni, minus principalis in eodem instituto erecti, licet non solemniter benedicti ; hujus ergo nomen ibi est exprimendum (Decr. 3804, 8).

Nominari debet « Titularis *propriæ* ecclesiæ ». Propria autem hic censetur ecclesia : a/ *quoad missam*, ea in qua celebratur missa etiam a sacerdote extraneo, b/ *quoad officium*, ea ecclesia cui adscriptus est (2) qui officium

---

(1) Sedulo notanda est distinctio *Titularem ecclesiæ* inter et *Patronum loci*, de quo discrimine cf. *Collat. Brugen.*, t. XXIV, 213 ss.

(2) Quinam sint alicui ecclesiæ legitime adscripti exposuimus ap. *Collat. Brugen.*, t. XXIV, 300 ss.

recitat etiam in ecclesia aliena. Ratio prioris partis patet, alterius vero hæc est : tota disciplina de officio supponit officii recitationem publicam, quæ ideo censetur facta in choro illius ecclesiæ cui recitans adscriptus est, adeoque sub tutela intercessionis illius Sancti qui hujus ecclesiæ Titularis est.

Pro regularibus decrevit S. R. C., 2 dec. 1891, n. 3758: « Regulares (in missa) in Oratione *A cunctis* posse ad litteram N. nominare proprium S. Fundatorem, dummodo Titularem (si nominari queat) non omittant: servato tamen ordine dignitatis in rubricis præscripto ». Si ejusdem dignitatis sint S. Fundator et Titularis, hic ante illum nominandus est.

II. **Exceptiones.** Nomen Titularis non est addendum et verba « atque beato N. » sunt omittenda :

1/ Si *nullus est Titularis* ecclesiæ, seu si oratorium non est consecratum aut solemniter benedictum, ut supra vidimus.

2/ Si *Titularis non est Sanctus* (aut Angelus, aut B Maria V.) qui intercedere possit, sed est Persona divina vel Mysterium Domini, v. g. Spiritus Sanctus, SS. Cor Jesu, Transfiguratio Christi. Ratio est quia non possunt verificari verba orationis: « *intercedente* v. g. beato Spiritu Sancto ».

3/ Si Titularis jam speciatim aut *nominatim invocatur* in ipsa Oratione *A cunctis* aut etiam in Oratione ejusdem missæ aut ejusdem horæ canonicæ: quando nempe de Titulari fit missa, vel officium vel commemoratio. Non enim fit bis de eodem.

III. **Simpliciter omittenda** sunt in præfatis casibus verba « atque beato N. ».

Quidam tamen censent in præfatis casibus loco Titularis exprimendum esse *nomen Patroni loci*, si talis existat consuetudo (1). Et certe hæc erat disciplina ante refor-

(1) Le Vavasseur-Hægy, *Manuel de liturgie*, t. I, part. IV, sect. V, n. 86 (ed. 1922); Bernard-Hébert, *Leçons de liturg.* t. I, n. 278 (ed. 1920).

mationem breviarii et missalis. Decretum enim generale 27 junii 1899, n. 4043, ordinans totam disciplinam de commemorationibus in suffragiis ad Vesperas et Laudes faciendis sic statuerat, n. 8: « Præter commemorationem de Titulo seu Patrono (1) ecclesiæ (et regulares etiam de proprio fundatore) nulla de Patrono loci vel diœceseos, provinciæ aut regni vi rubricæ facienda est, *nisi contraria vigeat consuetudo* » (2). Et decretum *Dubia*, 23 nov. 1906, n. 4194,9 idem repetit.

Verum his ultimis temporibus, magis accurate posita est distinctio Patronum loci inter et Titularem ecclesiæ; mutata est ordinatio suffragii ad Laudes et Vesperas; et tam in missali quam in ultima editione breviarii post orationem *A cunctis* addita est valde explicita rubrica (supra partim citata) in qua principia laudati decreti generalis n. 4043 summarie resumuntur. Excipitur tamen mentio de consuetudine, cujus loco diserte statuitur « *omittuntur* verba *atque beato N.* ». Ex quibus concludimus *nunquam esse recitandum nomen Patroni loci, nisi hic simul sit Titularis ecclesiæ.*

Nota. In omni igitur sacristia ecclesiæ vel oratorii saltem solemniter benedicti affigi *debet*, magno caractere expressum, nomen Titularis ecclesiæ. Utiliter etiam addi *potest* nomen Patroni loci.

C. Callewaert.

---

(1) Olim non raro Titularis ecclesiæ vocabatur nomine *Patroni ecclesiæ*, dum hodie nomen *Patroni* reservatur soli Patrono *loci diœceseos vel regni.*

(2) Antea pro diœcesi Brugensi, decreto diei 12 sept. 1840, n. 2814, 1, declaraverat S. Cong. Rit. « Patronum civitatis vel loci esse nominandum » in casibus de quibus hic agimus. Similiter ex decreto in una *Pragensi*, n. 4055,3, Patroni regni exprimi poterant sed non debebant. Deficiebat ergo uniformitas.

# De honestate, consectario inspirationis.

## Applicatio : de psalmis imprecatoriis.

Ex omnibus quæ supra, pp. 172 ss., exposuimus, colligi potest quænam ex sic dictis Psalmis imprecatoriis (1) — aliisve imprecationibus (2) in s. Scriptura occurrentibus (3) — desumi possint difficultates contra divinam eorum Psalmorum inspirationem illamque honestatem moralem, quam ut consectarium ad inspirationem consequi ostendimus (4). — Nimirum :

Difficultas non est utrum Deus possit alicui homini

---

(1) Qua imprecatorii citantur *Psalmi* XVI, 13 s. ; XXXIV, 4, 8, 26 ; LI, 7 ; LIII, 7 ; LIV, 10, 16, 24 ; LVII, 7-10 ; LVIII, 6-9, 12-14 ; LXVII, 2, 3, 31 ; LXVIII, 23-29 ; LXXVIII, 6-12 ; LXXXII, 10-19 ; CVIII, 6-19 ; CXXVIII, 5-8 ; CXXXVI, 7-9.

(2) *Imprecationes* intelligimus eas propositiones, forma optativi expressæ, quibus aliquis alicui malum exoptat ; *alicui*, id est vel sibimetipsi, vel proximo, vel Deo, vel creaturis irrationalibus ; practice autem, pro re nostra, agitur de imprecationibus *in proximum*. — Porro, ut infra dicetur, interdum malum proximo optari potest licite et honeste, adeoque abstinemus ab hujusmodi definitione quæ complectatur motivum semper inhonestum, ita ut imprecatio ut intrinsece mala esset habenda.

(3) *Jer.*, XI, 20 ; XVII, 18 ; XX, 11 ss. ; *Matth.*, XI, 21 ; XXIII, 13-29, 38 ; XXVI, 24 ; *Luc.*, XXVI, 24 s. ; *Act. Ap.*, VIII, 20 ; XXIII, 3 ; *Gal.*, V, 12 ; *II Tim.*, IV, 14 ; *Apoc.*, VI, 10.

(4) Eædem moveri possunt difficultates et eadem erunt principia solutionis quantum ad ea loca s. Scripturæ ubi hagiographus Deum vel alium *orat* ut malis aliquem afficiant ; — exempla abunda t ; — item quantum ad ea loca ubi hagiographus *exprimit suum gaudium* de malis alicui illatis vel forte inferendis, ut puta *Ps.* CXXXVI, 8 s. : *Beatus qui tenebit, et allidet parvulos tuos ad petram.* Cæteroquin hujusmodi dicta vix aliud sunt quam imprecationes speciali quodam modo expressæ. Et patet imprecationes aliave hujusmodi intelligi posse non tantum de malo proximo, sed etiam ipsi hagiographo inferendo, ut puta *Ps.* cit., 5 s. : *Adhæreat lingua mea faucibus meis....*

*inspirare* — sensu vulgari, non theologico hujus vocabuli — talia vel talia sensa in Psalmis expressa, seu utrum possit positive et efficaciter movere aliquem ad hujusmodi sensa *habenda*. Etenim *inspiratio* proprie dicta, de qua loquimur ubi de s. Scriptura, non est influxus Dei ad tales vel tales affectus *habendos*, sed ad eos *scripto exprimendos* (1).

Porro huic inspirationi minime sufficit hagiographum — vel alium cui illas imprecationes adscriberet — revera habuisse affectus illos seu sensa quæ in textu sacro exprimuntur. Hoc enim sufficeret quidem *veritati* seu inerrantiæ s. Scripturæ, nequaquam vero ejus *honestati*. Etenim, juxta exposita supra, ex triplici capite possent imprecationes in s. Scriptura occurrentes huic honestati repugnare. Nimirum :

I. — Repugnat quominus auctor sacer, oratione optativa de præsenti expressa, proponeret faciendum aliquid inhonestum seu *optaret ut aliquis proximo faceret id quod absque peccato facere illi non posset ;* — ut puta si optaret ut Deus innocentem puniret. — Recole dicta supra, pp. 173 ss., sub I.

II. — Repugnat quominus auctor sacer, oratione enuntiativa seu narrative, *referret* aliquam suam aut aliorum *imprecationem*, eamque sub uno alterove respectu *malam*, atque eamdem sub illo præcise respectu approbaret. — Recole dicta supra. pp. 176 ss., sub II.

III. — Repugnat quominus auctor sacer imprecationem, quamvis de se non illicitam adimpleri, oratione optativa de præsenti exprimeret ita ut *ipsa hæc expressio seu scriptio* esset *mala*, ut puta si scriptio illa existeret vere *scandalosa* pro lectoribus, aut si fieret *ex malo quodam affectu ;* — ut puta si *ex odio inimicitiæ* optaret alicui mortem, quantum-

(1) Eodem modo, quoad *veritates* in s. Scriptura contentas, inspiratio non fuit revelatio vel suggestio vel illuminatio ad veritates theoretice *cognoscendas*, sed influxus divinus, in intellectum et in voluntatem et forte in potentias executrices, ad easdem veritates scripto *consignandas*.

vis utique ille mortem meruerit in pœnam. — Recole dicta supra, pp. 178 ss., sub III.

*Examen* et *solutio* harum trium difficultatum, ut patet, in singulis casibus alia esse debebunt et singuli textus erunt examinandi. Juvabit tamen principia quædam generalia exposuisse eaque speciali casui *Psalmi* LXVIII, vv. 23-29 — cujus textus supra pp. 58 ss., interpretationem dedimus — applicuisse.

Et primo quidem notamus tres difficultates statim indicatas esse quidem inter se distinctas omnesque theoretice suscitatu possibiles ; practice tamen, pro plerisque imprecationibus, ex tribus illis, ultima est, quæ magis elevari solet.

Ita, quoad I^am^, ægre argueres psalmistam tales efflagitare et optare delinquentium punitiones quæ absque peccato non possint infligi, ut puta tales quæ meritum eorum excedant. Ita, quod spectat *Ps.* LXVIII, vv. 23-29, quantumvis dirissima sint mala quæ optantur, quonam jure ea ut crimina excedentia haberes ? Quod, ut alii vv. cit. explicant, temporalibus pœnis plectatur, ille in quem imprecationes diriguntur, vel quod, ut alii explicant, Deus ipsi deneget gratias abundantiores permittatque eum in continuo nova peccata ruere, et quod tandem ipsum æternum damnet, quonam jure hæc ut injusta a divino judice infligenda haberes ?

Item nec II^a^ difficultas practice ponenda est pro psalmis imprecatoriis, et signanter non pro *Ps.* LXVIII, vv. 23-29 ; non enim mere narrative referuntur imprecationes, sed ipse psalmista est qui voluntatem suam, ut proximo malum fiat, oratione optativa de præsenti, exprimit.

Unde III^a^ difficultas est quæ movetur, et potissimum quidem hæc (1) : nonne manifestum est imprecationes

---

(1) Verbulum dicamus hîc de hac alia difficultate quæ moveri posset : Quomodo potuit Deus inspirare talia quæ sæculis subsequentibus lectoribus scandalo esse deberent, utpote provocantia eos ad similes imprecationes emittendas, imo ad ipsa verba sacra adhibenda in finem pessime imprecandi ? — Respondemus negando eos textus imprecatorios *debuisse* esse scandalo lectoribus ; sicut enim potuerant honeste scribi, imo sub inspiratione divina, ita poterant honesto sensu intelligi et honesto sensu orari postea, — quamvis utique potuerint malo sensu intelligi et pessimo abusu s. Scripturæ adhiberi.

persæpe fieri, et signanter in *Ps.* LXVIII, ex malo affectu, ut puta ex odio inimicitiæ aut ex ira et vindicta personali? Imo nonne semper illicitum est, utpote repugnans caritati quam Christus nos docuit etiam erga inimicos ostendere, quælibet mala, etiam merita non excedentia, proximo optare? Ita, quantumvis Deus jure merito punire possit peccatorem, pœnis tum temporalibus, tum spiritualibus, nonne repugnat ut nos illud optemus et a Deo petamus? Quantumvis Deus peccatori juste denegare possit gratias abundantiores et tandem damnationi æternæ ipsum addicere, an licite nos illud petimus? Imo nonne caritas exigit ut potius optemus veniam et misericordiam? — Et tandem quomodo admitti potest, quod supra, juxta nonnullorum Psalmi LXVIII interpretationem concessum est, hujusmodi imprecationes occurrere in ore dulcissimi et patientissimi Jesu, in cruce pro omnium salute morientis Patrisque dimissionem pro inimicis suis implorantis?

Jam ad solutionem difficultatis descriptæ (1).

1/ Sunt qui, ad textus Psalmorum aliosque Veteris Testamenti explicandos, provocaverint ad *discrimen vigens Vetus inter et Novum Testamentum*, et concesserint hujusmodi imprecationes utique dissonare ab indole legis evangelicæ, minime vero ab indole Veteris Testamenti (1). — Ne tamen hoc male intelligatur! Si enim hoc tantum intenditur Vetus Testamentum a Novo differre tamquam

---

(1) Cfr S. THOMAS, *Sum. theol.*, II-II, q. XXI, a. 6, ad 3; q. LXXVIII, a. 8, ad 1 et 2.

(2) Ita THEODORETUS monendos censuit lectores Psalmorum « ne ullam ex justi hominis precibus [quæ in Psalmis occurrunt] offensionem acciperent neve ansam inimicis mala imprecandi ex illis arriperent; Legis enim statum neque vero evangelicum vivendi modum prophetam [i. e. auctorem inspiratum Psalmorum] esse sectatum; Legem autem imperare, ut proximum diligamus et inimicum odio habeamus, Dominum vero amorem inimicorum præcepisse » *(In Psalmum XXXIV)*. — De hoc dicto : *Odio habebis inimicum tuum*, v. pag. seq., nota (3).

minus perfectum a perfectiore (1), hoc merito dicitur; negari enim nequit Jesum, tum verbo tum exemplo, evexisse caritatem erga proximum ad multo majorem perfectionem (2) quam ea quæ proponebatur sive in ipsa Scriptura veteri, sive, multo magis, in traditionibus a scribis judaicis Scripturæ superadditis (3). — Si vero hoc intenditur imprecationes quæ in Vetere Testamento occurrunt positive inhonestas fuisse neque jam sub Novo Testamento ullo modo sub inspiratione scribi potuisse (4), hoc, ut patet, falso dicitur et inspirationi Veteris Testamenti repugnaret. — Unde concedi potest imprecationes, Psalmi LXVIII v. g., *deficere a perfectione evangelica*, nequaquam vero eas *esse inhonestas* (5).

---

(1) Quo sensu scribebat s THOMAS, *Sum. theol.*, I-II, q. 107, a. 1, ad 2 : « Omnes differentiæ, quæ assignantur, inter novam legem et veterem, accipiuntur secundum perfectum et imperfectum ».

(2) Cfr *Matth.*, v, 17 ss., in specie vv. 21-26 ; 38-42 ; 43-48 ; — *Jo.*, XV, 12 ; — *I Jo*, II, 7 ss.

(3) Dictum quod Jesus ab antiquis citat, *Matth*, v, 43 : Diliges proximum tuum, et *odio habebis inimicum tuum*, non textum legis referebat, sed interpretationem a Rabbinis legi superadditam. — Cæteroquin pro quanto vellet quis hac formula bene reddi spiritum legis mosaicæ et Antiqui Testamenti, dicendum tamen esset expressionem *odio habere*, non necessario eo sensu hostili esse sumendam quo hodie sumeretur ; per hebraismum enim non ignotum, *odio habere*, potissimum ubi opponitur *diligere*, potius significat *negligere*, *non attendere*.

(4) Quare cum doctrina de Psalmorum inspiratione nequit conciliari quod scribebat Haneberg : « Indessen scheint eine Classe von Psalmen, sowie eine Anzahl von einzelnen Stellen jedenfalls unter die Antiquitäten zu gehören, welche nie neu werden können, nämlich die Fluchpsalmen... Bei diesen Liedern und Stellen mag man annehmen, dass sich der Psalmist lebendig in die göttliche Gerechtigkeit hineingedacht habe, gleichsam mit ihr und aus ihr rede, oder dass er mehr warne und mahne, als verwünsche ; immerhin widersprechen diese Stellen dem neuen Gesetze, das uns Christus gegeben hat, sie bleiben in dem Psalter als Denkmäler der alten Zeiten stehen ». *Geschichte der Offenbarung*, 4 ed., 1876, p. 356. Cfr CORNELY, *Cursus... Introductio specialis*, II, 2, p. 122.

(5) Cæteroquin etiam in Novo Testamento occurrunt maledictiones, et Jesus non tantum suavis et dulcis, sed et severus fuit et vindex malorum. Cfr loca citata supra, p. 351, *nota* (3). Et merito S. HIERONYMUS, *In Gal.*, v, 18, « omnes qui contra Vetus Testamentum latrant »

2/ Sunt alii qui in lucem ponunt rationem habendam esse *mentis et styli orientalium*, sicut et *indolis poëticæ Psalmorum*, adeo ut expressiones ab auctoribus sacris adhibitæ, non sint ad litteram sumendæ, sed, ab hyperbolis et exaggerationibus verborum minutæ, sensu mitigato intelligendæ. — Hoc, ut patet, difficultatem minuit quidem, sed per se non tollit; difficultas enim non est exinde quod imprecationes sint *tali vel tali gradu* horrendæ, sed exinde quod sint, etiamsi minimo gradu tantum, ex quolibet capite *inhonestæ*. — Sed utique per accidens, difficultas plene tolleretur, pro quanto stylus orientalium vel modus scribendi poëticus secum ferret ut quæ specietenus adsunt imprecationes haberi possent ut *nulla ratione* qua tales intentæ, ut puta si quod optativa eaque vividiori forma exprimitur de facto non esset nisi prædictio aut comminatio de futuro (1), — ut statim dicetur sub 3.

3/ Magis pertinet ad rem quod jam multi Patres et plures commentatores veteres ac recentiores post eos advertunt, posse hujusmodi textus specietenus tantum esse imprecatorios, revera autem esse *prædictiones* et *comminationes de futuro* (2), profectas ex speciali revela-

---

admonet « quidquid pro Apostolo excusationis afferatur, hoc pro Lege Veteri defendi posse ». — Et ex opposito etiam in Vetere Testamento non ignota erat dilectio inimicorum, ut in specie constat præclaris exemplis ipsius Davidis erga Saul (Cfr *I Reg.*, XXIV; XXVI; *II Reg.*, I) et quamplurimis textibus in Psalmis, imo in ipsis imprecatoriis, occurrentibus (*Ps.* VII, 5 ss.; XXXIV, 12 s.; CVIII, 4); ipse Paulus, *Rom.*, XII, 19, ex Vetere Testamento hanc eximiam caritatem demonstrat (cfr *Deut.*, XXII, 35; *Prov.*, XXV, 21 s.).

(1) Vide quoque dicenda ad 4, sub *b*/.

(2) Ita S. CHYSOSTOMUS, *In Psalm. CVIII*: « Magna heic nobis prudentia opus est; verba enim, si considerentur tantum sicut sunt prolata, perturbant multos eorum, qui non attendunt. Totus enim Psalmus plenus est exsecratione, atque ejusmodi tota percurrit oratio ac loquentis ferventem et ardentem iram indicat, quæ non contenta eum ulcisci, qui fecit injuriam, etiam in filios, patrem et matrem extendit supplicium, et non una ei sufficit calamitas, sed etiam mala malis conjungit... Nemo autem perturbetur.... : *prophetia est sub specie impre-*

tione divina vel imo ex sola fide generali in justitiam divinam (1); — non ideo præcise quasi, secundum grammaticam, optativum seu imperativum hebraicum commutari posset cum futuro indicativo, sed quia vivaci Orientalium indoli audacique poëtæ stylo nequaquam repugnat figura locutionis qua futurum per imperativum seu optativum exprimatur (2). Ita v. g., in casu Psalmi LXVIII, psalmista, sub specie imprecationis, *prædixisset* defectionem Judæ, rejectionem populi judaici, etc. — In hac hypothesi, ut patet, ruit omnis difficultas, siquidem sic dictæ imprecationes revera tales non sunt ; et quidem est hæc hypothesis pro Psalmo citato, omnino possibilis (3) ; non tamen videtur necessaria, ut patebit ex jam dicendis sub 4. Cæteroquin non videtur bene possibile omnes imprecationes scripturisticas ad hujusmodi figuras rhetoricas et artificia litteraria reducere.

---

*cationis* ; nam etiam alibi tale quid invenimus. Quoniam enim oportebat auditores juvari ex iis, quæ aliis eveniebant, vaticinia multa ita enuntiant prophetæ, ut vel ipso modo proferendi augeatur metus in republica ». — Similiter EUSEBIUS, *In Psalm.* LIV, 16 dicit « Scripturam *imperativo modo* futura solere proferre ». — Et s. AUGUSTINUS, *In Psalm.* XXXIV, n. 8-9 ; *in Psalm. CVIII*, n. 7 : « Ea quæ *figura optandi* dicuntur, *animo prophetandi* explicantur ; illud *fiat* et illud *fiat* nihil est aliud, quam *hoc et hoc futurum est* ». Et s. THOMAS, *in Psalm.* XXXIV : « Dicendum quod in omnibus istis imprecationibus duplex est intellectus : unus quod dicantur per modum prænuntiationis, ut quum dicat *Judica* quasi dicat *Judicabit* ; alter ut omnia intelligantur prolata non ex zelo vindictæ propriæ, sed divinæ justitiæ, cui se conformant justi ». CORNELY, *o. c.*, pp. 121 s.

(1) Sufficiebat v. g. applicare casibus concretis, qui occurrebant, iteratas comminationes quæ in Pentateucho contra peccatores edictæ fuerant et signanter horrendas illas quæ leguntur *Lev.*, XXVI, 14-45 ; *Deut.*, XXVIII, 15-68 : — item punitiones quam frequenter decursu historiæ a Deo inflictas delinquentibus.

(2) Cfr *Is.*, XXIII, 1 ss. ; XXVI, 2. CORNELY, *o. c.*, n. 195, *nota* II.

(3) Ipse s. Petrus, *Act. Ap.*, I, 16, 20, allegat v. 26 nostri Psalmi tamquam qui *prædixerit* defectionem Judæ. Et cfr *Matth.*, XXIII, 37-39 ; *Rom.*, XI, 9-10 ; XV, 3. — Et notum est tum textum Vulgatæ tum versionem LXX non raro per futurum reddidisse hujusmodi imprecationes. Cfr *Ps.* LVII, 7 ss. ; LXVIII, 13 s. ; CVIII, 18.

4/ Etiamsi hujusmodi textus intelliguntur *per modum imprecationum*, quibus, ex vera voluntate ut fiat, verbis optantur mala proximo, utique merita non excedentia (de qua re recole dicta p. 353), non ideo necessario *ex malo affectu fiunt* adeoque licitæ atque honestæ esse possunt. Equidem, ut latius exponitur in Theologia morali, malum est proximo malum optare ex odio inimicitiæ, id est optare malum ut sic et in hoc malo sistendo ; item ex vindicta personali et aliis hujusmodi hîc non latius evolvendis motivis. Sed

*a*/ Licitæ sunt imprecationes, si malum optatur proximo, *ut ipsi bonum sit*, — modo utique servetur proportio inter malum quod optatur, qua medium, et bonum quod intenditur, ut finem ; qua ratione certe liceret mala temporalia proximo optare ad ejus conversionem. Quo sensu v. g. intelligi potest *Ps.* LXXXII, VV. 17-19. — Quocirca nota hujusmodi imprecationes, etiamsi verbotenus absolutæ sonent, manifeste tamen *conditionate* fieri : non enim optantur mala nisi in quantum illi cui optantur prodesse possunt.

*b*/ Licitæ sunt imprecationes, si malum optatur proximo, non præcise ut ipsi malum sit, sed *quatenus aliis bonum est*, servato tamen iterum debito ordine et proportione. Ita v. g. ut alii, nunc abutentes exemplo impiorum, visa horum punitione, ipsi cessent peccare, imo resipiscant ; item ut justi, et signanter ipse Psalmista vel alii justi determinati aut integer populus, quorum nomine scribit suum Psalmum, liberentur ab aliorum insidiis et molestiis ; item ne justi perversorum exemplo corrumpantur, etc. Quo sensu v. g. leges *Ps.* LXVIII, 33 s. ; imo putamus pluribus locis Psalmistam nil intendere quam orare Deum ut ipsum vel alios justos ab injusta impugnatione defendat et tantummodo vividiori forma et audacioribus figuris, sub specie imprecationum, describere opem quam sibi a Deo postulat (1). — Etiam his imprecationibus, etsi modo absoluto expressis, obvie subaudietur

(1) Lege v. g. *Ps.* XXXIV.

*conditio :* pro quanto nempe illa mala vere prodesse possunt illis aliis.

*c*/ Licitæ possunt esse imprecationes, si malum optatur proximo, etiam qua malum illi, sed hoc non ex affectu quodam malo, ut puta ex odio et vindicta personali, sed *quatenus Deo bonum est*, seu *ex zelo justitiæ et gloriæ divinæ*. Non tantum enim misericordiam et bonitatem manifestandam habet Deus, sed et justitiam suam, eamque revera sæpe manifestat et exsequitur, ad suam gloriam. Unde, quantumvis perfectius esse possit (1) optare ut misericordia fiat, non ideo tamen malum fuerit Psalmistæ, quasi ex persona Dei, optare ut et justitia fieret, ut puta contra tales qui, omnem bonitatem Dei in abusum vertentes, ex impunita malitia sua ansam quærebant legem Dei ipsamque ejus existentiam perfracto ausu denegandi (2). — Sane, ut diximus, non ex ira et vindicta personali hujusmodi imprecationes licite fieri poterant ; poterant tamen ex zelo justitiæ et gloriæ divinæ. Jamvero quam obvium erat Psalmistæ Veteris Testamenti offensas, sibi — puta Davidi — aut aliis — puta populo Israël — illatas, habere et consequenter odisse ut offensas *Dei ?* Nonne enim ipsi erant rex et populus Dei, ita ut Deus, eos vindicando, seipsum tueretur ? — Huc referri possunt verba s. Augustini, *in Psalm.* XXXIV, 1, 9 : « Propheta in Spiritu Dei sic ea dicit, quomodo Deus illa facit, certo judicio, bono, justo, sancto, tranquillo, non turbatus ira, non amaro zelo, non animo inimicitiarum exercendarum, sed *justitia vitiorum puniendorum* » (3).

Etiam hisce imprecationibus, etsi modo absoluto

---

(1) Non enim semper perfectius erit misericordiam exhibere ; ipse Christus non raro solius justitiæ suæ ostensionem præstitit. Vide supra, p. 351, *nota* (3).

(2) Cfr *Ps.* V, 7-11 ; LXVII, 11 s. ; LXXVIII, 10 ; CXVIII, 148 ; CXXXVIII, 19 s. — Hoc sensu dicitur non *peccatorem*, sed in peccatore *peccatum* odio haberi, i. e. peccatorem *qua talem*.

(3) Cfr LESÊTRE, *o. c.*, p. LXXVII ; et lege s. THOMAM, *Sum. theol.*, II-II, q. XXV, a. 6, ad 3.

expressis, obvie subauditur *conditio;* qui enim a Deo, animo sincero et ex zelo gloriæ ipsius Dei, petit hujusmodi punitionem delinquentium, eo ipso impletionem petitionis suæ Deo committit eique relinquit ut, si velit, alio modo, ut puta ostensione misericordiæ suæ et conversione delinquentium, gloriæ suæ provideat.

5/ Ultimum excogitari posset medium solvendi, et radicitus quidem, difficultatem ex imprecationibus in Psalmis aliisve libris sacris occurrentibus desumptam : eas nimirum, via exegetica, explicare et *reducere ad meras citationes*, easque ab auctore sacro *non approbatas*. Et res quidem nullum facesceret negotium, si citatio esset explicita nihilque indicaret ullam hagiographi approbationem ; ita v. g. nil patet obstare inspiratio quominus psalmista referat maledictionem ab inimicis suis contra se prolatam : « Inimici mei dixerunt (i. e. optant) mala mihi : Quando morietur (i. e. utinam moriatur ipse), et peribit (i. e. pereat) nomen (i. e. tota progenies) ejus (*Ps.* XL, v. 6) ? — Ast præterea, uti colligi potest ex aliquo decreto Commissionis Pontificiæ de Re Biblica, 13 febr. 1905, absolute loquendo, non repugnat quominus imprecationes occurrant in sic dicta citatione *implicita*, eaque ab auctore sacro non approbata. Citationem implicitam intelligimus talem textum quem auctor sacer, ex vera intentione citandi, aliunde adducit, quin tamen explicitis verbis hanc suam citandi intentionem indicet. Porro intuitu enodandi difficultatem quæ ex certis quibusdam imprecationibus desumi posset, non licet exegetæ catholico ad hypothesim citationis implicitæ ejusque non approbatæ recurrere, nisi solidis argumentis demonstretur tum hagiographum revera intendisse alterius dictum citare, tum illum illa citata, saltem quantum ad imprecationem, nec probare nec sua facere (1).

---

(1) Hanc duplicem conditionem ex laudato decreto Commissionis Biblicæ jure merito deducimus etiam pro hac nostra materia. — Quare non possumus assentire iis quæ scribebant ZENNER-WIESMANN, *Die*

* * *

Hæc si jam applicamus *Psalmo* LXVIII, vv. 23-29, cujus supra, pp. 58 ss., dedimus interpretationem, apparet multiplici modo posse occurri difficultati, quæ juxta supra sub III exposita, ex capite dirissimarum imprecationum, inibi specietenus saltem occurrentium, desumi potest.

1/ Equidem, ut diximus sub 1°/, nil juvat recurrere ad indolem generalem Veteris Testamenti, quasi potuerint hæ imprecationes scribi sub Antiquo, dum jam non possent sub Novo Testamento. Etenim, etsi concedi posset eas deficere a perfectione evangelica, non tamen, siquidem sub inspiratione scriptæ fuerunt, inhonestæ esse possunt, adeoque etiam sub Novo Testamento sub inspiratione scribi possent.

2/ Neque, ut diximus sub 2°/, juvat ex indole orientalium et stylo poëtico arguere ad mitigandas imprecationes : sic enim ipsa difficultas minuitur, non tollitur.

3/ Ast, ut diximus sub 3°/, non incongrua est sententia — et hæc difficultatem radicitus solveret, per ipsam negationem suppositi — vv. citatos esse intelligendos non per modum imprecationum, sed per modum prædictionum et comminationum de futuro, forma optativi expressarum.

4/ Præterea, ut diximus sub 4°/, etiamsi vv. citati, ut dicendum videtur, per modum imprecationum audirentur, non ideo ut malæ et inhonestæ habendæ sunt. Quomodo enim, quod utique ad difficultatem sustinendam exigeretur, probares has imprecationes ex odio inimicitiæ, ex vindicta personali aut alio motivo inhonesto oriri, potius quam ex uno aliove ex motivis honestis quæ sub

---

*Psalmen nach dem Urtext*, 1906, p. 162, hypothesim citationis implicitæ quasi deum ex machina suggerentis. — Æstimamus hujusmodi citationem implicitam adesse eamque tum satis demonstratam, tum ab hagiographo nequaquam approbatam, imo contrà improbatam, pro imprecationibus quæ leguntur *Ps.* CVIII, vv. 6-19. De qua re vide *Collat. Brugen.*, 1920, t. XX, pp. 245 ss.

*a*/ et *b*/ et *c*/ exposuimus ? Motivi enim alicujus inhonesti nulla prostant indicia ; contra unum alterumve ex dictis motivis honestis supponere facile possumus.

*a*/ — Equidem, quod spectat quæ diximus sub *a*/, ægre intelligimus Psalmistam hæc omnia mala optasse adversariis suis *ut ipsis bonum esset :* nihil enim spirat aliqualem spem adversarios per illa infortunia ad meliora sensa esse adducendos ; et certe, si secundum unam ex interpretationibus supra, pp. 58 ss., propositis, plura vel imo omnia mala optata essent ordinis spiritualis, hypothesis hujusmodi finis ipso facto excluditur : adversariis enim prodesse nequit quod ruant in continuo nova peccata et quod in peccatis suis obdurentur et tandem pereant.

*b*/ — Contra magis possibile apparet, de quo diximus sub *b*/, Psalmistam hæc mala optasse adversariis suis, *quatenus sibimetipsi aut aliis bonum esset.* Revera si, cum aliis, Psalmus intelligeretur tamquam in sensu litterali agens de Davide, inimicis suis imprecante mala ordinis potissimum temporalis, non incongrue diceres Davidem mala illa exorare eo fine ut justi, qui Deo et Davidi fideles permanserunt, in bonis suis dispositionibus confirmentur, ne nimirum, ut ipse Psalmista ait, ii qui sperant in Domino exercituum Deumque Israël colunt in spe sua confundantur (1). — Si vero, ut præferendum videtur, Psalmus intelligitur tamquam agens, non tantum in sensu mystico, sed et in sensu litterali de Jesu patiente inimicis suis imprecante mala, non tantum ordinis temporalis, sed et spiritualis, imprecationes plane honestæ intelliguntur. Etenim nonne et Judæ et Judæorum rejectio a salute messianica innumeris aliis hominibus profuit ad timorem et salutem ? Nonne ergo pleno jure, intuitu hujus utilitatis pro tot aliis, potuit Jesus exorare punitionem illam, etiam spiritualem, inimicorum suorum ?

---

(1) Lege v. 7 ; et cfr vv. 33 ss. — si tamen hi ultimi vv. ad Psalmum primitivum spectent. Rec. dicta supra, p. 34.

c/ — Potissimum vero usu venire videntur quæ diximus sub c/, quatenus nimirum imprecationes Psalmi LXVIII ideo honestæ fuerunt quia profectæ ex zelo justitiæ et gloriæ divinæ. — Quod enim enixe desiderat auctor imprecationum — sitne David, sitne ipse Jesus — hoc est ut a Deo puniantur angustiæ, non tantum ingentes et absque causa Psalmistæ illatæ, sed quæ ipsi *ipsius Dei causa* inferuntur : quia ipse bonus est et Deo placere contendit, ideo persequuntur ipsum (1) : unde Deus causam suam propriam tuebitur et gloriæ suæ proderit si persecutores puniat. — Et hoc quidem perbene intelligitur si, ut certum est (2), Psalmus sumitur ut messianicus, sive in sensu litterali, sive in sensu mystico. Sic enim est oratio Jesu patientis ex zelo justitiæ et gloriæ divinæ in suos pervicaces hostes, toties peccatorum contra Spiritum sanctum reos, in Judam et in Judæos punitionem illam spiritualem, quæ eis postea juremerito obtingeret, exorantis (3).

5/ Quod tandem spectat solutionem tamquam, absolute loquendo, non impossibilem, indicatam supra, sub 5 ea in casu Psalmi LXVIII nullius applicationis est ; certe enim vv. 23 ss. non sunt citatio explicita, et certe nulla prostant indicia eos vv. esse citationem implicitam eamque ab auctore Psalmi non approbatam.

A. VANDER HEEREN.

---

(1) Lege vv. 8-12.

(2) Vide supra, pp. 30 ss.

(3) Huc referri potest quod quidam auctores verba Jesu : *Pater, dimitte illis* etc. intelligunt qua orationem non pro omnibus affligentibus ipsum, ut puta non pro ducibus populi Judaici, sed pro militibus romanis, qui ipsum cruci affigebant et pro aliis forte Judæis, magis quam duces populi ex ignorantia agentibus.

# Acta SS. Congregationum.

## E S. Congr. de discipl. Sacramentorum

### ULTRAIECTEN.

#### DE PATRINIS BAPTISMATIS (1)

Die 8 octobris 1924 Revmus Archiepiscopus Ultraiecten. preces, quæ sequuntur, huic Sacræ Congregationi porrexit:

Beatissime Pater, — Archiepiscopus Ultraiectensis, ad pedes Sanctitatis Vestræ provolutus, humiliter petit solutionem dubiorum quæ hisce exponuntur:

Ex can. 765, 5° C. I. C. ut quis sit baptismi patrinus, oportet baptizandum in actu baptismi per se vel per procuratorem physice teneat aut tangat, vel statim levet, seu suscipiat de sacro fonte, aut de manibus baptizantis; et ex can. 768 patrinus cum baptizato contrahit spiritualem cognationem, quæ quidem ex can. 1079 matrimonium irritat. Iam vero, uti apud nos moris est, qui patrinum agere vult, nemini mandatum confert expressum, sed, nisi per se officio illo perfungatur patrinus, baptizans vel baptizandi parentes aliam personam invitant, ut pro patrino absente agat.

Hinc sequentia dubia solvenda proponuntur:

I. an ex tali agendi modo patrinus absens contrahat cognationem spiritualem, et inde exoriatur impedimentum canonis 1079; et si negative:

II. quidnam a patrino faciendum sit ut agere valeat per procuratorem; nimirum:

*a*/ an debeat conferre determinatæ personæ mandatum speciale;

*b*/ an vero sufficiat, ut edat, sive scripto sive voce, mandatum generale pro persona per parentes vel per baptizantem determinanda; immo

---

(1) *Acta Apost. Sedis*, XVIII (1926), p. 43 s.

c/ an sufficiat mandatum generale præsumptum pro quavis persona ?

Hisce dubiis Emi Patres in plenario Conventu diei 24 iulii 1925 responderunt ;

« Ad I. Si patrinus, agnoscens huiusmodi consuetudinem, eidem sese conformare intendat, et aliunde patrinus ipse esse possit ad normam can. 765, *Affirmative* ».

« Ad II. provisum in I. Attamen prædicta consuetudo est reprobanda : 1° quia indubitanter constare debet patrinum in facie Ecclesiæ proprium munus suscepisse, quod per dictam consuetudinem manet incertum et æquivocum : 2° quia patrinus suum munus suscipere debet cum plena notitia et conscientia inde exorientis obligationis ad mentem can. 769, quod excludere videtur præfata consuetudo, quippe quæ redigit patrini officium ad quemdam inanem ritum ; 3° quia ex tali recepto more facultas fere demitur parocho conditiones explorandi, quæ a can. 765 et 766 requiruntur, ut quis valide et licite patrini munus suscipiat ».

« Hisce præ oculis habitis, Instructio pro Rmis Ordinariis locorum fiat ».

Facta insuper de his omnibus relatione Ssmo Domino Nostro Pio Papæ XI per infrascriptum Secretarium huius Sacræ Congregationis, die 29 iulii 1925, Ssmus decisionem EE. Patrum ratam habuit et confirmavit.

† A. Capotosti, Ep. Thermen., *Secretarius*.

Adnotatio.

In instructione adnexa hæc, inter alia legimus :

« Quod vero ad quæstiones propositas a R. P. D. Archiepiscopo Ultraiecten. attinet, etiam Synodus prov. Ultraiectensis anno 1865 habita, vehementer conquerebatur quod nimis leviter et negligenter patrini munus susciperetur et perageretur, ita arguens : « Hoc officium nimium « negligenter habetur nostris diebus, deque eo vix cogitant « sive ii quibus patrini inducendi cura est, sive ii qui « sanctam hanc curationem in se suscipiunt. » Et Catechismus Concilii Tridentini graviter ita hunc morem reprehendit : « Hoc munus adeo negligenter in Ecclesia « tractatur, ut nudum tantum huius functionis nomen « relictum sit, quid autem sancti in eo contineatur, ne « suspicari quidem homines videantur » (l. c., n. 28). Qui

contemptus ecclesiasticæ disciplinæ hodierno tempore eo magis est deplorandus, quo gravior urget necessitas christianæ fidelium institutionis.

Quamobrem Emi Patres Cardinales Sacræ huius Congregationis de disciplina Sacramentorum, cum ad proposita dubia responderint, ex relata agendi ratione cognationem spiritualem contrahi, ut supra scriptum est, acriter insimul improbarunt expositam consuetudinem, et rationes ad rem spectantes in vulgus edi iusserunt, Instructione scilicet adiecta, ut nempe gravitas muneris patrini et obligationum eius fidelibus sedulo explicetur, ab iisque intimius cognoscatur, cum præsertim Codex leges de patrinis in Baptismo diserte tulerit, lib. III, part. I, tit. I, cap. IV, quæ in *Rituali Romano* denuo recensentur, et pro Confirmatione, tit. II, cap. IV.

Etenim prouti nemo a parocho proprio est admittendus ad patrini munus, qui conditionibus ad validam aut licitam huius muneris susceptionem requisitis non præstat, ita quoties in sacramenti collatione quis patrini partes expleat non suo nomine, sed alterius certæ et determinatæ personæ nomine eiusque mandato, huiusmodi mandatum seu mandantis voluntas legitime probetur oportet, videlicet per idoneos testes aut per scriptum ac legitimum documentum, nisi aliunde intentio mandantis sit certo et indubitanter parocho proprio baptizandi vel confirmandi explorata, adeo ut parochus investigare queat an designatus patrinus polleat qualitatibus iure requisitis, atque in libris, ubi ad tramitem ss. canonum est notanda sacramenti collatio, inscribatur nomen tum procuratoris tum mandantis, qui se quidem patrini munus cum huius legalibus effectibus suscepisse scire debet. Hisce præcipue de rationibus hic Sacer Ordo reprobandam censuit consuetudinem quæ, etsi recte observetur, mandatum dumtaxat generaliter præsumptum continet ».

Paucis verbis : ut quis per procuratorem patrinum agat postulatur *ad valorem* ut, ante baptismum, electus munus patrini reapse acceptaverit et aliquem suo loco designaverit. Non tamen requiritur ad valorem ut procuratio detur expressis verbis vel personæ determinatæ. Sic, ubi baptizans vel parentes baptizandi solent aliam personam invitare ut pro patrino absente prolem suscipiat, susceptio valida est, dummodo ille qui munus patrini accepta-

vit, hujusmodi consuetudinem agnoscens huic *de facto voluerit* se conformare.

Hæc tamen consuetudo ubi existit reprobanda est, ob rationes in decreto et adnexa instructione expositas.

V. Coucke.

---

# E S. Congr. de Propaganda fide

Decreto 4 aprilis 1926 promulgantur statuta generalia Piæ Unionis cleri pro missionibus atque summarium spiritualium favorum, quibus ejusdem Piæ Unionis sodales fruuntur (1).

1/ **Statuta generalia**, scilicet de natura et fine, de sodalibus, de consiliis regionali et diœcesano, de congressibus, in extenso alibi facile reperiet lector. Unum tantum breviter recitamus, nimirum de sodalibus. « Piæ Unioni cleri pro missionibus adscribi possunt omnes sacerdotes cum sæculares tum regulares necnon clerici qui sacræ theologiæ studiis incumbunt.... Sodales ordinarii vocantur, qui præter cetera P. U. officia [active nimirum collaborandi operi missionum precibus, verbis, eleemosynis] præstita, statutas a consilio regionali contributiones quotannis solvunt » (2).

2/ **Favores spirituales** (3) nimirum : I. — Indulgentia plenaria, suetis sub conditionibus lucranda, in festis : 1° Epiphaniæ, 2° SS. Apostolorum, 3° S. Michaelis Archangeli, 4° S. Francisci Xaverii, 5° semel in mense, die ad proprium cuiusque arbitrium eligenda, 6° in articulo mortis, servatis servandis.

II. — Indulgentia centum dierum pro quolibet pietatis opere in favorem Missionum expleto.

III. — Facultas (dummodo adscriptus ad sacramentales confessiones audiendas sit approbatus) :

---

(1) *Acta Ap. Sedis*, t. XVIII (1926), p. 230 sq.

(2) Pro nostra diœcesi contributio 5 francorum solvi potest R. a. D. can. De Meester, Postcheck, n. 48908.

(3) *Ibid.*, p. 235 sq.

1° benedicendi extra Urbem, unico Crucis signo, coronas, rosaria, cruces, crucifixos, numismata et parvas statuas cum applicatione Indulgentiarum Apostolicarum (cfr *Acta Ap. Sedis*, 1922, p. 143); 2° benedicendi, unico Crucis signo, coronas iuxta typum rosariorum B. M. V. confectas, cum applicatione indulgentiarum, quæ a PP. Crucigeris nomen habent; 3° benedicendi ac imponendi, servatis ritibus ab Ecclesia præscriptis, scapularia Passionis D. N. Iesu Christi, Immaculatæ Conceptionis, B. M. V., SS. Trinitatis, B. M. V. Perdolentis, B. M. V. a monte Carmelo, ab Apostolica Sede approbata (cfr infra n. VII); 4° benedicendi, unico signo Crucis, crucifixos cum applicatione indulgentiarum pii exercitii a *Via Crucis* nuncupati in favorem fidelium, qui quominus sacras visitent « Stationes » legitime impediuntur; 5° benedicendi, unico signo Crucis, crucifixos, iisdemque applicandi plenariam indulgentiam in articulo mortis ab iis acquirendam, qui præscriptis expletis conditionibus, illos, osculati fuerint aut saltem aliquo modo tetigerint (cfr *Acta Ap. Sedis*, 1914, p. 348).

IV. — Indultum personale Altaris privilegiati, quater in qualibet hebdomada, dummodo simile indultum pro alia die non obtentum fuerit.

(Hæc omnia per S. Pœnitent. 15 nov. 1918. Cfr *Acta Ap. Sedis*, 1919, p. 20).

V. — Facultas (dummodo, ut supra, ad sacramentales confessiones audiendas adscriptus sit adprobatus) benedicendi coronas Septem Dolorum B. M. V. cum applicatione omnium et singularum Indulgentiarum, quas Summi Pontifices eiusmodi coronis impertiti sunt.

VI. — Facultas, ut supra, benedicendi ac imponendi, sub unica formula, scapularia, quæ ut Sodales Piæ Unionis imponendi facultate gaudent. (Ex Audientia SSmi Emo Præfecto S. Congr. de Prop. Fide concessa die 20 martii 1919. Cfr *Acta Apost. Sedis*, 1919, p. 179).

VII. — Facultas imponendi scapularia de quibus supra, absque inscriptionis onere in album Confraternitatis (Ex Audientia SSmi Emo Præfecto S. C. de Prop. Fide concessa die 4 martii 1920).

VIII. — Facultas pro omnibus adscriptis anticipandi a meridie recitationem Matutini cum Laudibus subsequentis diei, dummodo tamen officium diei iam persolverint (Ex Audientia Ssmi Emo Præfecto S. C. de Prop. Fide concessa die 1 decembris 1921. Cfr *Acta Ap. Sedis*, 1921, p. 565).

# E Pontificia commissione

## ad codicis canones authentice interpretandos

### RESPONSA AD PROPOSITA DUBIA (1).

*I. — De reservatione casuum*

D. — 1° Utrum *quævis reservatio*, de qua can. 900, sit tantum ratione peccati an etiam ratione censuræ.

2° Utrum canon 900 agat de reservatione casuum ab Ordinariis tantum an etiam a Sancta Sede statuta.

R. — Ad 1um affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Ad 2um negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

*II. — De forma celebrationis matrimonii*

D. — Utrum, secundum canonem 1098, ad valide et licite matrimonium coram solis testibus contrahendum sufficiat factum absentiæ parochi, an requiratur etiam moralis certitudo, ex notorio vel ex inquisitione, parochum per mensem neque haberi neque adiri posse sine gravi incommodo.

R. — Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

*III. — De Missa in matrimoniis mixtis*

D. — An canone 1102 § 2 in matrimoniis mixtis, præter Missam pro sponsis, prohibeatur etiam alia Missa, licet privata.

---

(1) *Acta Apost. Sedis*, XVII, (1925), p. 583; dubia excerpta in documento veniunt sub n. VII-X.

R. — Affirmative, si hæc Missa, ex rerum adiunctis haberi possit uti complementum cæremoniæ matrimonialis.

*IV. — De sepultura ecclesiastica*

D. — An, vi canonis 1240 § 1, 5°, ecclesiastica sepultura priventur qui mandaverint suum corpus cremationi tradi et in voluntate permanserint usque ad mortem, etiamsi crematio ad normam canonis 1203 § 2 non sequatur.

R. — Affirmative.

Datum Romæ, die 10 novembris 1925.

P. Card. Gasparri *Præses*,

Ioseph Bruno, *Secretarius*.

# Notæ bibliographicæ

**Henricus a s. Familia** (O. C. D.). *Compendium philosophiæ scholasticæ.* Trichonopoly, 1925. — In 8, IX-XXVIII-247 p. — Pr. 15 fr. (Couvent des Carmes, rue de Bruges, 50, Gand).

In hoc compendio, quod in usum auditorum suorum concinnavit cl. A., miss. ap. e provincia Flandriæ et in seminario majori Quilonensi philosophiæ professor, proponuntur quæstiones omnes, quæ ad scholasticam philosophiam pertinent. In tabulis synopticis (p. I-XXIII) A. primo exhibet schematice totam materiam tractandam; eamdem deinde hoc ordine evolvit : præmissa logica minore dicit de physica generali quam cosmologiam vocat ; postea de physica speciali, quam dividit in somatologiam et psychologiam inferiorem ; tandem de metaphysica, quam dispescit in ontologiam, psychologiam superiorem, theodiceam, logicam majorem et ethicam. Divisio, uti videtur, sat nova et inaudita ; singulæ quæstiones brevissime solvuntur, sed ut advertit ipse A., vivam vocem professoris supponit atque exigit omnino hoc compendium, quod eminet præsertim claritate et methodo, quibus præcipuæ notiones philosophiæ, ad mentem Angelici. traduntur et expoliuntur.

H. Lamiroy.

**Mahieu, J** (S. T. D.). *De jubelaflaai van 1926.* St-Amanduswerk, Groot Seminarie, Brugge, 1926. — Pr. 0,50 fr.

De leering der H. Kerk nopens het verdienen der aflaten in 't algemeen en nopens 't winnen van den jubelaflaat van 1926 met de vereischte voorwaarden in al de bisdommen van Belgie voorgeschreven, wordt in dit werkje nauwkeurig en duidelijk uiteengedaan. Mocht dit boekje ruim verspreid worden onder ons geloovig volk, bijzonder in al onze onderwijsgestichten.

**Surmont, A.** (Miss. Scheut), *Bij Jezus.* Innige samenspraken met Jezus in de H. Eucharistie. — Brussel, Dewit, 1925. — In 12, 240 bl. — Pr. 6,75 fr.

Wij begroeten met vreugde 't verschijnen van dit boek en bevelen het onze lezers zonder voorbehoud aan. Het bevat gezond en sterk voedsel voor groote zielen, zooals missionarissenzielen zijn : mochten al onze priesters het lezen en zich de leering ervan toeeigenen ! Wij hopen ook dat vele leeken die de missionarissen steunen zich zullen verheugen hun zielevoedsel te deelen.

*De Wijngaard van Brugge. — Het Brugsch Begijnhof.* Brugge, De Gruuthuuse Persen, 1926. — In 8, 47 bl.

Eene verzameling van zichtkaarten van ons zoo innig, stemmig brugsch begijnhof oefent reeds een zachten aantrek uit op de God- en

vrede zoekende ziel. Hier wordt bij die aantrekkingskracht der schoonste zichten eene gloedvolle pleitrede van den geestelijken wijngaardenier gevoegd, gericht tot de zieleleiders, met het doel ze te overtuigen nieuwe begijntjes aan 't uitstervende begijnhof van Brugge te schenken. De geschiedenis, de regel en het leven der brugsche begijntjes worden opvolgentlijk beschreven. Wij sluiten ons aan bij dien wensch van schrijver : « Onze echte vlaamsche stichting, die als uit het hart van Vlaanderen is ontsproten mag toch niet te loor gaan in den maalstroom dezer onverschillige tijden ». God verhoede den ondergang van ons begijnhof !

**Lippert** (S. J.). *Van ziel tot ziel.* (Brieven aan goede menschen). Uit het duitsch vertaald door L. Dosfel. — Leuven, Vlaamsche Boekenhalle, 1925. — In 12. 284 bl. — Pr. 12,50 fr.

Prachtig en vol van grondige zielskennis van 't begin tot 't einde. Allen die leiding zoeken en allen die leiding geven zullen in dit boek een kostbare, levendige en troostvolle leering vinden,

**Meersdom, C.** (C. SS. R.). *Zieleleven voor studenten.* — 3e uitg. Esschen, S. Alphonsus-Boekhandel, 1926. — In 18, 206 bl. — Pr. 3,50 fr.

Nogmaals warm aanbevolen : moet in al de geestelijke boekerijen onzer colleges te vinden zijn, en mocht het een handboek worden voor iederen student !

**Vanden Bulcke, A.** *Zwarte helpers.* Missionarissen van Afrika (Witte Paters), Keizerstraat, 21, Antwerpen. — In 8, 125 bl.

Eerweerde schrijver is erin gelukt ons in dit boek te laten zien op welke manier onder de bekeerde negers uitgelezen zielen opgeleid worden om als onderwijzers, kloosterzusters of priesters de vreemde zendelingen in hun apostolaat bij te staan. Deze bladzijden zijn uiterst belangwekkend en zullen onder onze studeerende jeugd ongetwijfeld veel goed stichten. Zij wekken ook in de ziel dit troostvol vooruitzicht op dat binnen afzienbaren tijd de woorden van Mgr Lavigerie zullen vervuld zijn, die hij sprak tot zijn eerste witte Paters : « Uwe taak (in Afrika) zal voltrokken zijn, wanneer ge erin zult geslaagd hebben uit het volk dat ge bekeeren gaat, priesters en bisschoppen te vormen ».

**Esser, Fr. X.** (S. J.). *Schepter en sleutel in priestershand.* Uit het duitsch vertaald door Fr. Vinc. M. Dillen, O. P. — Oostende, Holvoet-Cazaux, 1926. — In 12, 114 bl. — Pr. 3 fr.

Dit werkje betracht « 't onvergelijkelijk heerlijke beeld des priesters onverstoord te bewaren in zijn stoere pracht en zijn door God bepaalde

doel ». 't Komt in de ziel van den priester 't bewustzijn van zijn weerdigheid verlevendigen met de verhevenheid van de dubbele priestermacht op treffende wijze in 't licht te stellen. De taal is hier en daar wat duitschgetint uit vertalersnauwgezetheid en daardoor wat duister en zwaar. Men zoeke hier geen theologische studie in geijkte formulen geschreven: 't is eene omschrijving met een weelde van aanhalingen uit Gods woord en in een overvloed van levendige soms wat stoute beelden, die dan ook voor andere lezers dan priesters zouden kunnen aanleiding geven tot minder juiste opvattingen. Aan alle priesters dringend aanbevolen.

*De weg ter wijsheid* volgens de serafijnsche moeder Teresia. Door eene ongeschoeide Carmelites. 's Hertogenbosch, Teulings. — In 8, v, 438 bl. — Pr. 4.50 holl. fl.

In zijn inleidend woord verkondigt P. Stocks, C. SS. R., den lof van de h. Teresia, de « mater spiritualium », de moeder van degenen die naar 't geestelijke leven streven, en spreekt zijn verwachting uit dat dit boek, waarin hare leering samengevat wordt door eene harer begaafde dochters, heilzamen invloed zal uitoefenen op geloovigen en zelfs op andersdenkenden in Holland. Ook bij ons zal deze schoone, soms wat langdradige bloemlezing uit s. Teresia's werken, veel goed stichten, eens dat een gunstiger wisselkoers ze binnen ons bereik zal gesteld hebben. Onze vlaamsche kloostergemeenten vooral zullen dit werk met genot en groote vrucht lezen. Schrijfster, die vroeger reeds de leering van s. Joannes van het kruis samenvatte in haar « *Door 't niet tot 't al* », levert hier bewijs van eene diepe kennis van de leer harer stichteres.

Misschien mogen wij verhopen eerstdaags een werk van haar eigen maaksel te lezen te krijgen. A. Legrand.

**Cocchi, G.** *Commentarium in codicem juris canonici ad usum scholarum.* Lib. V. De delictis et pœnis. Taurinorum Augustæ, 1925. — In 8, 424 p.

Uti de præcedentibus voluminibus hujus commentarii in hoc periodico notatum est, hoc opus eminet brevitate, claritate et vix non semper doctrinæ securitate. Totum illud commentarium studentibus utilis erit manuductio pro penitiori canonum intelligentia, professoribus autem et auctoribus hinc inde auxilio erit propter propositam relativorum canonum logicam analysim. Sedulo curavit A. ut desiderata a criticis ad priora volumina olim expressa rite expleret, ita ut valor scientificus hujus commentarii gradatim adauctus sit. Qui tamen librum manualem inquireret in canonum commentariis completum, non posset omittere consultationem aliorum auctorum, qui hisce ultimis annis de hoc codicis libro quinto optime scripserunt.

J. Brys.

# Collationes Brugenses

## RESPONSA

### ad quæstiones in conferentiis mensis junii propositas.

—

I.

**In Luc., XVIII, 9-14. — Homilia.**

Q. — *Expositis circa evangelium Missæ dominicæ X^a post Pentecosten* (Lc., XVIII, 9-14) *explicationibus ad textum intelligendum requisitis, et, intuitu homiliæ habendæ, lectioni evangelii opportune præmittendis, paucis delinea schema homiliæ, cujus objectum sit : humilitas.*

R. — *Explicationes ad intellectum Evangelii præparatoriæ.*

Tam præclara jam dederat et adhuc daturus erat Jesus exempla humilitatis ; verbo quoque eamdem virtutem qua primam conditionem regni cælorum (1), qua primam virtutem qua discipuli ad Ipsum sequendum adducerentur (2), inculcaverat. Sicut enim noverat *initium omnis peccati* esse *superbiam* (3), ita et noverat solis humilibus largiendam esse gratiam ad justitiam et salutem necessariam (4).

---

(1) *Mt.*, V, 3 : *Beati pauperes spiritu : quoniam ipsorum est regnum cœlorum.*

(2) *Mt.*, XI, 29 : *Discite a me, quia mitis sum, et humilis corde.*

(3) *Eccli.*, X, 15.

(4) *I Pet.*, V, 5 ; *Jac.*, IV, 6.

Et eheu, tot erant inter auditores Jesu peccatores (1), per humilem pœnitentiam ad Deum convertendi ; et ex illis tot erant superbiæ dediti. Aderant in specie *Pharisæi* (2), una ex duabus factionibus seu sectis, in quas qui populo judaico qua duces præerant erant divisi. Ex historia et Evangelio novimus quanta fuerint peccata et vitia quibus essent dediti, quamvis utique pro posse oculis hominum abscondita (3) ; novimus quoque quanta fuerit eorum superbia : ipsum nomen eorum (a verbo *parash*, separare) indicat quantum se, qua doctos et pios, a vulgo, qua indocto et imperfecto, procul haberent : tota enim eorum doctrina, tota externa vita erat in accuratissima, sæpe ridicula, legis interpretatione et in diligenti paternarum traditionum investigatione et observatione ; hanc justitiam suam jactabant, hanc sibimetipsis tribuebant : *in se confidebant tamquam justi ;* — hac sua justitia se aliis longe præcellere æstimabant : *aspernabantur ceteros*, v. 9.

Cordi habet divinus Magister ut etiam hisce oculos aperiat, abominationem sui modi agendi eis patefaciat ; quod eo libentius fecerit Jesus quod simul poterit reliquum populum a fucata illa sanctitate et a nefando influxu Pharisæorum detrahere (4). — Ideo proponit eis (5) parabolam in qua, præter unum ex iis Pharisæis, apparet *publicanus*. Erant publicani, de quibus in Evangelio, portitoros seu vectigalium in urbibus et pagis exactores, in hoc præpositis Romanis inservientes ; reliquo populo erant maxime exosi, tum propter officium quod oppressoribus populi præstabant, tum propter

(1) Lege *Rom.*, II, I — III, 20.

(2) Altera erat factio *Sadduceorum*.

(3) Cfr *Matth.*, XV, 3 ss. ; XXIII, 13 ss.

(4) Revera Pharisæi maxima gaudebant auctoritate apud populum, et sane eorum resistentia Evangelio eorumque Christi rejectio maxima causa fuit quare et populus judaicus Christum recusaverit. — Cfr FLAVIUS JOSEPHUS, *Antiq. jud.*, XIII, 10, 5 ; XVIII, 1, 3 s.

(5) Revera Jesus dicit *ad quosdam*, προς τινας ; sensus non est Jesum *de iis* loqui.

avaritiam, vexationes, Legis infractiones quibus frequentissime revera rei erant : peccatores sæpe erant, semper peccatoribus publicis accensebantur.

Uterque *ascendit in templum*, i. e. non ad ipsum sanctuarium (1), neque ad sic dictum atrium sacerdotum, ubi ponebatur altare holocaustorum, sed ad unum ex atriis Israëlitis patentibus (2), unde sanctuarium vel altare holocaustorum videre et cæremoniis liturgicis assistere et hoc sensu, expressione usitata, coram Domino, *lifné Jahve*, apparere poterant.

Parabola ita nobis exhibebit utramque personam ut ex earum contemplatione horror superbiæ et amor humilitatis, Deo juvante, in cordibus nostris accendi et nutriri possit ac debeat.

*Sequatur lectio Evangelii.* —

*Applicatio.*

I. *Pharisæus* ille typus est hominis superbi, imo superbiæ omnium pessimæ, spiritualis nempe, qua homo de ipsa justitia gloriatur : prætendit justitiam habere quam non habet ; quam habet, non Deo, sed sibimetipsi adscribit ; eadem, sola superbia ductus, super alios homines se extollit. Revera :

1/ Vide ipsius modum agendi : *stat*, seu melius in plena conscientia suæ dignitatis *se sistit* (3) ; tam prope ac valet

---

(1) Sanctuarii duæ erant partes : *Sanctum*, cujus ingressus solis sacerdotibus ad hoc designatis patebat, et *Sanctum Sanctorum* seu pars sanctissima, quo solus Summus Sacerdos una tantum anni die intrabat.

(2) Spatium ante et circa Sanctuarium sacerdotibus erat reservatum : atrium erat sacerdotum ; spatium huic circumjacens masculis Judæis patebat : atrium erat Israëlitarum ; ad spatium tertium mulieribus judaicis accessus erat : atrium mulierum ; quartum tandem erat, latissimum, ubi cuicumque, etiam gentili, patebat accessus : atrium gentilium. Varia hæc atria porticis vel et aliis ædificiis, portis instructis, ab invicem erant separata.

(3) Juxta formam gr. σταθείς et ex contextu non videtur sensus tantummodo esse, Pharisæum modo Judæorum orantium *stantem* orare ; sed germ. : *Er pflantzte sich auf.* — Etiam infra, v. 13 : *Publicanus a longe stans*, ἑστώς non videtur notari positio corporis, sed publicanum a longe *sistere : hij bleef staan, hij stond van ver.*

ad altare et ad sanctuarium, quasi majori cum Deo intimitate fruens, accedit (1) ; caput et oculos et manus gestu jactanti in altum attollit (2).

2/ Audi ex ipsius verbis — nam genuina *oratio* aut *gratiarum actio Deo* facta non est (3), — quantum se *supra seipsum* seu ultra merita sua *extollat*, quatenus

*a/* a vitiis se immunem proclamat : *Non sum sicut ceteri hominum : raptores, injusti, adulteri.* Quasi non omnes homines peccatores existerent (4), et quasi qui a vitiis citatis immunis est, eo ipso perfectus esset ! Quasi non essent alia vitia æque aut imo magis flagitiosa coram Deo, quibus poterat, ad exemplum tot aliorum Pharisæorum (5), esse inquinatus ! Quasi imo de facto, hoc ipso momento, non indulgeret vitiis Deo maxime odiosis : superbiæ et hypocrisi, defectui caritatis et invidiæ, contemptui proximi injustæque ipsius accusationi ! — Et hanc suam aliqualem a vitiis immunitatem, soli Providentiæ divinæ et gratiæ adscribendam, sibimetipsi adscribit, illius gloriam sibimetipsi attribuit !

*b/* virtutes sibi adscribit : proclamat enim quod, ultra obligatoria legis, *jejunat bis in sabbato*, i. e. in hebdomada et *decimas dat omnium quæ possidet* seu, melius, quæ *acquirit* (6). Quasi non essent alia opera iis majora et ex

---

(1) et (2) Hoc de Pharisæo merito concludimus ex manifesta oppositione cum publicano in v. 13. Solebant Judæi oculis et manibus elevatis orare.

(3) *Orationem* et genuinam *gratiarum actionem* non esse patet tum ex manifesta mente Jesu et scopo parabolæ, tum ex ipsis verbis Pharisæi qui unice seipsum elevare intendit. *Ut orarent*, in v. 10, et *orabat* sicut et *gratias ago* in v. 13, sunt expressiones non sensu proprio urgendæ. — Pulchre accommodari posset quod v. 11 dicitur : hæc *apud se* orabat ; non enim *apud Deum* orabat utpote sibi soli seipsum laudans.

(4) Cfr *Prov.*, XVIII, 17 ; *Ps.* XVIII, 13 s. ; Jac,, III, 2 ; *I Jo.*, I, 8.

(5) Cfr *Mt.*, XXIII.

(6) κτῶμαι. — Ex lege mosaica una tantum per annum erat dies obligatoria jejunii, nimirum dies magnæ expiationis, *Lev.*, XVI, 29, 31 ; XXIII, 27, 32 ; *Num.*, XXIX, 7 ; ex usu Pharisæorum jejunabatur feriis II et V singulis hebdomadis. — Similiter ex lege mosaica decimæ dandæ erant de fructibus terræ et animalium, *Deut.*, XIV, 25, 20 ; ast Pharisæus eas dat de pluribus rebus lege non intentis (cfr Matth., XXIII, 23), imo de omnibus quæ quovis modo, ut puta emendo, acquirit.

divina lege obligatoria, quæ deberet facere et non facit (1) ! Et quasi hæ praxes externæ essent ipsa virtus, dum revera, ubi non ex recta intentione interna fiunt, vel nihil, vel imo peccata sunt (2) ! — Et iterum hanc aliqualem suam sanctitatem, soli Deo, sine quo nihil possumus (3), adscribendam, superbo ausu sibimetipsi adscribit (4) !

3/ Audi ex ipsius verbis quantum et quam immerito seipsum *super alios* extollat, iterum

*a/* quantum ad vitia fugienda : *Non sum sicut ceteri hominum : raptores, injusti, adulteri : velut etiam hic publicanus.* Quasi ipse aliis *suis* vitiis non posset raptoribus etc. esse Deo odiosior ! Quasi non esset injusta exaggeratio omnes alios homines de hisce pessimis criminibus accusare (5) ! Quasi in specie non esset temeraria et injusta accusatio hujus præsentis publicani, ut vel ipsa narratio subsequens nobis ostendet !

*b/* quantum ad virtutes colendas. Aliis utique, ob jejunia et eleemosynas suas, excellentiorem se ducit. Quasi non possent alii virtutibus et operibus excellentioribus eminere ! Et quasi in ipso exercitio mortificationis et charitatis, non possent alii, minoribus forte operibus externis, majora merita habere coram Deo, spectato sive onere quod sibi imponere habent, sive intentione puriore qua opera præstant (6) !

— An mirum homines hujusmodi superbos odibiles esse coram Deo et coram hominibus (7) ? Quid mirum si superbis, Deum, gloriæ suæ invidum (8), gloria sua

---

(1) Cfr *Matth.*, xv, 1-9 ; xxiii, 23. — Et certe hoc ipso momento Pharisæo desunt præcipuæ virtutes humilitatis et misericordiæ.

(2) Cfr *Matth.*, vi, 1 ss. ; 5 ss. ; 16 ss.

(3) *Jo.*, xv, 5.

(4) Patet ex verbis et tono quo proferuntur ; est Pharisæus parabolæ unus ex iis *qui in se confidunt tamquam justi.*

(5) Possibile est Pharisæum non seipsum solum omnibus aliis hominibus opponere, sed potius categoriam suam, Pharisæorum nempe, ceteris hominibus.

(6) Cfr *Marc.*, xii, 41-44.

(7) *Eccli.*, x, 7.

(8) *Is.*, xlii, 8 : *Gloriam meam alteri non dabo.*

defraudantibus, et per superbiam suam ad tot peccata in caritatem proximi et in justitiam deductis, Deus resistit? Quid mirum si Pharisæus parabolæ templum relinquit *non justificatus* (1), peccatis magis quam antea oneratus, et, nisi convertatur, in via perditionis æternæ positus? *Quia qui se exaltat humiliabitur.*

II. *Publicanus* typus est hominis humilis.

1/ Vide ipsius modum agendi, eumque, ut patet ex tota mente Jesu, sincerum et cordatum: *a longe stat*, indignum se reputans propius accedere ad altare, ad sanctuarium, ad Deum; *non vult* nedum caput, imo *nec oculos ad cœlum levare*, præ compunctione et confusione cordis; *pectus suum*, ex quo omnia vitia quasi ex fonte scaturiunt (1), *percutit*, in signum pœnitentiæ et mœroris.

2/ Audi verba ejus: *Deus propitius esto mihi peccatori*, veram orationem, brevem, ut decet humilem, — quomodo *se non extollat supra seipsum:*

a/ fatetur sua vitia omnia, nota aut occulta; quænam sint dicere non habet; Deus melius novit; — eadem *sibi soli* adscribit: nullam affert excusationem, neminem alium accusat, sed pectus *suum* percutit; *mihi peccatori* ingemiscit; nihil meretur, sed solam propitiationem divinam implorandam habet.

*b/* de virtutibus suis, signanter de profunda sua humilitate et de præclara pœnitentia ne verbulum quidem habet, neque de ulla gloria sibi capessenda vel cogitat.

3/ Audi quoque quomodo *super nullum alium se extollat:* neque de aliorum vitiis, a quibus ipse immunis esset, neque de aliorum virtutibus, quas ipse suis superaret, aliquid memorat.

— Quid mirum si homines hujusmodi humiles amabiles existunt tum hominibus tum ipsi Deo? An mirum si humilibus istis, caritatis et justitiæ erga

---

(1) V. 14: *Descendit hic* — publicanus — *justificatus... ab illo*, παρ' ἐκεῖνον, i. e. *potius quam ille*, seu publicanus erat justificatus, Pharisæus non erat.

proximum tam perfecte observantibus, debitum quoque locum sibimetipsi erga Deum tribuentibus, Deus dat gratiam ? Quid mirum si publicanus parabolæ *in domum suam descendit, justificatus*, amicior Deo factus ?

Volumusne et nos exaltari ad majorem perfectionem et sanctitatem his in terris, ad gloriam postea in cælo, allaboremus humilitati in nobis promovendæ : *quia qui se humiliat exaltabitur.*

A. Vander Heeren.

## II.

## De dotibus corporum resurgentium.

Q. *Breviter et accurate describe dotes corporum resurgentium, quas enumerat catechismus noster.*

R. — Quærit catechismus noster, lectione decima quarta ad octavum : « Qualia parebunt in resurrectione corpora sanctorum ? ». Respondet : ornata erunt *claritate, agilitate, subtilitate et impassibilitate*, quæ quattuor dotes, præeunte s. Thoma (1), a theologis communiter corporibus sanctorum resurgentium tribuuntur, in connexione cum testimonio s. Pauli : « Seminatur [corpus] in corruptione, surget in incorruptione [incorruptibilitas, impassibilitas] ; seminatur in ignobilitate, surget in gloria [claritas] ; seminatur in infirmitate, surget in virtute [agilitas] ; seminatur corpus animale, surget corpus spiritale » [spiritualitas, subtilitas] (2).

Novimus revera, ex diserta doctrina s. Pauli, Christum Dominum etiam esse *causam exemplarem* resurrectionis nostræ (3), unde « dicendum », ait Angelicus, « quod resurrectio omnium hominum habebit aliquid de similitudine resurrectionis Christi, scilicet quantum ad illud quod pertinet ad vitam naturæ, secundum quam omnes

(1) Cfr s. Thomas, *Summa contra gentiles*, IV, 86.
(2) *I Cor.*, xv, 42 s.
(3) *Philip.*, iii, 21 coll. *I Cor.*, xv, 20.

Christo fuerunt conformes : et ideo omnes resurgent in vitam immortalem. Sed in sanctis, qui fuerunt Christo conformes per gratiam, erit conformitas quantum ad ea quæ sunt gloriæ » (1).

Antequam pauca de singulis istis dotibus delibamus, advertere juvat hæc esse *dona præternaturalia*, quorum quædam protoparentibus jam fuere concessa (2) ; per lapsum deperdita, hisce in terris non sunt restituta cum gratia Christi, sed in consummatione regni Christi restituentur perfectius electis, quibus secundum statum animæ suæ beatum omnino conveniunt (3).

1/ Primum donum examinandum est *impassibilitas*, quæ quomodo se habeat ad incorruptibilitatem prius explicamus.

*Incorruptibilitas* haberi potest *a*/ vel quoad *esse essentiale* et sic est proprie *immortalitas ; b*/ vel quoad *esse acciden-*

---

(1) *Sum. theol.*, III, suppl. q. 76. a. 1, ad 4 seu *Com. in lib. IV Sent.*, dist. 43, a. 1, sol. 1, ad 4. — Adverte ad quæstionem de dotibus corporum in tractatu de novissimis præmitti disputationem de ipsa resurrectione et in specie de *identitate* corporum resurgentium, quacum intime cohæret eorum integritas : in resurrectione scilicet non tantum resurget *idem* corpus sed adhuc, uti dicit *Catechismus conc. trid.*, I p., in explic. symboli, a. 11, n. 8 (ed. Desclée, p. 99), « quidquid ad illius naturæ veritatem pertinet » ; resurget homo omnibus suis membris in statu perfectionis juvenilis, ut latius explicat s. Thomas, *Com. in lib. IV Sent.*, dist. 44, q. 1, a. 2 et 3 vel in *Sum. theol.*, III, suppl., q. 81 et q. 82, coll. *Contra gentiles*, IV, 84 s et *Compend. theol.*, c. 156-161. Hanc doctrinam breviter resumit *Catechismus conc. trid.*, qui simul pro hisce materiis, ubi nihil certi revelatione constat, hoc arguendi principium invocat : « Quemadmodum igitur omnia a Deo ab initio creationis perfecta fuerunt, ita etiam in resurrectione futurum omnino affirmare oportet » (p. 100) et cfr *Collat. Brugen.*, XVI, p. 185 s.

(2) Ita immortalitas seu verius *immunitas a necessitate moriendi* cum immunitate *a dolore ;* nota *donum integritatis*, ubi de protoparentibus agitur, esse immunitatem a concupiscentia.

(3) Hoc idem sæpius dicitur asserendo dotes istas *redundare* ad corpus ex beatitudine animæ ; ita in quibusdam textibus s. Thomæ, quos infra citamus, ad quos adverte sic nullatenus significari dotes istas produci effective ab anima ; producuntur *effective a Deo* sed *congruenter* ad statum animæ beatum.

*tale* et sic est *impassibilitas ;* hæc autem excludit α/ aut *solam* dispositionem malam, *physicam* et *corpoream*, cum læsione videlicet intrinseca organismi ; β/ aut excludit etiam et præcipue *omnem* passionem contrariam perfectioni, gaudio ac felicitati subjecti, omnem nempe passionem, quæ et quatenus removet subjectum *a quocumque modo bene se habendi*, sicut est timor, tristitia, ira et alia hujusmodi, necnon ipse dolor corporalis, qui ad læsionem organismi consequitur (1).

Impassibilitas priori sensu cohæret intime cum immortalitate seu incorruptibilitate essentiali ; hanc autem præcipue non attendit catechismus noster, uti videtur, sed respicit potius impassibilitatem secundo sensu, et adhuc præcisive ab ipsa læsione organica. Sic rem etiam proponit catechismus concilii tridentini, qui postquam ostendit resurrectionem hominum in corpore proprio et integro futuram esse, et vindicavit immortalitatem resurgentium, incipit dicere « de quattuor ornamentis corporum sanctorum », quorum primum est « impassibilitas, quæ efficiet ne [sancti in cœlis] molesti aliquid pati, ullove dolore aut incommodo affici queant..... Quod autem impassibilitatem potius, quam incorruptionem [juxta verbum Apostoli], scholastici [hanc dotem] appellarint, ea causa fuit, ut, quod est proprium corporis gloriosi significarent ; non enim impassibilitas [secundo sensu] illis communis est cum damnatis (2), quorum corpora, licet incorruptibilia sint, [nimirum tum quoad esse essentiale, tum quoad esse accidentale priori sensu], æstuare tamen possunt, atque algere, variisque cruciatibus affici » (3).

---

(1) Cfr *Collat. Brugen.*, XVI, p. 257 coll. p. 335 s.

(2) Cfr s. Thomas, *Com. in lib. IV Sent.*, dist. 44, q. 3, a. 2 et 3 vel *Sum. theol.*, III, suppl., q. 86, a. 2 et 3 et *Collat. Brugen.*, XVI, p. 259.

(3) *Catechismus conc. trid.*, *l. c.*, n. 10 (p. 101) et cfr s. Thomas, *Com. in lib. IV Sent.*, dist. 44, q. 2, a. 1 vel *Sum. theol.*, III, suppl., q. 82, a. 1 s., coll. *Summa contra gentiles*, IV, 86 et *Sum. theol.*, I, q. 97, a. 2, quo loco agitur de eadem dote in protoparentibus.

Igitur impassibilitas in beatis imprimis est *immunitas a quavis passione afflictiva ;* sed attendatur simul quomodo hæc immunitas sua vice intime connexa sit cum impassibilitate *naturali*, quæ excludit omnem laesionem organismi possibilem, et facile intelligetur quomodo theologi sæpius impassibilitatem describant hanc dotem, qua corpora sanctorum *nec laedi*, *nec ullo dolore* affici queant (1).

2/ Corpus sanctorum in cœlis insuper erit *subtile* et *spirituale*, « non quia sit spiritus, ut quidam male intellexerunt », ait Aquinas, « sive per spiritum intelligatur spiritualis substantia, sive aër, sive ventus, sed quia erit *omnino subjectum spiritui*, sicut nunc [ab Apostolo] dicitur corpus animale, non quia sit animal, sed quia animalibus passionibus subjacet, et alimonia indiget » (2).

Ut autem corpus spiritui sit omnino subjectum, requiritur non tantum ut non sit fatigabile, et cibo, potu, somno non indigeat, sed adhuc ut nihil impedimenti spiritui cui unitur afferat (3), adeoque quamdam *alia materialia penetrandi facultatem* habeat, quæ sæpius in explicanda spiritualitate corporis gloriosi præcipue attenditur, ita ut spiritualitatem et subtilitatem, pressius nunc uti facultatem penetrativam spectatam, tamquam synonyma habeant (4).

---

(1) Rationem hujus impassibilitatis repetit Angelicus ex perfecto dominio, quod anima glorificata, ipsa plene Deo subjecta, habet in corpus resuscitatum.

(2) *Summa contra gentiles*, IV, 86 coll. *Com. in lib. IV Sent.*, dist. 44, q. 2, a. 2, sol 1 vel *Sum. theol.*, *l. c.*, q. 83, a. 1, c. et in *Catech. conc. trid. l. c.*, n. 10.

(3) Advertit s. Thomas, *l. c.*, in Com. et in Summa, subtilitatem etiam transferri ad rem incorpoream et sic « dicitur aliquis intellectus *subtilis*, quia pertingit ad inspicienda intrinseca principia, et proprietates naturales rei latentes ».

(4) S. Thomas, *ibidem* coll. *Com.*, q. 2, a. 3, sol. 1 et in *Sum. theol.*, *l. c.*, q. 84, a. 1, observat duplicem dari subjectionem corporis ad animam in statu glorioso, primam in ratione *esse*, seu quatenus anima est *forma* corporis et sic habetur corpus *subtile ;* alteram in ratione *agere*, seu quatenus anima considerari potest tanquam *motor* corporis et sic habetur corpus *agile*, de qua dote statim dicetur.

Ad hanc facultatem penitius intelligendam, adverte quæ s. Thomas de eadem fusius disputat.

Nimirum *a/* « subtilitas a corpore glorioso *dimensionem non aufert* » : unde nullo modo aufert ipsi necessitatem distinctionis situs ab alio corpore. Et ideo corpus gloriosum non habebit, ratione suæ subtilitatis, quod possit esse simul cum alio corpore, sed poterit simul cum alio corpore esse ex operatione virtutis divinæ » (1).

Unde « dicendum quod corpus gloriosum *ratione suæ proprietatis non* habet quod possit esse cum alio corpore glorioso *in eodem loco*, sicut nec ut sit simul cum corpore non glorioso. Divina autem virtute [hoc] fieri posset,.... sed tamen non est conveniens quod corpus gloriosum sit simul cum alio corpore glorioso, tum quia in eis servabitur debitus ordo, qui distinctionem requirit, tum quia unum corpus gloriosum non se opponet alteri » (2).

Igitur *b/* Christus cum glorioso corpore, *in virtute divina*, « intravit januis clausis ad discipulos » (3) ; penetrabilitas enim *non* est effectus *physice* proveniens a spiritualitate corporis gloriosi, *sed moraliter* dumtaxat, quatenus Deus in signum et manifestationem hujus dotis illam concedit.

Adhuc *c/* « *secundum naturam suam palpabile est corpus gloriosum ;* sed ex virtute supernaturali [rursus] hoc ei competit, ut, cum vult, non palpetur a corpore non glorioso. Et ideo Gregorius dicit quod Dominus palpandam carnem præbuit, quam januis clausis introduxit, ut perfecto ostenderet, post resurrectionem, corpus suum esse et ejusdem naturæ et alterius gloriæ » (4).

3/ Cum spiritualitate corporis gloriosi connexa est pariter *agilitas* (5), quam s. Paulus vocat *virtutem*.

---

(1) S. Thomas, *Com. in lib. IV Sent.*, *l. c.*, q. 2, a. 2, sol. 2 coll. sol. 3 vel *Sum. theol.*, *l. c.*, q. 83, a. 2, c. coll. a. 3.

(2) *Ibidem*, sol. 4 vel a. 4, c.

(3) *Ibidem*, sol. 5 vel a. 5, c. et nota s. Thomam eadem ratione explicare egressum corporis Christi de utero Mariæ virginali.

(4) *Ibidem*, sol. 6 vel a. 6, c.

(5) Vide supra, p. 378, n. 4.

« Infirmitatem enim, ait s. Thomas, experimur in corpore, quia invalidum invenitur ad satisfaciendum desiderio animæ in motibus et actionibus quas anima imperat ; quæ infirmitas totaliter tunc tolletur, virtute redundante in corpus ex anima Deo conjuncta » (1).

Ad intimiorem intellectum hujusce dotis iterum cum Aquinate observa : *a*/ corpora sua *cum celeritate* movere poterunt sancti, nec solum sua sed etiam corpora aliena.

Attamen *b*/ dos agilitatis *non aufert* a corporibus gloriosis *pondus et gravitatem,* quæ sunt propria corporis mixti et terreni, sed efficiet ut anima pro libitu suo possit impedire actum illius ponderis et gravitatis, ne obstet motui ad quem movet.

Unde *c*/ probabilius, ait s. Thomas, moventur corpora gloriosa « *in tempore*, sed imperceptibili propter brevitatem » (2).

4/ Denique in corporibus gloriosis erit *claritas* et « sicut anima, divina visione fruens, quadam spirituali claritate replebitur, ita per quamdam redundantiam ex anima in corpus, ipsum corpus suo modo claritatis gloria induetur » (3).

In transfiguratione Domini habemus exemplum hujusce claritatis, quam Apostolus *gloriam* vocat, et qua, secundum verbum Christi, « fulgebant justi sicut sol in regno Patris eorum » (4). « Hoc [vero] munere [claritatis] non æque omnes, perinde ac primo [munere, impassibilitatis scilicet], ornari credendum est », ait catechismus concilii tridentini, resumens doctrinam Angelici ; « erunt quidem sanctorum corpora omnia æque impassibilia, sed eum-

---

(1) *Summa contra gentiles*, IV, 86 coll. *Com. in lib. IV Sent.*, dist. 44, q. 2, a. 3, sol. 1 vel *Sum. theol.*, *l. c.*, q. 84, a. 1 et *Catech. conc. trid.*, *l. c.*, n. 10.

(2) *Com. in lib. IV Sent.*, *l. c.*, sol. 3 vel *Sum. theol.*, *l. c.*, a. 3, et adhuc ad 2 et 5

(3) *Summa contra gentiles*, IV, 86 coll. *Com. in lib. IV Sent.*, *l. c.*, q. 2, a. 4, sol. 1 vel *Sum. theol.*, *l. c.*, q. 85, a. 1, c.

(4) *Mt.*, XIII, 43.

dem splendorem non habebunt : nam, ut testatur Apostolus (1), alia claritas solis, alia claritas lunæ, et alia claritas stellarum ; stella enim a stella differt in claritate : sic et resurrectio mortuorum » (2).

Breviter itaque : *corpora* sanctorum resurgent cum *incorruptibilitate essentiali* seu *impassibilitate*, et deinde cum incorruptibilitate *accidentali* seu *impassibilitate*, quatenus hæc dicit immunitatem ab alteratione physica et corporali seu *passione naturali*, et adhuc, atque præcipue, quatenus dicit immunitatem ab omni *passione afflictiva*. Resurgent *spiritualia*, id est immunia a necessitatibus naturalibus corporum, quæ cibo, potu, somno ac requie indigent, sed etiam cum immunitate ab aggravantia materiæ, adeoque erunt *subtilia*, ita ut materialia penetrare possint, et insuper *agilia* ut celerrime a loco ad locum sese movere queant. Resurgent tandem cum *gloria*, cum fulgore seu *claritate corporali*, secundum gradum claritatis spiritualis, quam anima, juxta mensuram gratiæ, in visione Dei faciali recipiet.

H. Lamiroy.

## III.

## De interrogatione impuberum circa impudicitiam.

Q. *Titius confessarius impuberes de impudicitia se accusantes nunquam interrogat cum, suo sensu, minus probabile sit agi de peccato mortali et huic exiguæ probabilitati periculum scandali in interrogando prævaleat. Agitne recte et cur ?*

R. Male munere suo confessarii Titium fungi unicuique statim apparet ; ut autem accurate statuatur qua mensura

(1) *I Cor.*, xv, 41 s.

(2) *Catechismus conc. trid.*, *l. c.*, n. 10 et cfr s. Thomas, *Com. in lib. IV Sent.*, dist. 44, q. 2, a. 4, sol. 1 vel *Sum. theol.*, *l. c.*, q. 85, a. 1, c.

et cur sacerdos hac in re negligenter agat, juvat de prætextis excusationibus longius inquirere. Agitur revera de materia frequentis occurrentiæ et magni momenti practici; de modo scilicet agendi cum pueris qui confitentur se « impuritatem » admisisse. Videamus itaque primo quousque improbabile sit peccatum mortale apud impuberes ita confitentes, et dein quousque tales interrogari debeant et possint quin scandalum timeatur.

I. — De improbabilitate peccati mortalis externi contra castitatem apud impuberes.

1/ **Physice** immaturi sunt impuberes normales sub respectu sexuali ; pueri tamen utriusque sexus imperfectam aliquam commotionem veneream pati vel sibi procurare valent ; appropinquante pubertate vel quandoque jam antea capaces fiunt commotionis perfectæ et distillationis liquoris prostatici vel humoris vaginalis ; quo casu, ut videtur, dicendi sunt capaces usus completi membrorum genitalium cum delectatione satiativa, licet apud puerum seminis effusio, apud puellam fecundationis possibilitas per se deficiat (1). Proclivitas ad venerem cum organorum evolutione parem gressum tenet.

2/ **In ordine morali** proinde sequentibus modis impuberes per actus externos peccare possunt :

*a*/ per veneream commotionem *in se voluntariam*, intendendo delectationem veneream aut eam admittendo ubi sentitur. Sive delectatio completa sive incompleta

(1) Disputatur inter theologos utrum talis commotio cum voluptate satiativa dicenda sit pollutio si solitarie fiat, copula si cum altero sexu. Illust. ac rev. Waffelaert, *De prud. fort. et temperantia*, Brugis, 1889, n. 192 s., tenet tales actus solitarios seu masturbationem apud impuberes specie differre a quovis tactu impudico, et saltem reductive ad pollutionem pertinere utpote usum completum membrorum genitalium. Ballerini, *Opus morale*, Prati, 1898, II, n. 1028, illos actus ad actus impudicos reducit. Vermeersch, *De castitate*, Brugis, 1919, n. 328, cum sententia in dies communiori censet pollutionem puberis et impuberis copulæ capacis specie non differre. — Attenta controversia hac de re vigente, sufficit ut impuber talia agens accuset actus impudicos.

sit, peccatum objective grave committitur. Cui peccato æquiparandum est peccatum illius qui se exponit proximo periculo intendendi vel admittendi delectationem veneream ;

*b*/ per veneream commotionem *in causa voluntariam ;* agitur tunc de actibus deliberate positis, ex quibus commotio carnalis per modum effectus prævidetur secutura, licet non intendatur nec periculum consensus adsit ; tali casu effectus imputatur ubi causa absque ratione proportionata ponitur ; hic autem peccatum erit leve vel grave juxta naturam causæ et gravitatem effectus (1).

Notari etiam potest peccare posse impuberes cum aliis, pueris vel adultis, ejusdem vel diversi sexus, indeque varias malitias luxuriæ et scandali contrahere.

3/ **De facto** impuberes castitatem offendunt, etiam mortaliter, nec diffitendum in nostris regionibus sub hoc respectu verum regressum haberi hisce ultimis annis (2).

Verissimum est præsertim in inferiori ætate frequentius quam apud adultos abesse intentionem veneream ; multa impudica aguntur obiter tantum et ex quadam levitate vel curiositate ; sed, post pauca experimenta, faciliter verus consensus præbetur et exinde intenditur delectatio ; indicium fere certum aderit si tactus, aspectus etc. fuerint morosi. Hæc a fortiori valent pro pueris qui a senioribus malum didicerunt.

Verum iterum est frequenter occurrere conscientiam erroneam vel dubiam ; confessarius tamen oblivisci non potest pueros in catechismo et confessionis præparatione addidicisse tales actus deliberatos de se esse peccatum grave.

---

(1) Attendendum enim est utrum causa sit causa per se vel per accidens, et quidem utrum relate ad delectationem extremam vel inferiorem ; de his cfr *Collat. Brugen.*, XIV, p. 532 ss.

(2) Cfr articulum A. De Coene, *Na een enkwest*, apud *Canisiusblad*, XX, (1926), p. 69, animadvertendo ibi solum quæstionem fieri de peccatis manifestis et ludimagistris notis. Hic articulus reproducitur apud *Pastor Bonus*, VII (1926), p. 141.

Itaque, nisi statim appareat agi de peccato objective et subjective levi, non excluditur probabilitas peccati mortalis admissi; sequitur logice obligatio per parcam, castam et cautam interrogationem illos explorandi qui verbis generalibus talia confitentur.

Adverte etiam haud raro utilem esse interrogationem ad corrigendam conscientiam pueri æstimantis esse grave peccatum quod vel leve vel nullum est.

II. — De modo interrogandi.

1/ **Principium.** Interrogandi sunt pœnitentes primarie ut consulatur materiali integritati confessionis, secundarie ut concientia recte formetur et relapsus melius præcaveatur. At « in interrogationibus vitanda sunt omnia quæ pœnitentem *probabiliter* scandalizare possunt; materialis integritas confessionis solum jure divino positivo præscribitur, dum scandalum vitari debet jure naturali. Unde prima præscriptio confitendi integre cessat obligare dum scandalum timeatur » (1). In his melius est deficere quam abundare.

2/ **Praxis.** Caveat confessarius ne pueros malum doceat, quare nec de delectatione completa nec de effusione humoris verbulum habeat, nisi forte de malitia eos jam edoctos esse omnino certo constaret. De speciebus luxuriæ non inquirat directe cum de talibus juniores non cogitent.

Opportune quæret prius confessarius utrum solus vel cum aliis peccaverit puer. Quodsi solus, petat quid fecerit; si autem, ut sæpius, responsum non sequatur, ipse pergat : an tactibus vel aspectibus ? an cum aliqua mora ? ubinam, an in lecto v. g. ? an propter necessitatem vel utilitatem ? an putasti esse grave peccatum ? an ab alio edoctus es ? Si provectioris ætatis est, quæri poterit utrum fecerit ex libidine, propter impuram delectationem.

---

(1) B. Merkelbach, *Quæst. de luxuria et castitate*, Leodii, 1926, p. 78.

Si cum aliis peccavit, quæret : an cum pueris vel puellis ? cujusnam ætatis ? ubinam ? tactibus vel aspectibus ? quid alius fecit ? an fuit magnum peccatum ?

Ex respoisns juxta superius dicta colliget prudens confessarius utrum et quantum peccatum objective admissum sit, quale periculum præcavendum et qualis conscientia forte reformanda. Quodsi ad conclusionem certam devenire nequeat, dubium solvat in favorem pœnitentis.

Solerter etiam curet confessarius de aptis remediis apponendis.

M. De Jonghe.

## IV.

### De impedimento cognationis spiritualis.

Q. *Titius matrimonium contracturus cum Titia, narrat parocho suo sese patrinum egisse Titiæ, per procuratorem, in sequentibus adjunctis : Stato die, quia tempestive non aderat, parentes, ne vicepastor diutius exspectare deberet, quemdam designaverunt tanquam procuratorem.*

*An et quare adest impedimentum cognationis spiritualis ?*

R. Qui patrinum agit oportet 1) intentionem habeat id munus gerendi et 2) baptizandum in actu baptismi per se vel per procuratorem physice teneat, aut tangat vel statim levet seu suscipiat de sacro fonte aut de manibus baptizantis. Ita juxta can. 765.

Itaque, materialis susceptio absque voluntate patrinum agendi, vel voluntas patrinatum acceptandi sine materiali susceptione, efficere nequeunt ut aliquis sit patrinus. Porro, non sufficit ut præfata voluntas existere incipiat postquam susceptio jam materialiter peracta est, sed oportet ut in ipso actu baptismi patrinus et voluntatem habeat id munus gerendi et materialem susceptionem per se vel per alium peragat : ita ut hæc materialis sus-

ceptio sit expressio sincera voluntatis munus patrini obeundi. Ita, v. g., si Titius officium patrini momento baptismi nondum acceptavit, et Caius præsumens *futuram* Titii ratihabitionem nomine ejus susceptionem peragit, susceptio invalida est : baptismo peracto, cessat *tempus habile* ad munus patrini acceptandum. Nam, ad quæstionem : » Utrum aliquibus in casibus, parentes licite possint tamquam patrinum designare personam aliquam absentem, quamvis illius assensus habeatur post collatum baptismum », respondit S. C. S. Off., 15 sept. 1869 : « Indubium profecto est, posse per interpositam personam, seu per procuratorem, patrini munus obiri ; verumtamen hoc in casu jura exigunt, ut persona absens acceptet *tempore habili* munus patrini, ac mandatum edat favore ejus, qui debet eum in tali cæremonia repræsentare. Ratio est, quia patrinus formalem habere debet voluntatem acceptandi et exercendi pro viribus onera patrinatui inhærentia » (1). Quare, si quis nomine Titii suscipit, oportet ut id agat præsumptione de *præsenti* Titii voluntate, quia *præsentem* illius voluntatem suscipiendo exprimere debet.

Quæri etiam posset an Caius absque *expresso* mandato Titium valide repræsentare queat. Quare, anno elapso, sequentem casum proposuit archiepiscopus Ultrajectensis S. Congregationi de disciplina sacramentorum : « Uti apud nos moris est, qui patrinum agere vult, nemini mandatum confert expressum, sed, nisi per se officio illo perfungatur patrinus, baptizans vel baptizandi parentes aliam personam invitant ut pro patrino absente agat. Hinc sequentia dubia solvenda proponuntur : 1. An ex tali agendi modo patrinus absens contrahat cognationem spiritualem, et inde exoriatur impedimentum can. 1079 ; et si negative : 2. quidnam a patrino faciendum sit ut agere valeat per procuratorem ; nimirum : *a*/ an debeat conferre determi-

(1) Instructio S. C. S. Off., 15 sept. 1869, ad administr. ap. perthen., apud *Collectan.*, II, n. 1347.

natæ personæ mandatum speciale ; *b*/ an vero sufficiat, ut edat, sive scripto sive voce, mandatum generale pro persona per parentes vel per baptizantem determinanda ; immo *c*/ an sufficiat mandatum generale præsumptum pro quavis persona ». Hisce dubiis, S. C. de disciplina sacramentorum, die 24 julii 1925, respondit « Ad 1$^{m}$, si patrinus, agnoscens hujusmodi consuetudinem, eidem sese conformare intendat, et aliunde patrinus ipse esse possit, ad normam can. 765, *affirmative*. Ad 2$^{m}$, provisum in 1° » (1).

Itaque, in casu ab archiepiscopo ultrajectensi proposito, dicit S. C. de disciplina sacramentorum sufficere *mandatum* generaliter *præsumptum* de *præsenti* Titii voluntate suscipiendi per personam interpositam, a parentibus designandam. Porro, supponamus Titium apud nos acceptasse munus patrini, eum monitum fuisse circa diem et horam baptismi, hora statuta quin parentes moneat abesse et simul bene novisse se per alium posse suscipere ; nonne e silentio, etiam si nulla consuetudo invocari queat, præsumi posset ipsum admittere procuratorem, quem parentes ne diutius exspectare debeant designabunt ? Et si Titius, prævidens parentes ita acturos esse, illorum modo agendi sese conformare intendat, nonne verus patrinus erit ; sicut valide suscipit per procuratorem, qui agnoscens consuetudinem, de qua in casu proposito congregationi de disciplina sacramentorum, eidem sese conformare intendit ?

Quare ad casum propositum, distinguo duplicem hypothesim :

1) Vel Titius ante baptismum cogitavit parentes procuratorem forte designaturos esse et eorum modo agendi sese conformare voluit : puta, propter improvisum eventum non poterit tempestive adesse, et hoc prævidens dicit intra se : Spero parentes me non diu exspectaturos

(1) S. C. de disciplina sacramentorum, 24 julii 1925, apud *Acta Apost. Sedis*, 1926 p. 43 ; vide supra, p. 359 s. — *Ned. Kath. Stemmen*, 1925, pag. 34 ss.

esse, sed aliquem designaturos qui nomine meo suscipiat. In tali hypothesi, susceptio valida est et Titius cum Titia contraxit impedimentum cognationis spiritualis.

2) Vel Titius non cogitavit de procuratore qui posset ejus personam agere : puta, erravit circa horam baptismi et quando pervenit ad domum parentum sacramentum jam erat collatum. In tali casu, susceptio invalida est et Titius nullum contraxit impedimentum cognationis spiritualis.

Nemo non videt quanta dubia, pluribus post susceptionem annis vix solubilia, occurrere possint in similibus casibus. Quare, ad hæc præcavenda minister baptismi, quando susceptio fit per procuratorem, prudenter requiret litteras quibus patrinus procuratorem constituit.

V. Coucke.

## V.

## De altari et missis gregorianis.

Q. *Quid est « altare gregorianum » ? Quid « missæ gregorianæ »* (1) *?*

R. — S. Gregorius I (540-604), merito cognominatus Magnus, Romæ monasterium s. Andreæ nomine ædificavit in suis ædibus, ad clivum Scauri qui nunc mons Cœlius vocatur, ibique monachi vitam professus, postea abbas fuit. Pelagio defuncto, summo omnium consensu pontifex eligitur anno 590. Tum propter suam doctrinam de dogmate purgatorii et de valore satisfactorio sacrificii

(1) Cfr *Disceptatio synoptica* seu votum primi et alterius consultoris, apud *Acta s. Sedis*, t. XVI, p. 510 ss. ; *Analecta juris pontificii*, 8e série, col. 2040 ss. ; *Nouvelle revue théologique*, t. XXI, 1889, p. 121 ss., t. XLV, 1913, p. 354 ss., p. 582 sq. ; *Nederlandsche katholieke stemmen*, t. XI, 1911, p. 219 ss. ; *Collat. Brugen.*, t. X, 1905, p. 442 ss., t. XII, 1907, p. 360, coll. t. XIII, 1908, p. 399 ; P. Mocchegiani, O. F. M., *Collectio indulgentiarum*, p. 485 ss. n. 1101 ss. ; Beringer-Steinen, *Die Ablässe* t. I, p. 522 ss., n. 973 ss.

missæ in favorem defunctorum, tum propter celebre factum triginta missarum quas pro defuncto quodam fratre offerri jussit quibusque animæ ejus e purgatorio liberationem obtinuisse creditur. tamquam specialis patronus animarum purgantium in Ecclesia haberi cœpit (1).

Pristini monasterii s. Andreæ locum occupat ecclesia s. Gregorii quæ custodienda tradita est Camaldulensibus, atque in ea antiqua traditio habet altare s. Gregorii titulo dicatum tamquam altare in quo dictæ triginta missæ celebratæ sunt, et ubi ipse s. Gregorius sæpe pro defunctis litavit (2). Hoc est famosum altare gregorianum circa quod a sæculis jam existit Romæ pia fidelium fiducia missám celebratam in hoc altari specialem habere efficaciam ad liberandas animas e purgatorio.

Unde I ad primam partem quæstionis :

A. **Altare gregorianum** est altare s. Gregorii in monte Cœlio de Urbe quatenus est vere et proprie privilegia-

---

(1) Circa s. Gregorium lege lectiones officii ejus, die 12 martii in parte verna breviarii. Cfr *Dictionnaire de théologie catholique* (P. Godet), *S. Grégoire le Grand*. Quoad factum ad quod alluditur in textu, ab ipso s. Gregorio narratur in quarto libro Dialogorum. Brevi : monachus quidam monasterii S. Andreæ, cui præerat s. Gregorius, Justus nomine, contra paupertatem tres aureos occultaverat, et ideo, jubente s. Gregorio, nullus fratrum ad ipsum morientem accedere potuerat, defunctique corpus in fossam in sterquilinio projectum fuerat. Cum autem post mortem Justi triginta dies essent evoluti, s. Gregorius præposito monasterii, Pretioso nomine, injunxit : « Vade,... et ab hodierno die *diebus triginta continuis* offerre pro eo sacrificium stude, ut nullus omnino prætermittatur dies quo pro absolutione illius hostia salutaris non immoletur ». Trigesimo autem die per visionem apparuit Justus, atque « res aperte claruit quia frater qui defunctus fuerat, per salutarem hostiam evasit supplicium ». Cfr *Collat. Brugen.*, t. X, 1905, p. 442 n. (2).

(2) Cfr Beringer-Steinen, *o. c.*, t. I, p. 522. *Votum primi consultoris* apud *Acta s. Sedis*, t. XVI, p. 512 dicit : « Inscriptio quæ legitur in sacello ecclesiæ cœlimontanæ sancto Gregorio dicato... talis est : Hac in cella tt. (triginta) Gregorii Pont. Max. celebratæ míssæ, animas a cruciatu purgatorii solvunt ». Nonne litteræ tt. interpretandæ sunt : « titulo », loco « triginta » ?

tum (1), imo specialiter privilegiatum, primum, ut videtur, et exemplar omnium altarium privilegiatorum.

Fiducia qua fideles retinent celebrationem missæ in hoc altari uti specialiter efficacem ex beneplacito et acceptatione divinæ misericordiæ ad animæ e purgatorii pœnis liberationem, pia est et in Ecclesia probata (2).

Quæri potest an quoad effectum unum et idem sit altare gregorianum et altare privilegiatum, et quatenus negative, quænam sit diversitas ista. S. Congregatio Indulgentiarum huic quæstioni positæ circa annum 1840 determinatam solutionem dare recusavit eo quod consultores et cardinales in eamdem non irent sententiam, et ideo respondit : « *Dilata et ad mentem* ; donec nimirum opportunior et penitior disceptatio haberetur » (3). Decreto autem 15 martii 1884 adnexa est disceptatio duorum consultorum unde elucet discrimen istud situm esse *in majori certitudine* quod indulgentia plenaria altaris gregoriani proprium sortiatur effectum, liberandi nimirum e purgatorio animam cui missa applicatur, quatenus nempe acceptetur a divina bonitate *facilius*, *plenius*, *citius*, ob deputationem specialissime ab Ecclesia factam et ob intercessionem specialem et patrocinium s. Gregorii (4).

B. **Altaria gregoriana ad instar.**

Pontifices inde a sœculo XVI eadem privilegia altaris gregoriani in monte Cœlio aliis altaribus communicarunt, quæ vocata sunt altaria gregoriana ad instar (5).

---

(1) Cfr decretum s. Officii, sectio de indulgentiis, 11-12 dec. 1912, ad VI, *Acta Apost. Sedis*, t. V, 1913, p. 32 sq, apud *Collat. Brugen.*, t. XVIII, 1913, p. 180 ss. Cfr rescriptum ex audientia SSmi diei 18 febr. 1752, ad quod remittitur in decreto mox citato, apud *Nouv. rev. théol.*, t. XLV, p. 582 sq.

(2) Cfr decretum s. Cong. Indulg., 15 martii 1884 ad II, *Acta s. Sedis*, t. XVI, p. 508 sq.

(3) Cfr Mocchegiani, *o. c.*, p. 494, n. 1116.

(4) *Acta s. Sedis*, t. XVI, p. 510 ss. Cfr *Collat. Brugen.*, t. XII, 1907, p. 360.

(5) Vide exempla talis concessionis apud *Analecta juris pontificii*, 8e série, col. 2056 ss. Inde a Gregorio XIII formula invariabilis est et

Ast anno 1852, die 15 martii, Pius IX, ob exorta dubia de discrimine altaris gregoriani ad instar ab altari simpliciter privilegiato, prohibuit quominus talia altaria concederentur donec res maturius perpenderetur et absolveretur.

Anno autem 1884, die 15 martii, Leo XIII hanc suspensionem novæ concessionis altaris gregoriani ad instar sustulit ac approbavit responsionem s. Congregationis Indulgentiarum, qua pia declaratur et in Ecclesia probata fiducia qua fideles retinent celebrationem missæ ad altaria gregoriana ad instar uti specialiter efficacem ad animæ e purgatorio liberationem (1).

Tandem anno 1912, s. Officium, sectio de indulgentiis, die 12 decembris (2), plura maximi momenti statuit circa altaria gregoriana ad instar. Ad quæstionem scilicet « quænam requirantur conditiones ad obtinendum privilegium altaris gregoriani ad instar, respondit : « Deinceps altaria gregoriana non esse concedenda » (3). Ad quæstio-

---

ita quoad partes essentiales sonat : « Tenore præsentium concedimus ut quoties quicumque sacerdos, sive sœcularis, sive regularis, missam in altari... sito in ecclesia... pro liberatione unius animæ in purgatorio existentis celebraverit, ipsa anima per hujusmodi celebrationem easdem indulgentias et peccatorum remissiones consequatur et ad ipsius liberationem [alibi erronee legitur « celebrationem »] pro qua celebrabitur prædicta missa operetur, quas consequeretur et operaretur, si prædictus sacerdos hac de causa missam ad altare s. Gregorii de Urbe ad id deputatum celebraret ». Cfr *ibidem*.

(1) Cfr decr. s. C. Ind. 15 martii 1884, præsertim ad III et ad IV. *Acta s. Sedis*, t. XVI, p. 508 sq. In voto autem alterius consultoris, *ibidem*, p. 522 probatur Ecclesiam posse efficaciam altaris stricte gregoriani extendere ad alia. Etenim ipsa specialis destinatio ab Ecclesia facta, est titulus specialis ad divinam acceptationem indulgentiæ plenariæ adnexæ missæ in altari proprie gregoriano celebratæ. Quodsi ille titulus specialis ab Ecclesia manat, ab Ecclesia communicari etiam potest aliis altaribus.

(2) Vide hoc decretum apud *Collat. Brugen.*, t. XVIII, 1913, p. 180 ss., in specie ad VII, VIII et IX.

(3) Unde altaria gregoriana antea concessa non sunt suppressa. Imo anno 1913, Pius X gregorianum privilegium, quo pollet altare majus cryptæ Cassinensis in perpetuum confirmavit. Cfr *Acta Apost. Sedis*, t. V., 1913, p. 115.

nem vero « utrum concedatur privilegium personale altaris gregoriani ad instar, respondit : « Negative » ac infra declarat concessiones altaris gregoriani personalis forsitan jam factas habendas esse ut meras concessiones altaris personalis simpliciter privilegiati (1).

II. **Missæ gregorianæ seu tricenarium gregorianum.**

*Notio.* — Sunt triginta missæ quæ per triginta continentes dies, ad exemplum s. Gregorii magni, in quovis altari dicuntur, pro animabus e purgatorio liberandis.

*Efficacia.* — Fiducia qua fideles retinent celebrationem harum missarum uti specialiter efficacem ex beneplacito et acceptatione divinæ misericordiæ ad animæ a purgatorii pœnis liberationem pia est et rationabilis, atque praxis easdem missas celebrandi est in Ecclesia probata (2).

Quoad hanc efficaciam adverte 1. missas gregorianas pro defunctis tantum esse celebrandas, pro vivis vero non posse celebrari (3). Ad nihil tamen tenetur sacerdos qui dictas missas celebravit juxta intentionem offerentis, qui putavit durante adhuc vita posse anticipari suffragia (4).

Adverte 2. « Pro certo... haberi non potest quod tricenarium semper obtineat realiter liberationem animæ ; idque erui [potest] ex consuetudine idem etiam pluries iterandi » (5).

Specialis efficacia dictarum missarum liberandi animam e purgatorio, quum non constet ipsis adnexam fuisse

---

(1) Tale privilegium altaris gregoriani personalis fuit concessum a Pio X in audientia 8 augusti 1906 prædicatoribus mensis ss. Cordis Jesu, necnon rectoribus ecclesiarum ubi pium exercitium mensis junii fuerit solemniter celebratum, nimirum pro eorum missa diei 30 junii. Cfr *Collat. Brugen.* t. XII, 1907, p. 359 sq.

(2) Cfr decr. s. C. Ind. 15 martii 1884 ad I, apud *Acta s. Sedis*, t. XVI, p. 508 sq. ; *Collat. Brug.*, t. X, 1905, p. 442 ss.

(3) Cfr Decr. s. C. Ind. 24 aug. 1884, ad I, apud *Acta s. Sedis*, t. XXI, p. 254 ss.

(4) Cfr idem decretum, ad IV. Dubium erat : « Si supradictæ missæ pro vivis dici nequeunt, ad quod tenebitur sacerdos, qui bona fide pro vivis eas postulantibus celebravit » ?

(5) *Votum primi consultoris* apud *Acta s. Sedis*, t. XVI, p. 516.

indulgentiam (1), videtur tribuenda potissimum meritis et intercessioni s. Gregorii. Ex quo scilicet ille sanctus aspexit Deum excepisse triginta missas pro anima sui monachi, Eumdem exoravit in terra et exorat in cœlo ut eadem misericordia uti dignetur pro aliis quorum favore hoc suffragium applicatur (2).

Nota tandem differre tricenarium a triginta missis celebratis etiam eodem die, in hoc quod hæ citius suffragium afferant, sed a purgatorio non liberent animam, in supposito quod indigeat suffragiis majoribus efficaciâ ordinariâ triginta missarum ; dum tricenarium etsi tardius agat, tamen ad ejus exitum animam liberat (3).

*Conditiones.* — Necessarium est quod missæ triginta celebrentur triginta diebus continuis sine interruptione (4), non tamen ab eodem sacerdote, nec in eodem altari, nec in memoriam s. Gregorii (5), nec debent esse missæ « Requiem » (6). Debent autem missæ applicari pro ea anima cujus liberatio a pœnis purgatorii a divina misericordia imploratur (7).

Non satisfacit sacerdos qui eadem die bis vel ter, vel per se, (ut in die Natalis Domini), vel per alios celebrationem reassumat, ita ut triginta dierum spatio missæ omnes celebrentur (8).

---

(1) Cfr Decretum 24 aug. 1884 ad II, *l. c.*

(2) Cfr *Votum primi consultoris*, apud *Acta s. Sedis*, t. XVI, p. 514.

(3) Cfr *ibidem*, p. 516.

(4) Cfr Decr. s. C. Ind. 14 jan. 1889, ad IV, apud Mocchegiani, *o. c.*, n. 1103, p. 488, et Decr. s. Officii, 12 dec. 1912, ad I, apud *Collat. Brugen.*, t. XVIII, 1913, p. 180. Series tamen non censetur interrupta per triduum sacrum majoris hebdomadæ si sacerdos hoc triduo non celebrat.

(5) Cfr Decr. 14 jan. 1889 respective ad II. ad V, ad I, *l. c.*

(6) Cfr Decr. s. Officii 12 dec. 1912 ad V ubi additur : « Poterit tamen laudabiliter legi (missa Requiem) pietatis gratia erga defunctum, diebus quibus licet et decet ».

(7) Cfr *Ibid.*, ad III.

(8) Cfr Decr. s. Officii 12 dec. 1912, ad *l. c.* Ergo sacerdos qui persolvit tricenarium gregorianum, si aliqua die ad aliam intentionem celebrare velit, tenetur alium sibi substituere sacerdotem missam tricenariam hac die celebraturum. *Ibid.*, ad III.

A fortiori non satisfacit obligationi susceptæ curandi tricenarium gregorianum ille qui pluribus sacerdotibus triginta missas distribuit eadem die vel paucorum dierum spatio omnes celebrandas ad dictam intentionem (1).

A. Legrand.

## VI.

## Réparations au presbytère.

Q. *A qui incombe l'obligation de pourvoir aux réparations du presbytère.*

R. Avant de déterminer le sujet de cette obligation il ne sera pas inutile de donner quelques notions sur la nature des réparations que peuvent exiger les bâtiments.

1/ — *Notions.* On appelle *réparation* tout ouvrage que l'on fait à une chose dégradée, afin d'en prévenir la ruine et de la remettre en l'état où elle doit être pour remplir convenablement sa destination (2).

Le Code civil distingue trois espèces de réparations (3) :

*a*/ Les *grosses réparations* (groote of zware herstellingen) : ce sont « celles des gros murs et des voûtes, le rétablissement des poutres et des couvertures entières ; celui des digues et des murs de soutènement et de clôture aussi en entier » (4).

*b*/ Les *réparations locatives* ou de menu entretien (huurdersherstellingen of herstellingen van gering onderhoud) : ce sont « celles dont le locataire est tenu, s'il n'y a clause contraire ; elles sont désignées comme telles par l'usage des lieux, et, entre autres, les réparations à faire aux âtres, contre-cœurs, chambranles et tablettes des

---

(1) Cfr *ibid.*, ad IV, *l. c.*

(2) Cfr C. Van Coillie-A. De Meester, *La sépulture et les fabriques d'églises en droit civil-ecclésiastique belge. Bruges*, 1924, n. 189. — M. Damoiseaux, *Guide pratique de l'administration des fabriques d'églises*, Manage, 1920, n. 683.

(3) Certains auteurs prétendent que le décret de 1809 n'a pas adopté cette classification du Code civil. Cfr G. Kisselstein, *Les dons et legs aux fabriques d'églises paroissiales en Belgique*, Louvain, 1912, p. 292.

(4) *Code civil*, art. 606.

c heminées ; au recrépiment du bas des murailles des appartements et autres lieux d'habitation, à la hauteur d'un mètre ; aux pavés et carreaux des chambres, lorsqu'il y en a seulement quelques-uns de cassés ; aux vitres, à moins qu'elles ne soient cassées par la grêle ou d'autres accidents extraordinaires et de force majeure, dont le locataire ne peut être tenu ; aux portes, croisées, planches de cloison ou de fermeture de boutiques, gonds, targettes et serrures » (1).

Du texte même du Code il ressort que l'énumération n'est pas limitative. De là il peut y avoir doute sur le point de savoir si telle réparation, qui n'est classée ni par la loi ni par l'usage, est locative. Dans ce cas les auteurs donnent comme règle : « que les réparations locatives sont les menues réparations qui ont coutume de provenir de la faute des locataires ou de leurs gens, et ne proviennent pas de la vétusté ou de la mauvaise qualité des parties dégradées » (2).

c/ Les *réparations d'entretien proprement dit* (eigenlijke onderhoudsherstellingen) : ce sont celles qui ne sont ni grosses réparations, ni réparations locatives. Elles concernent l'entretien complet de l'immeuble. Telles sont : le rétablissement *partiel* des couvertures, des digues, des murs de soutènement et de clôture ; le repavage des cours, le badigeonnage des édifices, etc.

2/ *Etablissement auquel incombent les réparations du presbytère.*

Ici l'on peut distinguer une *double obligation* : *a*/ l'obligation ou le soin de *veiller* à ce que toutes les réparations soient bien et promptement faites ; *b*/ l'obligation de *pourvoir aux frais* des réparations. La 1e obligation incombe aux marguilliers et spécialement au trésorier de la fabrique. Ils sont tenus de visiter, au commencement du printemps et de l'automne, les bâtiments avec des

(1) *Ibidem*, art. 1754.
(2) Cfr POTTIER, *Traité de louage*, n. 220.

gens de l'art, c. a. d. des architectes, des maîtres maçons, des entrepreneurs de maçonnerie ou même des ouvriers intelligents, à l'effet de constater les dégradations survenues et les travaux à effectuer (1).

Pour déterminer l'établissement auquel incombe l'obligation de pourvoir aux frais des réparations, il faut distinguer :

α) Les *simples réparations locatives* sont à la charge personnelle du curé, de ces héritiers ou ayants droit. Le curé supporte également les détériorations survenues par sa faute. La fabrique ou la commune n'en est chargée que pendant la vacance (2). Il est à remarquer d'autre part que les réparations réputées locatives ne sont pas à la charge du curé, lorsqu'elles ne sont occasionnées que par vétusté ou force majeure, ou que les dégradations proviennent de la mauvaise qualité des parties dégradées (3).

β) Les *réparations d'entretien* aux presbytères proprement dits, incombent en ordre principal à la fabrique d'église. La loi est formelle (4) ; aussi la doctrine quasi-unanime et la jurisprudence s'accordent pour dire que toutes les réparations d'entretien du presbytère constituent une obligation directe de la fabrique. La commune n'est tenue que subsidiairement, et ne doit intervenir

---

(1) Art. 41 du décret du 30 décembre 1809. — Cfr *Collat. Brugen.*, t. II, p. 202.

(2) *Code civil*, art. 1732. — Art. 44 du décret du 30 décembre 1809 et art. 21 du décret du 6 novembre 1816. — C'est pour pouvoir mieux remplir cette obligation que le même article 44 ordonne que, lors de la prise de possession de chaque curé ou desservant, il soit dressé, aux frais de la commune et à la diligence du bourgmestre, un état de situation de presbytère et de ses dépendances ; cet état des lieux doit être dressé contradictoirement avec les parties intéressées. L'art. 44 porte qu'il doit être fait aux frais de la commune et à la diligence du maire : cela suppose, dit Me le Chan. De Meester, *o. c.*, p. 236, que le presbytère appartient à la commune. S'il est propriété de la fabrique l'état des lieux doit être dressé aux frais de la fabrique et à la diligence du trésorier, qui est chargé de faire tous les actes conservatoires pour le maintien des droits de la fabrique.

(3) *Code civil*, art. 1755. — Cfr *Collat. Brugen.*, t. II, p. 202.

(4) Art. 37, 4° combiné avec l'art. 92, 1°.

dans la dépense qu'en cas d'insuffisance des revenus de la fabrique (1).

γ/ Les *grosses réparations* : La question de savoir à qui incombe l'obligation de pourvoir aux frais des grosses réparations est vivement controversée. Les interprétations divergentes sont dûes à une certaine incohérence qui existe sur ce point dans la législation.

Nous admettons la théorie qui soutient que les grosses réparations constituent, comme les réparations d'entretien, une charge *principale* de la fabrique, qu'elle soit propriétaire ou non du presbytère, et que par conséquent la charge de la commune est restreinte au cas d'insuffisance des moyens de la fabrique (2).

C'est d'ailleurs le système le mieux fondé en texte (3), le plus généralement suivi par les auteurs (4), et admis tant par l'autorité administrative que par les tribunaux (5). C'est donc le système qui doit être adopté en pratique, si l'on ne veut s'exposer à des difficultés. J. Brys.

---

(1) Cfr *Collat. Brugen.*, *l. c.*

(2) Certains auteurs soutiennent que les grosses réparations du presbytère incombent directement au *propriétaire*, par application des principes généraux du Code civil. Ces réparations, d'après eux, sont à la charge exclusive de la commune, quand celle-ci est propriétaire du presbytère ; si non, à la charge de la fabrique, pour autant qu'elle possède des ressources suffisantes pour les effectuer. Voir leurs arguments dans De Meester, *o. c.*, n. 191, 2°. D'autres auteurs enseignent que les grosses réparations du presbytère constituent en tout cas une obligation principale de la commune. Vide *ibidem*.

(3) On peut se baser sur le texte des art. 37, 46 et 94. En effet : *a*/ Enumérant les charges de la fabrique le § 4 de l'art. 36 dit qu'elle est obligée « de veiller à l'entretien des églises, presbytères et cimetières ; et, *en cas d'insuffisance des revenus de la fabrique*, de faire toutes les diligences nécessaires pour qu'il soit pourvu aux réparations et reconstructions, ainsi que le tout est réglé au § 3 » ; c'est à dire, par la commune. *b*/ L'art. 46 porte au § final : « la portion de revenus [de la fabrique] qui restera, servira au traitement des vicaires.... et l'*excédant*, s'il y en a, sera affecté au service du culte ». Or dans le système du décret on doit comprendre les presbytères parmi les édifices consacrés au service du culte. M. Damoiseaux, *l. c.*, soutient le contraire, mais à tort. *c*/ L'art. 94 soutient le même principe.

(4) Voir les auteurs cités dans De Meester, *o. c.*, p. 241.

(5) Voir les jugements cités au même endroit.

# RESPONSA

## ad quæstiones in conferentiis mensis julii propositas.

—

### I.

### In Joannem, IV, 46-53. — Homilia.

Q. *Eadem, quæ in præcedenti quæstione 1ª indicantur* (1), *præsta circa evangelium dominicæ XXæ post Pentecosten* (Jo., IV, 46-53), — *sitque homiliæ objectum quomodo, in dispositione Providentiæ divinæ, fides suscitetur, adjuvetur et fructuosa reddatur per tribulationes hujus vitæ.*

R. Mirabilis Deus in universis dispositionibus Providentiæ suæ, quam variis modis homines ad fidem, justitiam et salutem perducit. Unum autem quod maxime adhibet medium ad fidem nondum habitam vel sopitam suscitandam eamque operibus fructuosam præstandam, tribulationes sunt, tam miræ varietatis, quibus vita nostra repleri contingit. Quod mirabili modo nobis Evangelium hujus diei ostendit.

Versatur Jesus in initio vitæ suæ publicæ. Canæ, in Galilæa, fecerat primum suum miraculum, aquam in vinum mutando (*Jo.*, II, 1-11); cum primis suis discipulis tetenderat in Jerusalem, occasione festi Paschatis, ibique per plura miracula, non paucorum fidem sibi conciliaverat (*Jo.*, II, 14-23); transacto ibidem quodam tempore per Samariam redierat in Galilæam veneratque iterum in Cana. Hæc civitas aliquot leucis distabat a civitate Capharnaum, ubi habitabat regulus quidam cum familia

(1) Vide supra, p. 369.

et servis suis, quem Dominus Jesus, per tribulationes vitæ, ad fidem, eamque magis magisque perfectam et fructuosam est adducturus.

Sequatur *lectio Evangelii*.

*Applicatio.*

1. *Fides per tribulationes suscitata.*

Erat quidam regulus (1), i. e. aulicus, minister regis, nimirum, ut videtur, ad aulam tetrarchæ Herodis Antipæ; juxta nonnullos interpretes fuerit Chusas ille, procurator Herodis, de quo apud *Lc.*, VIII, 3. Hunc virum cum omni domo sua volebat Evangelio lucrari Jesus. Sed tot fuerint obstacula huic conversioni : dives fuerit, utpote aulicus Herodis et habens plures servos, v. 51 ; et nonne fuerit, ad aulam voluptuosi Herodis vivens, etiam ipse festis et gaudiis mundanis, luxui vitiisque carnis deditus ? et quid mirum si, tanto muneri præfectus, superbus fuerit et ambitiosus ? Quot fidei obstacula (2) !

Quomodo, his omnibus invitis, credet in Jesum ? Ecce Jesus venerat in regionem ejus ; divinam suam doctrinam prædicaverat ; ante paucos menses in proximo vico Canæ primum suum miraculum fecerat suamque gloriam manifestaverat (3) ; ultimo festo Paschatis tot patrarat miracula in Jerusalem, multique Galilæi in eum crediderant et, domum reduces, signa Jesu enarraverant Jesumque advenientem læti exceperant (4). — Tamen regulus non credit, audietque Jesum sibi exprobrantem : *Non creditis*, v. 48.

Et tamen credet : divina Providentia *suis* viis, per ærumnas nempe, ad fidem eum adducet. In domum

---

(1) Βασιλικός : ne cogites sive de viro quodam militiæ præposito, neque multo minus, ut vocabulum latinum innueret, de quodam rege parvo territorio imperante. — Flandr. : *een hofbeambte.*

(2) *Quam difficile, qui pecunias habent, in regnum Dei introibunt, Mc.*, X, 23. — *Beati qui lugent... ; beati mundo corde, Mt.*, V, 5, 8. — *Discite a me : quia mitis sum et humilis corde, Mt.*, XI, 29.

(3) *Jo.*, II, 11.

(4) *Jo.*, II, 23 ; III, 1 ; IV, 45.

divitiarum, voluptatum, luxus mundani, ingreditur tribulatio : filius reguli, forte unicus, graviter infirmatur, tenetur magnis febribus, v. 52. Medici accurrerint ; servi die et nocte curam ejus habuerint ; pater et mater nil intentatum reliquerint. Incassum : morbus ingravescit, febris adaugetur, morti proximus est, *incipit mori*, v. 47. Quanta fuerit anxietas in corde patris ; quanta æstimata fuerit calamitas ; — ast quanta revera gratia divina : nunc enim incipit cogitare de Jesu quem ipsi descripserant ut manus imponentem ægrotis eosque sanantem. Et en, spretis omnibus obstaculis, *abiit ad eum et rogabat eum*. Fides inchoatur !

— Nonne et hodie multis abundantia divitiarum, voluptatum terrenarum aliorumque temporalium causa existit Jesum relinqui, fidem sopiri ? Contra nonne sæpius, accedente tribulatione, ad meliora reditur, Jesus iterum aditur, fides resuscitatur ?

II. *Fides adjuvatur et perficitur*.

Fides reguli valde imperfecta erat : rogat *ut* Jesus *descendat*, — quasi non posset etiam a longe miracula operari ; rogat ut veniat *antequam moriatur*, — quasi non posset etiam mortuos suscitare. Brevi, credit tantum ea quæ audivit, vel quæ forte ipse vidit a Jesu fieri. — Jesus quæ in corde ejus legit fidem illam imperfectam : *Nisi signa et prodigia videritis, non creditis :* non creditis nisi quatenus videtis. Non statim huic fidei assentietur, sed prius perficere eam intendit : credere debet homo in verbum Jesu, in omnipotentiam Jesu ; credere debet in talia quæ non vidit neque intelligit : *Beatus qui non viderit, et crediderit*, Jo., xx, 29. Medium erit tribulatio : audi regulum, coram animadversione Jesu, summa anxietate clamantem : *Domine, descende prius quam moriatur filius meus !*

Regulo sic tribulato jam proponit Jesus fidem perfectam : credere debet Jesum posse etiam a longe, etiam sine impositione manuum, posse filium sanare ; et quamvis ipse pater tum longe sit a filio suo, credere debet Jesu attestanti filium suum vivere, esse sanatum ! Aliis

adjunctis sic non credidisset ; nunc vero, urgente tribulatione et anxietate, voluntati Jesu plene se submittit : *Credidit homo sermoni quem dixit ei Jesus*, credit, sine restrictione, in omnipotentiam Jesu. Imo fidem suam factis exsequitur ; ut dixerat Jesus : *Vade*, ita revera *ibat ;* et dum longum illud iter peragit domum, dum Jesum jam non videt nec audit et dum adhuc nihil videt eorum quæ domi contingere potuerant, pergit nuda fide credere in verbum Jesu.

— Nonne et nostra fides, dum omnia nobis prosperantur, sæpe torpescit et inactuosa efficitur ? Nonne contra per ærumnas vitæ sæpe actuatur et variis operibus, fide inspiratis, se exserit ? Nonne per ærumnas provocamur ad orandum, ad eleemosynas dandas, ad mortificationes nobis imponendas, ad sacramenta melius suscipienda, ad peccata magis vitanda ?

III. *Fides fructuosa redditur.*

Vide egregios fructus fidei reguli :

*a*/ Eo ipso momento quo regulus stat coram Jesu in eumque credit, sanatur filius ; cfr vv. 51-53.

*b*/ *Credidit ipse*, v. 53 : nunc fides ejus fit definitiva, ex nunc ut discipulum se tradit Jesu, christianus efficitur, ponitur in via ad salutem.

*c*/ *Et domus ejus tota*, v. 53. Quantum narraverit regulus tum filio sanato, tum uxori aliisque forte liberis, tum servis suis, de Jesu, de ejus humilitate et paupertate et mansuetudine, de ejus potentia et mirabili doctrina ; vere ut apostolus omnium illorum conversionem operatur. Nonne in specie uxor illius fuerit illa Joanna quam Evangelium (1) nobis exhibet ut unam de iis mulieribus quæ pedissequæ sequuntur Jesum ei de facultatibus suis ministrantes, quæ imo Jesum secutæ sunt usque ad locum Calvariæ primæque ad sepulchrum Christi properarunt (2) ?

---

(1) *Lc.*, VIII, 2.

(2) *Lc.*, XXIII, 49, 55 s. ; XXIV, 10.

*Conclusio.* Dum temporibus subsequentibus regulus Capharnaum recogitabat omnia quæ contigerant, in specie ærumnas et anxietates quas passi fuerant, nonne admirabundus cogebatur gratias agere ob ipsas illas ærumnas, tam mirabili modo a divina Providentia in bonum suum ordinatas? — Nonne et nos, semel in cælo, per æternitatem admirabimur eamdem Providentiam quæ ea, quæ ingrata nobis et damnosa videbantur, mirabili modo ad fidem se vitam christianam ad salutem æternam destinaverit? A. VANDER HEEREN.

## II.

## De necessitate incarnationis.

Q. *An necessarium fuit Deum incarnari ad redimendum genus humanum? Vindica responsum.*

R. — 1/ *Necessarium* dicitur id quod non potest non esse, et hoc primo et primario verificatur in iis quæ naturam alicujus entis constituunt [causæ intrinsecæ, ubi agitur de ente causato], vel quæ ad eamdem naturam consequuntur et in eadem causam habent (1).

Ita loquimur de ente necessario et dicimus ens compositum materiale necessario corrumpi vel esse necessario quantum, aut adhuc voluntatem necessario appetere bonum; sic etiam dicimus Deum *secundum suam naturam*, adeoque *ex necessitate*, velle suam bonitatem (2), non autem alia a se, quod in tractatu de Deo expresse probatur et explicatur (3).

---

(1) Cfr *Collat. Brugen.*, XXIII, p. 139 s., ubi hanc notionem necessitatis latius explicavimus.

(2) *Ibid.*, XXIV, p. 222.

(3) *Ibid.*, p. 223 s. coll. X, p. 652; heic animadverte necessitatem naturalem non opponi libertati, ut præciare exponit ILLUST. AC REV. WAFFELAERT, *Medit. theol.*, in art. quod inscribitur *De libero arbitrio Dei*, n. 187 s., apud *Collat. Brugen.*, V, p. 366 ss.; vide præsertim n. 191 s., p. 371 ss. et infra n. 212, p. 652 ss.

2/ Ad hunc primarium modum reducuntur omnes alii modi necessitatis, qui sunt ex causis extrinsecis, efficiente et finali.

*a*/ Necessitas ex parte agentis vel cogentis vocatur *necessitas coactionis ;* inducit autem motum violentum (1), itaque in casu considerari non debet.

*b*/ Necessitas ex parte causæ finalis respicit *medium necessarium* ad aliquem finem obtinendum (2).

Jam autem, supposita voluntate Dei reparandi genus humanum lapsum, quod tamen potuisset non reparare, quoniam agebantur dona prorsus indebita et libere omnino deperdita, nondum erat incarnatio medium necessarium ad hunc finem assequendum, siquidem potuisset Deus ordinem supernaturalem restituere, vel ex mera misericordia nulla præstita satisfactione a quolibet, vel etiam ab inadæquatam aliquam et non condignam satisfactionem ab homine præstandam (3) ; adverte porro, quoniam hæc satisfactio delendo peccato non fuisset condigna, non dari etiam in hac hypothesi redemptionem presse sumptam, quandoquidem Deus adhuc ex misericordia gratiam hominibus restituisset.

Ubi vero Deus volebat aliquam *reparationem adæquatam et condignam*, itaque *strictam redemptionem* generis humani, soluto scilicet pretio debito, tunc *necessarium erat* ut ipse *assumeret aliquam naturam creatam*, in qua satisfaciendo infinita ratione ex dignitate personæ reparantis, restitueret honorem divinum infinita ratione læsum per peccatum protoparentis (4).

Sedulo simul observa medium *sic hypothetice necessa-*

---

(1) *Collat. Brugen.*, XXIII, p. 139, n. 4.

(2) *Ibid.*, p. 140 s.

(3) *Ibid.*, X, p. 654 s.

(4) Cfr *Sum. theol.*, III, q. 1, a. 2, c. et vide apud *Collat. Brugen.*, XI, p. 22 s., demonstratam hanc propositionem : gravitas læsionis honoris divini per peccatum hominis est infinita, quia hæc gravitas mensuratur dignitate personæ offensæ.

*rium*, libere prorsus a Deo fuisse electum, quod ex præmissis satis apparet (1).

3/ Sensu derivato ex ordine physico ad ordinem moralem, quoniam id quod non potest non esse *debet* esse, loquimur adhuc de *necessitate morali* seu obligatione (2), quæ quum in Deum, Ens supremum, cadere nequeat, in hac disputatione de necessitate incarnationis attendi non debet.

Unde dicendum respondendo breviter ad quæstionem : ad redimendum genus humanum nulla erat in Deo *necessitas naturalis ;* necessitas *coactionis* et *moralis* ne quidem considerari debent ; *supposita* vero *voluntate divina reparandi* genus humanum, quæ in quæstione revera supponitur, *ubi Deus volebat redemptionem stricte dictam,* exigendo reparationem adæquatam et condignam, *medium necessarium*, libere tamen electum, erat nondum incarnatio seu assumptio carnis humanæ, sed *assumptio tamen alicujus naturæ creatæ* in qua ipse Deus satisfaceret.

Maxime autem, ait s. Thomas, *conveniebat* ut Deus, et quidem *Verbum* potius quam alia persona divina (3) assumeret *naturam humanam* et non aliam, ut puta angelicam, quoniam agebatur de expiando peccato *hominis* et de reparando genere *humano* (4) ; insuper congruum erat ut assumeret naturam humanam *ex stirpe Adæ* « primo, quia hoc videtur ad justitiam pertinere, ut ille satisfaciat, qui peccavit. Secundo, quia hoc etiam pertinet ad majorem hominis dignitatem, dum ex illo

---

(1) Ad penitiorem intellectum libertatis divinæ lege ILLUST. AC REV. WAFFELAERT, *a.* et *l. c.*, præprimis n. 195, p. 494 s. et n. 207, p. 645 ; cfr etiam VANDER MEERSCH, *Tract. de Deo uno et trino*, n. 469 ss., p. 367 ss., Brugis, 1917.

(2) Cfr *Collat. Brugen.*, XXIII, p. 140 coll. X, p. 652 s., ubi simul prævertitur hæc difficultas : Deus ex amore suæ perfectionis sibi debet optimum facere; de eadem agit s. THOMAS, *Sum. theol.*, I, q. 25, a. 6, c.

(3) *Sum. theol.*, III, q. 3, a. 8, c.

(4) *Ibid.*, q. 4, a. 1, c. coll. q. 1, a. 2, c.

genere victor diaboli nascitur, quod per diabolum fuerat victum. Tertio, quia per hoc etiam Dei potentia magis ostenditur, dum de natura corrupta et infirma assumpsit id quod in tantam virtutem et dignitatem est promotum » (1).

H. Lamiroy.

## III.

### Casus de absolutione sacramentali.

Q. *Titius, jam accepta absolutione, ex improviso addit aliquod peccatum in confessione prætermissum. Quid faciendum est confessario ?*

R. — Ut solutio recte intelligatur, notandum est verba absolutionis cadere in peccata quæ et quatenus accusata sunt, ita ut nullatenus absolvantur peccata quæ *post* absolutionem declarantur. Itaque, falso putaret aliquis peccatum veniale, statim post absolutionem accusatum, remitti sacramentaliter, quia moraliter perseverat confessio. Sedulo vero notandum est peccatum grave, nondum directe absolutum, clavibus adhuc subjiciendum esse, *ut directe absolvatur*. Errat igitur qui putaret peccatum grave inculpabiliter omissum non directe *absolvendum*, sed tantummodo *declarandum* esse in sequenti confessione. In casu inculpabilis omissionis, non sufficit Titium post absolutionem, confessione moraliter perseverante, peccatum grave *accusasse*, sed oportet ut *absolutionem* recipiat de hoc peccato.

Similiter gravia peccata, *generice* tantum accusata et absoluta, manent clavibus subjicienda, quousque non fuerint *secundum suam speciem* moralem et theologicam clavibus subjecta et a confessario absoluta.

Hisce præmissis, ad solvendam quæstionem propositam distinctione opus est :

1) Fieri potest ut absolutio *sacrilege* recepta sit, quia culpabiliter reticitum est, vel incomplete accusatum,

(1) *Sum. theol.*, III, q. 4, a. 6, c.

peccatum quod pœnitens sub gravi accusandum esse arbitrabatur.

Quodsi ita est, confessarius Titium excitet ad veram contritionem, eumque bene dispositum absolvat. Peccata ante absolutionem declarata non sunt iterum accusanda ; peccatum enim reticitum necnon peccatum sacrilegii, quæ post priorem absolutionem accusantur, tamquam complementum antedictorum peccatorum declarantur, quæ sufficienter memoria tenentur ut confessarius Titium ab iis quoque hac altera sacramentali sententia absolvere possit. Pœnitentia injungenda est per se gravis. Ea autem quæ forte jam injuncta erat ante priorem absolutionem non est adimplenda, quia sacramentum prima vice invalide collatum est.

2) At fieri potest ut prior absolutio *non* fuerit *irrita,* quia peccatum prætermissum, vel leve erat, vel, quamvis grave fuerit, tamen absque culpa lethali reticitum vel incomplete accusatum est.

*a)* Sane leve peccatum clavibus non est subjiciendum, et absque sacramentali absolutione aliis mediis deleri potest. Ut tamen denegari possit pœnitenti beneficium novæ absolutionis, rationabilis causa postulatur. Pura autem intentione, cum debita reverentia et æstimatione sacramenti, absolutionem petit a peccato levi, præ oblivione nondum clavibus subjecto, adeoque nondum remisso. Quod si absolvatur, pœnitentia prius imposita leviter adaugeatur, ut iteratum sacramentum sua quoque satisfactione integretur.

*b*) Peccatum autem grave, inculpabiliter omissum, est indirecte remissum. Sufficit ut in proxima, non ideo anticipanda, confessione clavibus subjiciatur. Sed, quia grave incommodum est *iterum* accusare hoc peccatum, non differatur absolutio. Idem dicendum est, et ob eamdem rationem, de peccato gravi quod in priore confessione non accusatum est secundum suam speciem moralem vel theologicam. Iteranda est statim absolutio et satisfactio prius imposita augeatur ita ut gravis sit pœnitentia et sacramenta sint integra.

## IV.

### De unione materiæ et formæ baptismatis.

Q. *Titius laïcus sic baptizavit : effudit aquam in caput baptizandi, et deinde pronuntiavit formulam. Dijudica hujus baptismi valorem.*

R. — Præter intentionem ministri duo elementa, unum ut determinabile, alterum ut determinans, concurrunt ad signum sacramentale perficiendum, qua de causa respective materia et forma vocantur. Nexus itaque inter utrumque elementum postulatur, et quidem talis ut verba formæ censeantur materiam respicere ejusque significationem pressius determinare.

Jamvero, *a*/ non ideo postulatur ut semper materia et forma *eodem physico momento* ponantur. Nexus tam arctus necessarius est ad sacramentum eucharisticum conficiendum, quia verba consecrationis « Hoc est corpus meum. — Hic est calix sanguinis mei » respiciunt materiam hic et nunc in altari *demonstrabilem*. Similis autem ratio invocari nequit pro omnibus sacramentis.

Præterea, *b*/ quamvis forma determinet materiam eamque hac de causa præsupponat, verba tamen formæ aliquando respicere possunt materiam statim applicandam, eamque in antecessum determinare. Sic valet baptismus quamvis forma ritualis *ante* ablutionem proferatur, dummodo pronuntietur a ministro qui jam in eo est ut ablutionem peragat.

Quod autem spectat *c*/ casum in quo materia ponitur antequam verba proferantur, dummodo *immediata* habeatur inter utrumque elementum successio, sacramentum validum erit. Declaravit Congr. de disciplina sacramentorum, 17 nov., 1916 : « Communis doctrina est ad validitatem baptismatis non requiri unionem physicam materiæ et formæ, sed satis esse *unionem moralem* quæ

habetur tum si fiat ablutio immediate antequam forma absolvatur tum si fiat immediate post (1) ».

Pro interpretatione vocis « immediate » confert sequens responsum S. Sedis quod refert cl. Desmet (2) : Minister sc. protestans baptizaverat sex personas hoc modo : prius aqua lavaverat baptizandos binos et binos et deinde, postquam omnes aqua loti fuerant super binos et binos formulam pronuntiaverat. Jamautem, declaratum est sacramentum dubie validum esse, adeoque conditionate iterandum.

Itaque, ad casum propositum respondendum est : valere sacramentum, si prolatio verborum ablutionem immediate secuta sit ; secus autem, sacramenti valorem dubium esse vel etiam nullum, prouti nexus supra descriptus inter materiam et formam dubie vel certo defuit.

V. Coucke.

## V.

## Het Apollinarisme.

V. *Waarin bestond de christologische ketterij, die Apollinaris, bisschop van Laodicea, omstreeks 352, begon te verspreiden? Welke omstandigheden en opvattingen gaven aanleiding tot deze dwaalleer?*

A. Het apollinarisme is de belangrijkste christologische ketterij der IVe eeuw ; het opent, om zoo te zeggen, de reeks dwalingen betreffende het mysterie der menschwording van Christus, waaraan we thans enkele verhandelingen zullen wijden. Wel is waar bevatten de vroegere antitrinitarische ketterijen, (en niet het minst het arianisme, dat van den Logos een schepsel had gemaakt), noodzakelijk onjuistheden en gansch verkeerde uitlatingen over het *menschgeworden Woord Gods* ; doch de

(1) *Acta Apost. Sedis*, VIII (1916), p. 479.

(2) Al. De Smet, *Tractatus de sacramentis in genere, de baptismo et confirmatione*, ed. 2a. Brugis, 1925, p. 112, in nota.

aandacht was er zooveel niet op gevestigd, daar de twist vooral liep over de *generatio æterna Verbi* (1).

Op het einde nochtans der ariaansche woelingen werd het christologisch vraagstuk, onafhankelijk van het arianisme, in het gedrang gebracht en werd de aandacht rechtstreeks gevestigd op de *generatio Christi in tempore*. De eerste, die hier op het dwaalspoor geraakte en voor de Kerk daarover te verantwoorden had, was Apollinaris (de jongere), bisschop van Laodicea in Syrie sedert 361 tot aan zijn dood in 392 (2).

Apollinaris had lange jaren aan de zijde van s. Athanasius en van de Cappadociërs, met een door allen erkend gezag, gestreden tegen het arianisme (3). Min gelukkig was hij in zijn strijd tegen een verkeerde richting,

---

(1) Een korte schets der geschiedenis van het arianisme gaven wij in de *Collat. Brugen.*, t. XIV en XV.

(2) Apollinaris werd omstreeks 300 te Laodicea geboren; zijn vader echter (Apollinaris de oudere) uit Alexandrië afkomstig, was in voeling gebleven met de school van zijn geboortestad en den grooten Athanasius; Apollinaris de jongere, na eerst vervolgingen onderstaan te hebben van wege den ariaanschen bisschop George, werd zelf bisschop van de rechtgeloovige gemeente te Laodicea in 361. Hij werd door vriend en vijand als een hooge persoonlijkheid erkend, als een man van groote wetenschap, vooral op het gebied der schriftuur en der philosophie. Van zijn talrijke werken is er veel verloren gegaan; ze werden immers door de Kerk verboden, doch enkele zijn onder valsche namen, ja onder namen van Pausen en groote Kerkleeraars, verspreid geworden en aldus gespaard. Lietzmann heeft in zijn *Apollinaris von Laodicia und seine Schule* (Tubingen, 1904) de overgebleven dogmatische teksten uitgegeven. Deze teksten zijn natuurlijk de bijzonderste bronnen voor de geschiedenis van het apollinarisme; inlichtingen werden ook verstrekt door de heilige vaders en kerkelijke schrijvers, die het apollinarisme hebben bevochten. (Zie Tixeront, *Histoire des dogmes*, t. II, p. 94) De bijzonderste monographiën over Apollinaris zijn, benevens *Lietzmann* reeks aangehaald, J. Draeseke, *Apollinarios von Laodicea*, Leipzig, 1892 en G. Voisin, *L Apollinarisme*, (thèse doctorale), Louvain, 1901.

Een zeer goed artikel verscheen in *Dict. d'Hist. et de Géographie ecclésiastiques*, v° *Apollinaire*. Van groot nut waren ons ook, en kunnen voor de verdere verhandelingen dienen: Tixeront, *o. c.*, t. II en III; Al. Janssens, *Het Menschgeworden Woord*, Antwerpen-Brussel, 1925.

(3) Zie Voisin, *o. c.*, p. 409 ss.

die intusschen in de antiocheensche school (de voorloopster van het nestorianisme) ontstaan was. Met Diodorus immers, de latere bisschop van Tarsus, in 378 had de anders zoo verdienstelijke school van Antiochië een rationalistische richting ingeslagen; zij steunde met zooveel nadruk op de tweeheid der naturen in Christus, dat de eenheid van persoon niet tot haar recht kwam (1). Apollinaris kwam met reden tegen deze richting op, doch in zijn reactie tegen het overdreven dualisme, belandde hij zelf jammerlijk in een ketterij: de negatie van de ware en volmaakte menschheid van Christus.

Voor alles was Apollinaris bekommerd met het dogma der *verlossing* (2). Om dit dogma te redden, had hij, even als Athanasius, de ware godheid (de *consubstantialitas*) van Christus tegen de arianen verdedigd: om de menschen te verlossen, zoo leerde Apollinaris moest een God geboren worden, lijden en sterven. Maar nu was de verlossing andermaal in gevaar gebracht, door Diodorus van Tarsus, waar deze Christus beschouwde als een God, die zich een mensch had bijgevoegd; met zulke leering, meende Apollinaris, ontneemt men alle waarde aan het lijden en sterven van den Zaligmaker. Daartegen wilde hij volstrekt de éénheid van Christus in 't licht stellen: opdat een God kunne lijden en sterven voor ons, is 't noodig dat godheid en menschheid zoo nauw

---

(1) Over Diodorus van Tarsus en de antiocheensche school zullen we het verder hebben; 't zij hier genoeg aan de formulen te herinneren die daar in eer waren: « De zoon Gods heeft in den zoon van David gewoond als in een tempel. Het Woord is niet eeuwiglijk uit den Vader en tijdelijk uit Maria geboren; maar geboren uit den Vader heeft hij zich een tempel gemaakt van dengene die uit Maria geboren is ». Zie JANSSENS, t. a. pl., bl. 98.

(2) Aldus TIXERONT, *l, c.*; op te merken is nochtans dat Laodicea in de nabijheid lag van Antiochië, zoodat Apollinaris, vertegenwoordiger van de school van Alexandrië, er als van zelf toegebracht werd die van Antiochië te bevechten. De moeilijkheden begonnen omstreeks 352; maar 't was slechts na tien jaar dat de leer van Apollinaris gevaarlijk begon te schijnen. Cfr R. AIGRAIN in *Dict. d'Hist. et de Géogr. eccl.*, v° *Appollinaire.*

verbonden zijn, dat ze maar « een natuur » uitmaken, een *principium operandi*, oorsprong en van menschelijk en van goddelijk handelen.

Dat was de grondgedachte die tot verdere dwalingen leidde ; want Apollinaris om de zoo vereischte « eenheid » in Christus te behouden, offerde de menschheid. Twee in zich zelf volledige en volmaakte wezens en naturen, zoo sprak hij, kunnen niet één zijn. Want indien er in Christus een volmaakte God is en een volmaakte mensch, zijn er twee Zonen Gods : een Zoon Gods van natuur en en een Zoon Gods door aanneming. Er zijn twee personen (πρόσωπα) : God en de volmaakte mensch, dien hij bijgenomen heeft ; er is geen menschwording meer, maar neven-elkaar-stelling van God en van een mensch.

De menschheid door het Woord Gods aangenomen kon dus en mocht niet volledig zijn. Maar wat er van afgenomen ? Natuurlijk, datgene dat de eenheid in Christus en tevens het verlossingswerk in gevaar zou brengen, te weten de redelijke en vrije ziel ; « want een menschelijke wil zou niet zonder zonde geweest zijn, zooals overigens ook in de menschelijke redeneeringen de zonde niet te vermijden is » (1).

De menschwording van Christus is dus, streng genomen, geen « *mensch*wording », maar eene « *vleesch*-wording », het Woord Gods zelf is het levensprinciep van het lichaam dat het aangenomen heeft (2).

Uit dit leerstelsel volgde vooreerst dat Christus'

---

(1) Cfr JANSSENS, t. a. pl.

(2) Aanvankelijk was Apollinaris *dichotomist* (d. i. meende dat in den mensch slechts twee bestanddeelen zijn : ziel en lichaam) en in deze periode negeerde hij heelemaal dat Christus een ziel had. Later, vóór 374, werd hij trichotomist (d. i. meende dat de mensch drie bestanddeelen heeft : lichaam, ziel (ψυχή) en geest (πνεῦμα) Nu verklaarde hij dat de menschheid van Christus bestond uit lichaam en ziel (levensbeginsel), terwijl het Woord zelf er de geest (νοῦς of πνεῦμα) van was. Zoo kon hij, naar zijn meening, voldoenden uitleg geven van de Evangelieteksten, die spreken over de aandoeningen der menschelijke ziel in Christus ; zie VOISIN, *o. c.*, p. 285, ss.

menschheid niet was gelijk de onze. Daartegen werd natuurlijk door de rechtgeloovigen aangevoerd : de mensch is dus niet verlost door den Zaligmaker, aangezien alleen datgene verlost is dat de Christus heeft aangenomen. Aldus in 't nauw gebracht, verklaarde Apollinaris dat werkelijk door Christus'dood alleen het lichaam der menschen was verlost ; de ziel moet hare verlossing zelf bewerken door de navolging van Christus (1). Daarbij kwam nog de stelling dat Christus de menschen verlost had zonder verdienste van zijnentwege, vermits het vleesch — of het bezield lichaam zonder geest — geen vrije daden kan stellen, noch tot eenige deugd bekwaam is. Dit was voor Apollinaris een deerlijke mislukking in 't geen hij eerst en meest wilde redden, de leer over de *redemptio* (2).

Ten slotte volgt uit het stelsel van Apollinaris vooral — aangezien het met dit doel werd opgebouwd — de *eenheid van natuur* in Christus, het *monophysisme* in zijn eerste uiting. Vermits het Woord vereenigd is met het vleesch, zooals de ziel met het lichaam, zijn er in Christus noch twee personen (πρόσωπα), noch twee naturen (φύσεις) : maar één natuur en één wezen. Apollinaris beweerde echter niet dat de goddelijke natuur wezenlijke verandering had ondergaan, noch dat door vermenging met het vleesch een nieuwe natuur was ontstaan. Neen : de goddelijke natuur die onvleeschelijk was, eigende zich het vleesch toe ; zij was eerst enkelvoudig ; bij de vleeschwording werd zij samengesteld en van daar de beroemde formule van Apollinaris, die later dikwijls zal opgehaald worden en die in 't kort gansch de dwaalleer bevat : Μία φυσις τοῦ θεοῦ λογου σεσαρκωμένη, d. i. : één is de natuur van God het Woord in het vleesch (3). Het spreekt van zelf dat in dit stelsel geen sprake kan zijn van twee willen

(1) *Ibid.*, p. 315 ss.
(2) Tixeront, *o. c.*, p. 98.
(3) *Ibid.*, p. 98 ss.

en twee dadigheden in Christus, zoodat ook het monothelisme in Apollinaris een voorlooper had (1). Andere ketterijen, nl. dat het lichaam van Christus uit den hemel gedaald was, theopaschisme, subordinationisme en millenarisme werden den bisschop van Laodicea ook ten laste gelegd, doch zeer waarschijnlijk ten onrechte ; de latere schrijvers immers hebben de uitlatingen van Apollinaris niet zelden verkeerd verstaan of hebben aan hem toegeschreven de zeer zonderlinge opvattingen zijner volgelingen (2).

Want Apollinaris had school gemaakt, ja een eigen afgescheurde Kerk gesticht met bisschoppen en priesters. De meest bekende zijner discipelen is Vitalis, eerst priester in Antiochië later, in 376, bisschop gewijd voor de afgescheurden. Deze bleef trouw aan de leer van zijn meester ; doch na hem (390-400) verschijnen de Apollinaristen, verdeeld onder elkaar : een eerste groep, die der synousiasten, stelde zich openlijk tegen de Kerk en hare gezaghebbende leeraars, Athanasius en de Cappadociërs ; zij zullen later naar de ketterij van Eutyches overloopen. De andere, meer gematigde Apollinaristen, trachtten integendeel hunne opvattingen met de traditioneele leer der Kerk in overeenstemming te brengen ; zij ook liepen hoog op met de eenheid van natuur in Christus, doch die eenheid verstonden ze in den grond, even als de rechtgeloovigen, als een eenheid van persoon. Velen konden later tot den schoot der Kerk terug gebracht worden, wanneer de Conciliën de beteekenis der woorden, waarmede het mysterie der menschwording uitgedrukt werd, nader bepaald hadden (3).

R. Deschepper.

---

(1) Voisin, *o. c.*, p. 301.
(2) *Ibid.*, p. 333.
(3) *Ibid.*, p. 112 ss.

## VI.

### De obligatione Ritualis Romani.

Q. *An et quousque obligat Rituale Romanum?*

R. Quæstio moveri potest : 1° de ipso libro Rituali Romano, utrum ubique admitti et servari debeat (1) ; 2° de rubricis in eo contentis, utrum præceptivæ sint, an directivæ tantum.

I. — Peractis jam a prædecessoribus suis revisione et promulgatione Breviarii, Missalis, Martyrologii, Pontificalis, Paulus V tandem etiam **Rituale Romanum**, ad tramites antiquorum librorum et potissimum ritualis Cardinalis Sanctorii præparatum, promulgavit per bullam *Apostolicæ Sedi*, diei 20 junii 1614, quæ exstat in limine ipsius Ritualis. In hac autem constitutione præmittit quidem Pontifex se intendere unitatem in servandis ritibus, sed in parte dispositiva dicit tantum : « *Hortamur* in Domino... ut in posterum constituto Rituali in sacris functionibus utantur... »

A sensu proprio vocis *hortamur*, quæ *consilium non vero præceptum* exprimit, hic non est recedendum propter duo. *a*) Pauli enim prædecessores, ceteros libros edentes, modo multo severiore locuti fuerant : antiquorum librorum usum proscribunt, pœnis severissimis prohibent quominus aliquid addatur, detrahatur, immutetur ; et tandem « districte » et « in virtute sanctæ obedientiæ præcipiunt », « jubent », « mandant » ut libri novi ab omnibus observentur. *b*) Et sapienter aliter factum est. Facilius enim est novum Breviarium, Missale, Pontificale imponere quam novum Rituale, antiquiori abrogato, inducere : administratio enim sacramentorum et sacramentalium,

---

(1) Cfr D. Bouix, *De jure liturgico*. Par., 1853, 298-310 ; Wernz, *Jus decretalium*, Rom. 1901, t. III, n. 345 ; A. Vermeersch-J. Creusen, *Epitome juris canon.*, 1925, t. II, n. 575 ; V. Thalhofer-E. Eisenhofer, *Handbuch der Kath. Liturgik*, 1912, § 6, n. 3 ; De Herdt, *S. liturgiæ praxis*, t. III, n. 141.

processiones et benedictiones intimius cohærent cum usibus et consuetudinibus non solius cleri sed totius populi, et has non unico ictu sed pedetentim mutare prudentius esse solet. Recentiores Pontifices qui Rituale recognoverunt, Benedictus XIV, Leo XIII, Pius X et Pius XI, nunquam expresse et universaliter « hortationem » Pauli V in præceptum commutarunt.

1. Ergo stricto jure licitum erat Ordinariis in suis ecclesiis *retinere libros rituales* quibus antea legitime utebantur. Hos enim libros præ oculis habuerant Patres Concilii tridentini declarantes « receptos et approbatos Ecclesiæ catholicæ ritus in solemni administratione sacramentorum adhiberi consuetos aut contemni, aut sine peccato a ministris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcumque ecclesiarum pastorem mutari non posse » (sess. VII, can. 13). Et nec Paulus V, nec ullus pontifex subsequens eos proscripsit. Unde *hodiedum retineri* possunt libri antiqui, si nunquam fuerint mutati (1).

2. Ubi autem nullum rituale est in usu, v. g. in locis infidelium, qui ad fidem convertuntur, *inducendum est Rituale Romanum*. Hoc enim solum est approbatum pro universali Ecclesia (2).

3. Aliunde *melius erat et est* particularibus ritualibus aut pastoralibus ubique substituere Rituale Romanum. Hoc a tempore Pauli V continuo inculcarunt Pontifices et

---

(1) Si tamen Rituale proprium in nonnullis tantum a Romano discrepet, licet ubique et in omnibus functionibus Romanum adhibere, ut declaravit S. R. C., Strigonien, 30 aug., 1892, n. 3792, ad IX. Et quando sacerdos sæcularis administrat sacramenta monialibus Cisterciensibus quæ habent Rituale Cisterciense, tenetur servare suum Rituale Romanum, ex decr. n. 3901. Ex quibus patet S. Congregationem non proscribere Ritualia propria, sed Romano omnino favere.

(2) Ita S. R. C. 7 sept. 1850 rescripsit ad episcopum Trecensem in Gallia : « In ea (benedictione cum SS. Sacramento) Rituale Romanum, *cujus leges universalem afficiunt Ecclesiam*, integre servetur ». Citatum apud Bouix, *o. c.*, p. 307, et ap. Wernz, *o. c.*, n. 345, qui inde deducunt vim *obligandi* universas ecclesias. Sed : 1° vis *obligandi* universalis in textu non diserte exprimitur ; 2° responsum S. R. C nunquam fuit promulgatum ad modum legis universalis.

S. Congr. Rituum. Hæc v. g. die 2 maii 1626 dicebat « *Placere sibi* quod si non est introducta observatio Ritualis Romani, introducatur ». Et exinde solet regulariter ad dubia respondere « juxta Rituale Romanum », « juxta Ritualis Romani rubricam », « Servetur Rituale Romanum ». Ita tenditur ad illam unitatem in praxi liturgica, quæ tantopere in votis erat Concilii Tridentini et S. Sedis.

4. Rituale Romanum semel in aliqua diœcesi admissum jam *non licet derelinquere* nec partim *mutare* (1), sicut etiam non licet antiquos libros, qui forte alicubi legitime retenti sunt, « pro arbitrio mutare » (2), ut declaravit, die 8 augusti 1842, Gregorius XVI ad Card. Gousset, archiepiscopum Rhemensem.

Concilium enim Tridentinum (sess. 7, can. 13) prohibet « receptos et approbatos Ecclesiæ catholicæ ritus... in novos alios mutare » ; atqui ritus Ritualis Romani certe sunt ab Ecclesia probati. Inter scripta a Benedicto XIV decretis generalibus in Indicem librorum prohibitorum inserta, inveniuntur, sub § 4 : n. 1 « Benedictiones omnes ecclesiasticæ, nisi approbatæ fuerint a Sacra Rit. Congregatione. — n. 7. Rituali Romano additiones omnes factae aut faciendæ post reformationem Pauli V, sine approbatione S. Congregationis Rituum » (3).

Item prohibet Leo XIII in Const. *Officiorum ac munerum*, 25 januarii 1896, n. 18 : « In authenticis editionibus... Ritualis... nemo quidquam immutare præsumat : si secus factum fuerit, hæ novæ editiones prohibentur ».

Et praxis S. Congregationis Rituum est ut jam non approbet Ritualia diœcesana a Romano distincta, sed tantummodo appendices vel « Propria » Rituali Romano adjicienda. Imo ubi, v. g. in diœcesi Brugensi, concedit

---

(1) Cfr S. R. C. decr., Cenomanen., 10 januarii 1852, n. 2993 ad 4.

(2) Contra jus ergo egerunt illi qui sæc. XVIII in Gallia præsertim, influxu principiorum et partium Gallicanorum et Jansenistarum, magna ex parte iterum atque iterum pro arbitrio suo libros liturgicos commutarunt, ut exemplum describitur in cit. decreto n. 2993.

(3) Cfr decr. S. R. C. n. 2689, 4 ; 2725, 9.

S. Congregatio minores quasdam « variationes seu additiones », vult ut hæ « in modum tantum adnotationum vel appendicis ad relativa capita ipsius Ritualis Romani typis edi queant, transmisso ad S. Rituum Congregationem duplici exemplari » (1).

Ex hac « disciplina vigente » concludit WERNZ, *o. c.*, n. 345, potius tenendum esse leges Ritualis Romani universalem obligare Ecclesiam. Sed hoc non videtur posse concludi : quia in his semper agitur de libris vel usibus *novis* inducendis, et hoc ut vidimus certe non licet.

II. — Quod spectat **vim obligandi rubricarum** quæ in Rituali Romano describuntur, sequentia statui possunt ad tramites eorum quæ latius evolvimus in opere *De S. Liturgia universim*, nn. 125-129 :

1/ S. Rubricæ Ritualis, sicut ceterorum librorum liturgicorum romanorum, collective sumptæ, certe sunt præceptivæ. Et est obligatio gravis ex genere suo.

2/ Hæc obligatio extenditur non ad solas rubricas in administratione *sacramentorum* servandas, ut quidam volunt, sed etiam ad rubricas *aliarum functionum*, v. g. processionum, benedictionum, etc. quæ in Rituali describuntur.

3/ Ut mere directivæ habendæ sunt rubricæ quæ sunt minoris momenti. Qua de re non leviter et proprio lubitu judicandum est, sed sedulo inspectis *a*) textu ipsius rubricæ, *b*) ejus materia, *c*) decretis forsan S. R. C., *d*) opinionibus doctorum.

C. CALLEWAERT.

---

(1) Ex rescripto S. R. C. diei 9 aug. 1897, quo S. Sedes concedit tres variationes in Rituali Romano, quod Episcopus Brugensis, amoto Pastorali Brugensi, unice deinceps servari præcepit (ap. *Collat. Brugen.*, t. II, p. 607 ss.)

# Consultationes de via crucis. (1)

## I.

*Tabulæ pictæ* viæ crucis omnes aut fere omnes renovari debuerunt. An nova requiritur benedictio earum, aut et nova erectio viæ crucis ?

*R.* — « Indulgentiæ viæ crucis crucibus tantum sunt adnexæ, minime vero imaginibus, quæ necessariæ non sunt » (2) ; unde possunt *tabulæ* vel partim vel omnes mutari, possunt auferri sive ad tempus, sive in perpetuum, quin ideo indulgentiæ V. C. cessent, dummodo *cruces* remaneant. Congruit quidem ut tabulæ, si omnes aut fere omnes renoventur, benedicantur : id tamen necesse non est (3).

## II.

Tempore restaurationis partis ecclesiæ ipsæ *cruces auferri* debuerunt. Quid de indulgentiis viæ crucis ?

*R.* — 1/ Si cruces omnes vel quoad majorem partem quacumque de causa removeantur a loco suo, indulgentiæ non possunt acquiri a fidelibus qui tempore ablationis exercitium viæ crucis peragunt tamquam si cruces adessent (4).

2/ Si autem una tantum alterave crux removeatur, v. g. ad illam partem parietis dealbandam, indulgentiæ interea nihilominus lucrifieri possunt, ut videtur (5).

---

(1) Cfr *Collat. Brugen.*, t. II (1897), p. 285 ss; Beringer-Steinen, *Die Ablässe*, 15ª ed. t. I, p. 344, n. 730 ss.

(2) Vide supra p. 231, ubi decreta citantur.

(3) Cfr supra p. 232.

(4) Cfr decr. 16 dec. 1760, ad II. *Decr. auth.* n. 223.

(5) Cfr decr. 20 junii 1836, ad I. *Decr. auth.*, n. 257.

3/ Finita autem restauratione, sufficit simpliciter cruces reponere, nec erectione nec benedictione opus est ad indulgentias denuo lucrandas (1). Nec necesse est ut singulæ cruces eodem determinato loco reponantur, ubi primitus fuerint affixæ (2).

4/ Imo liceret tempore restaurationis, aut et pro semper, omnes stationes a loco suo primitivo in alium locum, v. g. in aliquam cappellam lateralem transferre, dummodo sit in eadem ecclesia (3), et sub eodem tecto : quodsi appenderentur parietibus sacrarii (seu sacristiæ) vel oratorii sub diverso tecto (i. e. quod constituit aliquod ædificium ab ipsa ecclesia distinctum), non liquet utrum indulgentiæ serventur, et in casibus particularibus ad s. Sedem recurrendum est (4).

## III

Quid *si* quædam aut et omnes *cruces perierunt ?*

*R.* — 1/ « Si [cruces] pereant vel tollantur ex minori parte [id est sex aut infra], licet alias illis substituere absque ulla nova erectione et benedictione, ideoque indulgentiæ perseverant » (5). Hoc modo possent omnes cruces *successive* renovari quin pereant indulgentiæ viæ crucis, ut nobis videtur (6).

---

(1) Cfr decr. 30 jan. 1839, ad V. *Decr. auth.*, n. 270.

(2) Cfr decr. 20 sept. 1839, ad III. *Decr. auth.*, n. 275.

(3) Cfr decr. 22 aug. 1842, ad IV. *Decr. auth.*, n. 311, et 20 aug. 1844, *ibid.*, n. 328.

(4) Cfr decr. 16 dec. 1760, ad III. *Decr. auth.*, n. 223.

(5) Cfr decr. 20 sept. 1839, ad II. *Decr. auth.*, n. 275, coll. decr. 13 nov. 1837, *ibid.*, n. 258, et decr. 22 aug. 1842, ad III, *ibid.*, n. 311.

(6) Aliter tamen censent Mocchegiani, *Collectio indulgentiarum*, p. 513, n. 1153 ; Beringer-Steinen, *o. c.*, t. I, p. 344, n. 731 ; P. Hubertus, *Leer en praktijk der aflaten*, p. 94. Sed in documentis citatis a Mocchegiani nullibi detegimus hanc suam sententiam, cessare nimirum indulgentias V. C. si major numerus crucium benedictarum pereat, *sive simultanee id contingat, sive successive.* Nos contrà censemus si successive major numerus crucium, imo omnes cruces benedictæ pereant ac successive renoventur, non cessare indulgentias V. C. Similiter omnes globuli alicujus rosarii benedicti possunt *successive* renovari quin rosarium amittat indulgentias. Cfr *Periodica de re canonica et morali*, t. X, p. (23).

2/ Si cruces primitus benedictæ quoad majorem partem, vel omnes « ob... vetustatem vel ob aliam justam causam renovari debeant... in... ecclesia sive oratorio in quo rite cum omnibus documentis... a s. Sede præscriptis (1) [stationes viæ crucis] erectæ reperiebantur,... sufficit... ut novarum stationum [seu crucium] benedictio fiat a sacerdote legitime ad id deputato », nec præfata omnia et singula documenta denuo, sive oretenus, sive in scriptis, postulanda sunt (2), « dummodo præsumi possit perseverare consensum eorum ad quos pertinet » (3), qui consensus vix non semper præsumi potest.

## IV.

In nova parœcia M. via crucis canonice erecta fuit in ecclesia provisoria. An, extructa demum ecclesia definitiva, licet simpliciter transferre stationes a prima ad alteram ?

*R.* — Negative, nam « si stationes viæ crucis per cruces erectæ a loco removeantur, ubi canonice erectæ fuerint, et in alium transferantur, indulgentiæ nec primo loco affixæ remanent, nec cruces sequuntur, sed nova canonica erectio requiritur » (4).

Unde si cruces transferantur sive ab una ecclesia ad aliam, sive ab uno conventus oratorio ad aliud, sive, — pro iis qui gaudent indulto habendi viam crucis in oratorio (5) aut in cubiculo privato — ab uno oratorio aut

---

(1) Vide supra, hoc. tomo p. 233. Cfr decr. 3 aug. 1748. *Decr. auth.*, n. 175.

(2) Antea requirebatur *nova canonica erectio* et benedictio. Cfr decreta 30 jan. 1839, ad V. *Decr. auth.*, n. 270, 20 sept. 1839, ad II, *ibid.*, n. 275, 20 aug. 1844, *ibid.*, n. 328.

(3) Decr. s. C. Indulg. 11 jan. 1896. *Collat. Brugen.*, t. II (1897), p. 286. Hoc decretum ignorare videtur Beringer-Steinen, *o. c.*, t. I, p. 344, n. 731.

(4) Decr. 30 jan. 1839, ad IV. *Decr. auth.*, n. 270, coll. decr. 16 dec. 1760, ad III, *ibid.*, n. 223 et 20 aug. 1844, *ibid.*, n. 328.

(5) Cfr decr. s. C. Indulg. 26 sept. 1892 ad III, IV et V. *Acta s. Sedis*, t. XXV, p. 317 ss. « *Indultum* viæ crucis non cessat, in casu quo per-

cubiculo ad aliud, contiguum vel non, semper nova requiritur canonica erectio.

V.

In parœcia W., ecclesia per bellum funditus eversa nunc feliciter reædificata est. Quid de via crucis in hac ecclesia ?

*R.* — « In casu ecclesiæ ex toto reædificatæ fere in eodem loco et sub eodem titulo, præexistens privilegium s. viæ crucis non cessat, si s. via crucis, quæ in veteri ecclesia destructa legitime erecta extabat, salva substantia, ast sine nova erectione in ecclesiam reædificatam... transferatur » (1).

Unde, si nova ecclesia in eodem aut fere in eodem loco (v. g. cœmeterio) (2) reædificata est et quidem sub eodem titulo :

*a*/ si stationes seu cruces viæ crucis olim benedictæ a ruina servatæ sunt vel omnes vel ad minus octo, (tunc scilicet salva est substantia viæ crucis) reponantur simpliciter in nova ecclesia, additis novis crucibus loco earum quæ perierunt ; nec ulla requiritur nova erectio aut benedictio.

---

sona, quæ pro suo privato oratorio illud obtinuit, alio transferat habitationis sedem, vel oratorium in eadem domo mutat, ita ut ad id privilegium habendum minime requiratur novum concessionis rescriptum, dummodo locus in quo peracta est erectio viæ crucis neque in precibus neque in rescripto determinetur (ad III). Tamen in prædictis mutationibus ad lucrandas indulgentias necessario requiritur nova viæ crucis erectio, etiamsi oratorii et viæ crucis mutatio fiat prope vetus oratorium, e. g. si constituatur in cella priori oratorio contigua, sed omnino separata, vel in alia ejusdem domus contignatione (*étage*, *verdiep*) (ad IV). Sacerdos legitime deputatus ad erectionem in priori oratorio jam factam, non potest etiam secundam et tertiam erectionem peragere in prædictis mutationibus seu translationibus,... vi prioris... delegationis », sed indiget nova deputatione, seu facultate (ad V). Cfr MOCCHEGIANI, *o. c.*, p. 517 sq., n. 1162 ss.

(1) Decr. s. C. Indulg. 7 junii 1905, apud *Collat. Brugen*, t. X (1905), p. 569 sq. Hoc responsum applicat stationibus viæ crucis decretum generale s. C. Indulg. 9 aug. 1843. *Decr. auth.*, n. 323, quod in can. 924 § 1 resumptum est. Cfr *Periodica de re canonica et morali*, t. XII, p. (15).

(2) Cfr decr. 9 aug. 1843 ad II, *l. c.*

*b*/ Si vero veteres cruces perierunt vel omnes vel septem aut amplius, tunc cruces novæ benedicantur ab habente facultatem, et affigantur ; sed non requiritur nova erectio cum documentis necessariis, siquidem præsumi potest perseverare consensum Ordinarii (1). Conficiatur autem, ac in archivo parœciali conservetur, instrumentum seu testimonium benedictionis novarum crucium cum circumstantiis quæ ei locum dederunt (2).

*c*/ Quodsi ecclesia nova vel in alio loco aut sub alio titulo reædificetur, certe nova requiritur viæ crucis canonica erectio cum omnibus et singulis documentis ad id requisitis (3).

A. Legrand.

(1) Vide supra ad III$^{m}$ quæsitum. Hæc nova ecclesia censetur eadem ac primitiva ecclesia diruta.

(2) Cfr supra hoc tomo p 235.

(3) Cfr decr. 9 aug. 1843. *Decr. auth.*, n. 323, coll. decr. 30 jan. 1839, ad V, *ibid.*, n. 270.

# Acta SS. Congregationum

## E Suprema S. Congr. S. Officii

DE CREMATIONE CADAVERUM (1).

Cadaverum cremationis praxi nonnullis in regionibus, posthabitis iteratis Sedis Apostolicæ in contrarium declarationibus atque ordinationibus, in dies, ut relatum est, invalescente, ne tam gravis abusus, ubi iam obtinuit, confirmetur aliove extendatur, Suprema hæc Sacra Congregatio Sancti Officii muneris sui esse ducit locorum per orbem Ordinariorum hac super re attentionem denuo instantiusque, probante SSmo Domino Nostro, excitare.

Et primo quidem, quum non pauci, etiam inter catholicos, barbarum hunc morem, nedum christianæ sed et naturalis erga defunctorum corpora pietatis sensui constantique Ecclesiæ, inde a primis eius initiis, disciplinæ plane repugnantem, veluti unum e potioribus hodierni, ut aiunt, civilis progressus scientiæque valetudinis tuendæ meritis celebrare non dubitent; hæc eadem Sacra Congregatio christiani gregis Pastores quam vehementissime hortatur ut concreditas sibi oves omnimodis edocendas curent hoc reapse consilio a christiani nominis hostibus cadaverum cremationem laudari ac propagari ut, animis a mortis consideratione speque corporum resurrectionis paulatim aversis, materialismo sternatur via. Quamvis igitur cadaverum crematio, quippe non absolute mala, in extraordinariis rerum adiunctis, ex certa gravique boni publici ratione, permitti queat et revera permittatur; communiter tamen ac veluti ex regula ordinaria eidem operam vel favorem præstare, impium et scandalosum ideoque graviter illicitum esse nemo non videt; meritoque proinde a Summis Pontificibus pluries, novissime vero per recens editum Codicem

(1) *Acta Apost. Sedis*, XVIII (1926), p. 282 s.

iuris canonici (can. 1203 § 1) reprobatam fuisse ac reprobari.

Ex quo etiam patet quod, etsi iuxta decretum diei 15 decembris 1886 (Collect. P. F., n. 1665) Ecclesiæ ritus et suffragia non inhibeantur « quoties agatur de iis quorum corpora non propria ipsorum sed aliena voluntate cremationi subiiciuntur » ; quum tamen id (ut in ipso decreto expresse adnotatur) eatenus valere tenendum sit, quatenus per opportunam declarationem « cremationem non propria defuncti sed aliena voluntate electam fuisse » scandalum efficaciter removeri queat, sicubi specialia rerum temporumque adiuncta id sperare non sinant, funerum ecclesiasticorum hoc quoque in casu prohibitionem integram manere dubitari non potest.

Valde autem longe a veritate abesse, evidenter, dicendi sunt qui, ex speciosa ratione quod aliquem religionis actum defunctus, dum viveret, exercere solitus esset vel quod ultimo vitæ momento pravam voluntatem forte retractare potuerit, licitum censent exsequias ecclesiasticas eidem, præsente cadavere, de more persolvere, licet hoc postea, ex propria ipsius defuncti dispositione, sit igni tradendum. Quum enim de hac coniectata retractatione nihil certo constare queat, nullam ipsius in foro externo rationem haberi posse palam est.

Vix vero notatu dignum videtur, omnibus hisce in casibus in quibus non licet pro defuncto funebria ecclesiastica celebrare, ne licere quidem eius cineres sepultura ecclesiastica donare vel quomodocumque in cœmeterio benedicto asservare ; sed ad præscriptum canonis 1212 in separato loco esse reponendos. Quodsi forte civilis loci auctoritas, Ecclesiæ infensa, vi contrarium exigat, ne desint sacerdotes ad quos spectat, qua par est animi fortitudine, huic apertæ Ecclesiæ iurium violationi obsistere, emissaque congrua protestatione, ab omni abstineant interventu. Tum, data occasione, præstantiam, utilitatem ac sublimem ecclesiasticæ sepulturæ significationem seu privatim seu publice prædicare ne cessent, ut fideles, Ecclesiæ intentionem apprime edocti, a cremationis impietate deterreantur.

Et quoniam, denique, hæc omnia ad optatum finem, nisi viribus unitis, haud facile erit deducere : mens est Sacræ Congregationis ut diversarum regionum ecclesiasticarum Sacrorum Antistites, si quando res id exigat, penes proprium Metropolitam convenientes, insimul

exquirant, discutiant, statuant quid ad rem magis opportunum in Domino iudicaverint : et de consiliis hac super re simul initis deque eorum exequutione atque effectu Sanctam Sedem deinde informent.

Datum Romæ ex Aedibus Sancti Officii, die 19 iunii 1926.

R. Card. Merry del Val.

Adnotationes :

Ob periculum praxis in certis regionibus in dies ingravescentis corpora cremandi S. Officium instanter inculcat doctrinam Ecclesiæ circa hanc impiam praxim. Rationes ob quas in ordinariis circumstantiis Ecclesia ab hac praxi abhorreat, in hoc periodico (1) nuper fuerunt expositæ. Doctrina tunc exposita omnino confirmatur in priori parte hujus novæ instructionis.

In specie Congr. S. Off. doctrinam generalem quibusdam casibus particularibus applicat, pro quibus, ut instructio innuere videtur, interpretatio abusiva fuerit facta. Et ita :

1/ Si agitur de aliquo cujus corpus non propria sed *aliena* voluntate cremationi traditur, non prohibentur ritus et suffragia Ecclesiæ ; sacerdoti tamen non licet corpus deducere ad locum cremationis (2). Scandalum tamen *efficaciter* removeri debet, et ideo oportet *notorium* sit cremationem non propria sed aliena voluntate electam fuisse. Quapropter, si ob peculiares circumstantias hæc notorietas obtineri nequeat, prohibitio rituum funeris remanet.

2/ Ut licitum sit exsequias ecclesiasticas concedere illi qui mandavit corpus suum cremationi tradi, non sufficit *præsumptio* ejus retractationis, sed requiritur *probatio*, qua de retractatione *certo* constare queat.

Instructio autem S. Off. explicite dicit ad hoc non sufficere « quod ultimo vitæ momento pravam voluntatem forte retractare potuerit », nec sufficere « quod defunctus aliquem religionis actum solitus esset exercere, dum viveret ». Consequenter ea quæ art. cit. (3) scripsimus ad explicandum ambitum pœnæ ab Ecclesia can. 1240

---

(1) Cfr *Collat. Brugen.*, t. XXV, p. 41.

(2) Decret. S. Officii, 15 dec. 1886, apud *Coll. de Prop. Fide* II² n. 1665.

(3) Cfr *Collat. Brugen.*, t. XXV, p. 66.

statutæ ad impediendam cremationem, huic instructionis textui aptanda sunt, notatim illa, quæ ibi diximus *practice* sufficere pro statuenda præsumpta retractatione.

Attamen, si moribundus rite fuerit dispositus, et sacramenta exeuntium plene conscius receperit, non videtur ipsi deneganda sepultura ecclesiastica ex eo quod hanc pravam voluntatem retractare oblitus sit, vel quod alii de retractatione hujus dispositionis ante plures jam annos forsan factæ, ab ipso exigenda non cogitarint. Tunc enim, ut videtur, implicite fit retractatio et sufficienter noscitur.

3/ In omnibus casibus in quibus ritus sepulturæ ecclesiasticæ denegandi sunt, pariter non licet cineres defuncti sepultura ecclesiastica donare vel in cœmeterio benedicto asservare, sed in loco separato sunt reponendi, secundum can. 1212.

J. Brys.

---

# E S. Congr. Concilii

## LITTERÆ CIRCULARES

AD OMNES ORDINARIOS, DE SACERDOTIBUS VALETUDINIS VEL RUSTICATIONIS ANIMIQUE CAUSA EXTRA SUAM DIŒCESIM SE CONFERENTIBUS (1).

*Rme Domine uti Frater.* Sacræ huic Congregationi exploratum est, sacerdotes quosdam, æstivis potissimum et autumnalibus temporibus, cum valetudinis causa rusticationem in montibus aut iuxta mare suscipiant, vel ad aquas salubritate præstantes proficiscantur, ut balneo vel potu utantur, vixdum sacro peracto, reliquum diei tempus in voluptuariis conversationibus traducere, theatra, saltatorios ludos, cinematographa, quæ vocant, et cetera huiusmodi spectacula adire, quæ sacerdotis dignitatem prorsus dedeceant. Nonnulos etiam, talari veste deposita, profanum omnino vestitum induere, ut magis liberi ac soluti evadant.

---

(1) *Acta Apost. Sedis*, XVIII, p. 312 s.

Huc accedit ut, ceteris etiam temporibus, sacerdotes non desint, qui huiusmodi libertati indulgendo, profanam sibi vestem induant quo urbes non noti invisant, et indecoris et haud honestis spectaculis intersint.

Ut autem gravissimum hoc detrimentum, pro facultate, reparetur, simulque præcaveatur ne huiusmodi sacerdotum numerus infeliciter increbrescat, ideoque morbus contagione pervulgetur, hæc Sacra Congregatio Concilii dum postulat ut Ordinarii omnes in hanc rem mentem et animum diligentissime convertant, præscripta quæ sequuntur servanda decrevit :

1. Sacerdotes qui e propria diœcesi, valetudinis causa, per aliquod tempus discedere cupiant, id Ordinario suo submisse petant, tempus pariter denuntiantes profectionis et reditus itemque loca, quo se conferre constituerunt.

2. Curent Ordinarii ut eas causas, quibus innixi sacerdotes facultatem discedendi e diœcesibus postulaverint, accurate reputent ac decernant ; postulantium mores vitæque rationem prius diligenter perpendant et nonnisi caute eiusmodi facultatem largiantur.

3. Exigant insuper ut sui sacerdotes semper eligant ea diversoria seu hospitia quæ Dei administros non dedeceant.

4. Ordinarii præterea horum sacerdotum nomina quantocius Curiæ illius diœcesis renuntient, quo iidem se conferent, itemque significent cum tempus eisdem concessum, tum diversorium seu domum, in qua hospitio excipientur.

5. Itidem sacerdotes, cum ad locum pervenerint, ubi commorari cupiunt, quam primum Curiæ illius loci se sistant, vel, pro rerum adiunctis, Vicarium foraneum sin minus parochum adeant, qui deinceps rem Ordinario suo referre debet.

6. *a*) Ordinarii autem locorum, quo sacerdotes valetudinis causa se conferre solent, sacerdotibus inibi commorantibus sedulo attenteque invigilent, vel per se vel per sacerdotes, quibus hoc peculiare munus demandaverint ; et ad sacra facienda eos non admittant, nisi iis, quæ supra diximus, præscriptis obtemperaverint.

*b*) Ut autem hi sacerdotes facilius in officio contineantur, opportunas pœnas constituant quibus afficientur si scandalum dederint, vel si quoquo modo aliquod egerint, quod sacerdotali munere indignum sit.

*c*) Comminari etiam possunt *suspensionem ipso facto*

*incurrendam* si publica theatra, cinematographa, ludos saltatorios ceteraque huiusmodi profana spectacula adeant, vel si talarem vestem deponant.

*d*) Denique pœnis, ad sacrorum canonum normam, hos ecclesiasticos reapse multent si huiusmodi præscriptis ceterisque Ecclesiæ legibus non obtemperaverint.

*e*) Propriæ istorum ecclesiasticorum Curiæ rem diligenter referant, et, si opus fuerit, Sacræ etiam huic Congregationi.

7. Hac in causa, etiam quoad Religiosos, Ordinarii invigilent, pœnasque, si deliquerint, ad sacrorum canonum normam decernant, eosque Superioribus maioribus denuntient.

Interim quo par est obsequio cuncta fausta Tibi a Domino adprecans permaneo.

Romæ, ex Secretaria S. C. Concilii, 1 iulii 1926.

Amplitudinis Tuæ

Uti Frater

DONATUS Card. SBARRETTI, *Præfectus.*

† Iulius, Episcopus tit. Lampsacensis, *Secretarius.*

ADNOTATIONES :

Quid præscribatur ex textu supra tradito sufficienter elucet, itaque satis erit hic pauca addere ad illustrationem et interpretationem decreti.

Ad 1/. Verba « *per aliquod tempus* » merito, ut videtur, intelligi possunt « per quindecim dies » (1), nec quæstio est in hac instructione s. Congr. Concilii de discessu e diœcesi ad iter aliquod instituendum.

Instructio tamen respicit *omnes* sacerdotes ideoque non tantum illos qui ministerio parœciali sunt addicti. —

(1) Textum minus recte interpretari videtur *Nouvelle revue théologique*, t. LIII, p. 621, ubi scribit : « quant à l'autorisation à demander pour partir en villégiature hors du diocèse le texte même permet de l'entendre *cum grano salis*. On ne devra pas écrire à l'évêché pour aller passer quelques heures, ou même deux ou trois jours, à la campagne ou au bord de la mer ». — SALSMANS, in *Pastor Bonus*, t. VII, p. 150 scribit : « per aliquod tempus » significat *certo* ad minus per integram hebdomadam et *probabilius* per duas hebdomadas.

Quod autem spectat licentiam requisitam ut sacerdotes ministerio parœciali addicti discedere possint a parœcia, severiori adhuc modo statuitur in jure communi, parocho non licere ultra hebdomadam a parœcia abesse nisi obtenta in scriptis episcopi licentia (can. 465, § 4). Addit vero jus particulare nostrum proxime promulgandum : « Non licet parocho sine licentia decani abesse per quatuor dies, computatis diebus exitus et reditus ». Idem valet pro vicariis, coadjutoribus, religiosarum directoribus, etc. Insuper pro vicariis, coadjutoribus, matriculariis spiritualibus additur ipsos « non posse per notabilem diei partem a parœcia vel oppido discedere sine licentia parochi ».

Ad 6/ *b*. et *c*. Plura statuta particularia prohibent ne clerici in publico theatro spectaculis, choreis aliisve pompis intersint, vel « cinema » adeant, Imo apud nos hæc lex, in decr. n. 136 conc. prov. mechl. IV, sancitur suspensione a divinis latæ sententiæ, saltem quod spectat clericos in majoribus ordinibus constitutos. Pariter in decr. n. 131 statuitur suspensio a divinis latæ sententiæ incurrenda ab illis clericis in majoribus ordinibus constitutis, qui vestibus laicalibus induti ad finem inhonestum in publicum prodeunt.

Hujusmodi tamen leges particulares ordinarie respiciunt tantum clericos in determinato territorio domicilium vel quasi-domicilium habentes, non autem *peregrinos*. Nunc vero certo possunt Ordinarii locorum etiam comminari pœnas, nempe suspensionem latæ sententiæ, contra sacerdotes in sua diœcesi peregrinos, si « publica theatra cinematographa, ludos saltatorios ceteraque hujusmodi profana spectacula adeant, vel si talarem vestem deponant ». Hæc Ordinarii potestas obligandi etiam peregrinos oritur, ut nobis videtur, ex eo quod hæ leges « ordini publico consulunt » (can. 14, § 1, 2°) ; alii tamen dicunt, ex potestate ipsi, vi hujus instructionis, ab Apostolica Sede delegata. Indubium est Ordinarium posse sacerdotes etiam peregrinos, qui in suo territorio scandalose se gesserint, punire post factum, nam ratione delicti reus forum sortitur in loco patrati delicti. Quo in casu tamen monendus est Ordinarius proprius, vel res, si opus fuerit, Congregationi Concilii deferenda est [ad 6, e] (1).

---

(1) Notetur insuper apud nos in tota provincia Belgica clericis prohibitum esse in locis publicis balnea sumere nisi de expressa Ordinarii licentia (decr. n. 137).

Ad 7/. Etiam religiosi in hac máteria submittuntur vigilantiæ episcopi, qui potestate sua uti poterit erga illos, ad normam sacrorum canonum. Regula sub 7° expressa non derogat exemptioni religiosorum.

---

# E S. Congr. de disciplina sacramentorum

## ROMANA ET ALIARUM

### CELEBRATIONIS MISSÆ DOMI PRÆSENTE CADAVERE (1)

In plenariis comitiis Emorum Patrum H. S. C. habitis die 18 decembris 1925 et die 30 aprilis 1926, postulantibus nonnullis locorum Ordinariis, nempe Valentin., Compostellan., Pampilonen. aliisque, propositum fuit dubium : « Utrum Ordinarius, vi canonis 822 § 4, permittere possit, « absque indulto Apostolico, celebrationem unius vel « plurium Missarum domi, præsente cadavere, quando « hæc celebratio postulatur a parentibus defuncti ».

Re mature perpensa et dubio reformato, quæstiones et responsiones ab Emis Patribus propositæ editæve fuerunt uti sequitur :

I. « Utrum Ordinarius vi canonis 822 § 4 permittere « possit Missæ celebrationem domi præsente cadavere in loco vulgo *camera ardente* ».

R. « *Negative*, nisi agatur de casu aliquo extraordinario, exstante iusta et rationabili causa : et hoc etiam in casu, dummodo cadaveris expositio fiat servato debito decore, ac in eodem loco nihil adsit quod sit alienum a sanctitate divini Sacrificii » (2).

II. « Quando censendus sit haberi casus extraordinarius « vi cuius, concurrente iusta et rationabili causa, permitti « possit ab Ordinario Missæ celebratio, et utrum unius « tantum aut plurium Missarum celebratio permitti « possit ? » :

---

(1) *Acta Apost. Sedis*, XVIII (1926), p. 388.

(2) Si bene attendantur verba hujusce responsi, liquet illud omnino concordare cum citato canone 822, § 4 : « Loci Ordinarius ... licentiam celebrandi extra ecclesiam et oratorium super petram sacram et *decenti loco*, nunquam autem in cubiculo, concedere potest *justa tantum ac rationabili de causa*, in aliquo *extraordinario casu* et per modum actus ».

R. « Casum extraordinarium haberi, unaque simul iustam et rationabilem causam, occasione obitus Episcopi residentialis, seu loci Ordinarii, aut personæ e principe familia, aut aliter insignis ob merita et benefacta in Ecclesiam vel in rempublicam, vel ob munificentissimas elargitiones in pauperes et egenos; itemque personæ huiusmodi privilegio Apostolico iam ornatæ; dummodo semper debitæ exsequiæ expleantur in exclesia..

« Tunc Ordinarius permittere poterit unius aut alterius Missæ, sed non plus quam trium Missarum celebrationem; abrogato indulto Sacræ Rituum Congregationis diei 29 aprilis 1894 et contrariis quibuscumque minime obstantibus; *facta verbo cum SSmo* ».

In audientia diei 3 maii 1926 Ssmus Dnus Noster Pius Papa XI, audita relatione facta ab infrascripto Secretario huius Sacræ Congregationis, decisionem Emorum Patrum in omnibus ratam habuit et confirmavit.

M. Card. Lega, *Præfectus.*

L. † S.

† Aloysius Capotosti, Ep. Thermen., *Secretarius.*

Adnotanda.

In *Actis Apostolicæ Sedis* præfato decreto subjunguntur (t. XVIII, p. 389) *Adnotationes* ex quibus nonnulla summarie excerpimus. Quoad funus episcopi residentialis defuncti, *Cæremoniale Episcoporum*, lib. II, cap. xxxviii, ordinat quomodo corpus defuncti exponi debeat in aula majori palatii episcopalis. Sed excluditur facultas inibi celebrandi missas.

Verum indultum S. Rit. Cong. diei 3 aprilis 1894, n. 3822, permittit ut « missæ in suffragium animæ ejus per totum mane celebrari valeant ». Præsens autem decretum, revocato indulto præfato, numerum missarum restringit ad tres, ne multiplicentur officia liturgica extra locum sacrum.

« Omnes advertunt serpere inter fideles proclivitatem quandam seu propensum studium ad extrahendas, quan-

tum fieri potest, a locis sacris sanctissimas cæremonias Ecclesiæ. Quis nescit, multis in locis consuetudinem quandam, per nefas inductam, continuare velle fideles etiam post promulgationem Codicis iuris canonici, ut scilicet liceat et infantes in ipsa domo sua baptismo ablui, et matrimonia in cubiculo domus contrahere, et alia huiusmodi extra ecclesiam peragere ? Est conatus quidem ad laicizandas — sit venia verbo — cæremonias ecclesiasticas. Quas non possunt omnino destruere impii homines, iis accidentalem saltem sanctitatem detrahere conantur : et fideles supine acquiescunt. Codex huic infirmitati plurimum resistere conatus est (cfr. cann. 773, 1109 §§ 1, 2), sperandum est, cum fructu. Hinc casus isti non sunt multiplicandi, sed pro viribus restringendi ».

---

# E S. Congr. Rituum

## I.

### DUBIA

CIRCA IMAGINEM VEL STATUAM SSMI CORDIS IESU IN ALTARI SSMI SACRAMENTI COLLOCATAM (1).

Sacræ Rituum Congregationi pro solutione opportuna exposita sunt sequentia dubia, nimirum :

I. An statua, repræsentans Dominum Nostrum Iesum Christum detecto Corde, collocari possit in altari ubi permanenter custoditur Sanctissima Eucharistia, non tamen supra tabernaculum, sed retro, apud parietem ?

Et quatenus negative ad I :

II. An supradicta statua, repræsentans Dominum Nostrum Iesum Christum, detecto Corde, perpetuo exponi valeat in ædicula facta in pariete apud quem exstat altare, in quo permanenter custoditur Sanctissima Eucharistia ?

---

(1) *Acta Apost. Sedis*, XVIII, p. 291.

Et Sacra eadem Congregatio, audito specialis Commissionis suffragio, propositis quæstionibus respondendum censuit : *Affirmative ad utrumque*, iuxta prudens Ordinarii iudicium.

Atque ita rescripsit ac declaravit ; servatis servandis, Die 23 Aprilis 1926.

## II.

## DUBIA

### CIRCA GENERIS HUMANI CONSECRATIONEM SACRATISSIMO CORDI IESU (1).

Sacræ Rituum Congregationi sequentia dubia pro opportuna solutione proponuntur :

Pius Papa X s. m. per Decretum generale Sacræ Congregationis Indulgentiarum, diei 22 augusti 1906, mandavit, ut singulis annis, die festo Sacratissimi Cordis Iesu, in omnibus parochialibus templis, nec non in illis in quibus idem festum agitur, coram Sanctissimo Sacramento publicæ adorationi exposito, formula Consecrationis generis humani Sacratissimo Cordi Iesu recitaretur, additis Litaniis in honorem eiusdem Sacratissimi Cordis. (2)

Sanctissimus autem Dominus noster Pius Papa XI per Litteras Encyclicas *Quas primas*, diei 11 decembris 1925, præcepit, ut postremo mensis octobris dominico die, in festo scilicet Domini nostri Iesu Christi Regis, generis humani Consecratio Sacratissimo Cordi Iesu quotannis renovetur, (3) quam Pius Papa X s. m. singulis annis iterari iusserat, adhibita tamen Consecrationis formula, quam Sacra Rituum Congregatio per Epistolam diei 17 octobris 1925 ad Ordinarios transmisit, ut die 31 decembris eiusdem anni recitaretur.

Hinc quæritur :

I. An etiam in festo Sacratissimi Cordis Iesu peragenda sit consecratio generis humani, et in casu affirmativo quænam formula adhibenda sit ?

---

(1) *Acta Apost. Sedis*, XVIII, p. 319 s.

(2) Cfr *Collat. Brugen.*, XII, 361.

(3) Supra, p. 16.

II. An in festo Domini nostri Iesu Christi Regis, præter Consecrationis formulam, recitandæ sint Litaniæ de Sacro Corde Iesu?

Et Sacra eadem Congregatio, audito Specialis Commissionis voto, propositis dubiis respondendum censuit:

Ad I. Quoad primam partem: *Ad libitum;* quoad secundam partem: adhibenda est formula per Epistolam diei 17 octobris 1925 ab hac Sacra Congregatione ad Ordinarios transmissa.

Ad II. *Affirmative.*

Atque, approbante Ssmo Domino Nostro Pio Papa XI, ita rescripsit atque declaravit. Die 28 aprilis 1926.

† A. Card. Vico, Ep. Portuen. et S. Rufinæ
*S. R. C. præfectus.*

L. † S.

Angelus Mariani, *Secretarius.*

# Notæ bibliographicæ

**Bittremieux, J.** *De mediatione universali B. M. Virginis quoad gratias.* Brugis, Beyaert, 1926. — In 8, 320 p. — Pr. 20 fr.

Eximius D. professor lovaniensis in præsenti opere, cujus momentum hodiernis præsertim temporibus neminem certo fugit, quæstionem examinat num doctrina de B. M. Virginis mediatione, quæ in theologia jamdiu tanquam pia et probabilis propugnatur, etiam sit certa, a Deo revelata et ab Ecclesia definibilis. Disputata fuit hæc sententia in congressibus marialibus quam plurimis ; de eadem prodierunt scripta vere innumera nec ullum fortasse invenire est periodicum theologicum, ut A. ipse præfando animadvertit, quod de Deiparæ mediatione articulum saltem non evulgaverit. Quum hoc itaque problema, expressius nunc quam antea, theologorum inquisitioni proponatur, atque in votis sit Ecclesiæ ut a peritis tales quæstiones sedulius perpendantur, utile certo præstat opus eximius A. quum hasce suas prælectiones in alma lovaniensi universitate traditas nunc publici juris facere statuit ; non enim solet magisterium ecclesiasticum solemnes condere definitiones, nisi postquam doctrina definienda, validis allatis argumentis et speciosis solutis difficultatibus, omni ex parte fuerit in tuto reposita ; ad hoc non parum conferre nata est solida dissertatio eximii A., qui successivis propositionibus, a certioribus et clarioribus ad minus certa et minus clara gressum faciens, sequenti ratione argumentum suæ disputationis ordinat.

In libro primo dicit de mediatione B. M. Virginis considerata ut distincta a dispensatione seu distributione gratiarum ; aliis verbis, dicit de œconomia acquisitionis gratiæ seu *de cooperatione Mariæ ad ipsum opus redemptionis*. Hæc porro probatur primo generali argumento ex ipsa notione mediationis ; ostenditur deinde cooperatio Mariæ ad hominum salutem, per liberum suum consensum ad incarnationem, per merita sua et per compassionem suam ad crucem ; adstruitur tandem argumentum ex traditione orali. Cum hisce argumentis conjunguntur, in corollario et in scholiis, consectaria et disputationes secundariæ, ut puta de ambitu mediationis B. Virginis, de ratione meriti quod fuit in Maria de congruo, non de condigno ; de aliis quibusdam fundamentis mediationis, ac tandem de titulis ac testimoniis quibus æquivalenter docetur mediatio, necnon in specie de titulo Mariæ mediatricis inter Christum et Ecclesiam.

Liber secundus agit *de munere Mariæ in dispensandis gratiis,* quod post considerationes quasdam prævias, probatur omnino admittendum,

quoad omnes et singulas gratias, ex magisterio ordinario Ecclesiæ, ex rationibus quibusdam theologicis, ex Scriptura sacra et Traditione ; postea solvuntur quædam objectiones ; denique disputatur de natura hujus B. Virginis cooperationis in distribuendis omnibus gratiis. Inseruntur rursus quædam scholia : de quibusdam aliis argumentis theologicis ; de definibilitate doctrinæ Mariæ mediatricis ; de mediatione B. M. Virginis, tum inter Christum et homines, tum inter Deum et homines ; de Maria mediatrice angelorum cum excursu de sententia s. Thomæ utrum Christus sit mediator angelorum quoad gratiam et gloriam essentialem ; tandem de titulo « Sacramenti majoris » qui B. Virgini tribuitur atque de opinione s. Thomæ circa causalitatem instrumentalem physicam mediationis Mariæ relate ad gratias.

Uti hac brevi constat analysi, quamquam A. asserit in præfatione sua, suum propositum non esse conscribere tractatum undequaque completum et totius argumenti exhaustivum, revera nullum prætermittit caput doctrinæ, quod mediationem Mariæ spectat. Hanc autem ab Ecclesia definibilem, esse declarat sequenti ratione : « 1/ B. Virginem esse mediatricem nostram *ratione cooperationis suæ* in genere, quovis modo, *ad nostram redemptionem* et salutem, est definibile ab Ecclesia, cum hæc cooperatio tum in s. Scriptura tum in Traditione formaliter contenta appareat ; 2/ B. Virginem esse mediatricem ratione cooperationis suæ *ad ipsam gratiarum elargitionem*, accipiendo hanc cooperationem ut *actualem*, sed talem tantum quod gratias *moraliter omnes* ut objectum habeat, pariter et propter eamdem rationem definibile est ; 3/ B. Virginem esse mediatricem in sensu pleno, i. e. ratione cooperationis ad *omnium et singularum gratiarum elargitionem*, ita ut nulla gratia sine hac cooperatione dispensetur, esse ab Ecclesia definibile est sententia quæ nobis arridet, quæque probanda est » (p. 228). In sequentibus suam sententiam ulterius explicat A. insistendo in principio consociationis B. M. Virginis cum Christo in opere salutis, quod principium dicit veritatem certe revelatam ; « atqui hoc principium formaliter implicite continet cooperationem B. Mariæ in distributione omnium gratiarum ; ergo hæc cooperatio est veritas formaliter implicite revelata ; ergo est ab Ecclesia definibilis » (p. 229).

Ad *modum* quod attinet, quo Maria suam mediationem in distribuendis gratiis exsequitur, inclinatur A. in sententiam quæ cooperationem B. Virginis *potius per intercessionem* (p. 262 ss.) *quam per causalitatem physicam* explicat (p. 276 ss.), licet hæc opinio ipsi non videatur omnino excludenda vel prorsus impossibilis. Intercessio B. M. Virginis alioquin, considerata ut expressio voluntatis ejus, satis verificat omnia quæ ad plenam ac proprie dictam mediationem gratiarum requiruntur (p. 291 ss.), sed disputare ulterius fas est de ipsa causalitate huic intercessioni propria (p. 297 ss.).

Quidquid autem sit de istis disputationibus inter theologos, advertamus sedulo minime esse necessarium ut omnes hæ quæstiones scholasticæ dirimantur, priusquam ab Ecclesia veritas revelata definiatur, uti clare patescit ex multis veritatibus certo revelatis et a magisterio ecclesiastico definitis ; dogma incarnationis, v. g., uti jam diximus

explicando titulum B. M. Virginis mediatricis omnium gratiarum (1), quando concessa fuere officium et missa hujusce festi, non pendet a controversiis, nunquam fortasse finiendis, de modo unionis hypostaticæ, seu de modo quo conjunctio divinitatis et humanitatis in Christo obtinet (2).

Lucubrationem suam concludit A. sperando ut intimior Mariæ mediatricis cognitio in praxim pietatis redundare possit, et veritates theologiæ speculativæ fiant germina vitæ supernaturalis, scaturigines gratiæ et veritatis (p. 305). Quod ut nostra præsertim ætate fiat optamus cum A. cujus opus, utpote tum ad theoreticam, tum ad praticam Mariæ dignitatis et cultus agnitionem promovendam perutile, sacerdotibus libenter commendamus.

**Lercher, L.** (S. J.). *Institutiones theologiæ dogmaticæ*, Vol. III. Œniponte, Rauch, 1925. — In 8, 611 p. — Pr. 10 mk.

In hoc tertio volumine « Institutionum theologiæ dogmaticæ », quas in usum scholarum conscripsit cl. A., s. theologiæ professor in universitate œnipontana, tractatus continentur qui plerumque de Verbo incarnato et de gratia Christi inscribuntur.

In tractatu *de Verbo incarnato* sequitur A. tritam divisionem, quam in Summa theologica Aquinatis reperimus. In capite primo scilicet dicit de *christologia :* probat veritatem incarnationis, disputat de unione hypostatica et scholasticas explicationes addit ; postea agit de consectariis unionis hypostaticæ necnon de defectibus et perfectionibus assumptis. In capite secundo exponit *soteriologiam :* primo agit de necessitate, convenientia et motivo incarnationis, deinde de satisfactione et merito Christi meditationis, tandem de triplici munere Christi, prophetæ, sacerdotis et regis. Adjungit postea caput tertium in quo habemus verum tractatum *de beata Maria Virgine ;* agit nimirum de maternitate divina deque consectariis, quæ ex hac dignitate tanquam ex propria ratione fluunt ; deinde dicit de prærogativis supernaturalibus quibus Maria ornata fuit ; postea de ejusdem mediatione tum in acquirendis, tum in dispensandis gratiis ; in appendice pauca addit de s. Joseph, sponso Mariæ et ultimo loco disputat de cultu sanctorum, ubi simul tractat de cultu qui beatæ Mariæ Virgini debetur.

Tractatus *de gratia* duplice capite absolvitur ; primum continet quæstiones de gratia *actuali ;* quænam sit ejus natura et necessitas ; quomodo sit gratuita et quomodo distribuatur ; quænam sit ejus efficacia seu quomodo se habeat ad liberum arbitrum. Alterum caput respicit *gratiam habitualem :* naturam et effectus justificationis ; dispositiones ad eamdem requisitas ; proprietates justificationis ; rationem tandem et objectum meriti theologici.

---

(1) *Collat. Brugen.*, XXI, (1921), p. 462 ss., ubi explicatur munus Mariæ corredemptricis et p. 487 ss., ubi de munere B. Virginis in gratiis dispensandis agitur.

(2) *Ibidem*, p. 491.

Uti jam notavimus in recensione voluminis secundi harum institutionum (1), cl. A. doctrinam catholicam solide probat et eamdem simul, adjuvante optima dispositione typographica, clare explanat ; notas tamen cum textu permixtas indebite omnino demonstrationem et explicationes sæpius interrumpere minus placet et claritati nocet. Ubi agitur de quæstionibus intricatis et a sæculis disputatis, nonne præstaret primum sedulo probare et explicare veram sententiam, seu hanc quam A. veriorem habet, et deinde breviter refutare alias, ita ut dilucide appareat quid tenendum sit aut A. tenendum esse ducat ? In quæstione v. g. de formali ratione unionis hypostaticæ (p. 105 s.) non satis liquet quid ipse A. doceat et quædam etiam aliæ sententiæ omittuntur.

Quod doctrinam attinet, hæc quædam notare sufficiat. In tractatu de Verbo incarnato censet A. impeccabilitatem Christi cum ejus libertate in subeunda passione et morte conciliari non posse si admittatur præceptum stricte dictum mortem subeundi ; ideo refugit ad mandatum late dictum dumtaxat (p. 205 s.), sed hæc explicatio minus cohæret cum textu Scripturæ sacræ (*Jo.*, x, 17) et solutio difficultatis potius quærenda est in recte intellecta libertate Christi gaudentis visione Dei faciali. In limine tractatus de Deo redemptore A. bene exponit quænam fuerit necessitas et convenientia incarnationis et quodnam ejus motivum (p. 220 s.) ; recte statuit solum hanc sententiam s. Thomæ in revelatione fundari : si homo non peccasset, Deus incarnatus non fuisset (p. 242 s.). In tractatu de Beata Maria Virgine nitide proponit doctrinam marialogicam ; singulæ quæstiones bene ad invicem ordinantur ; recte observat assumptionem corporalem Beatæ Virginis videri veritatem ab Ecclesia definibilem, utpote revelatam (p. 354 s.), sed brevius tractat quæstionem maxime actualem de mediatione Mariæ, quam in dispensandis gratiis per intercessionem ministerialem explanat (p. 360 s.) ; bene etiam demonstrat cultum hyperduliæ Mariæ debitum specie differe a cultu duliæ sanctis exhibendo, siquidem ille in singulari dignitate maternitatis divinæ fundatur (p. 374). In tractatu tandem de gratia cum Molina censet gratiam actualem consistere in ipsis actibus vitalibus (p. 397) ; hæc porro sententia suum influxum exserit per universum tractatum, itaque adhuc postea efficaciam gratiæ seu habitudinem ejus ad liberum arbitrium juxta systema Molinæ explicandam esse autumat (p. 519 s.). Ubi de gratia habituali dicit, inter effectus formales ejusdem connumerat ipsam filiationem adoptivam (p. 563 s.) ; ubi vero agit de inhabitatione Spiritus sancti et quærit utrum sit propria an appropriata Spiritui sancto, minus assertive loquitur (p. 570 s.) ; brevius etiam, uti videtur, et minus distincte loquitur A. disserens de certidudine quam habere possumus de propria justificatione (p. 591). Hæc autem omnia disputare non vacat ; oportet tamen addamus A. intendisse potius conscribere compendium theologiæ, quod viva voce magistri penitius evolvi potest et debet, quodque studiosis sacræ theologiæ veram utilitatem afferre natum est.

---

(1) *Collat. Brugen.*, XXV, p. 331.

**Janssens, A.** (*C. I. C. M.* — Scheut). *Het ontstaan der dingen in de Folklore bij de Bantu's.* — In 4, 20 bl.

In een artikel, waarvan wij een overdruk ontvingen, en dat verscheen in het internationaal tijdschrift voor volker- en taalkunde, « Anthropos », uitgegeven te S. Gabriel-Mödling bij Weenen, en bestuurd door de Paters van Steyl (Societas Verbi Divini = S. V. D.), geeft S. een synthetisch overzicht van eenige cosmogonische en anthropogonische mythen bij de Bantu's. Deze vertellingen werden opgenomen, zoo letterlijk mogelijk, door mannen met de taal best bekend, en worden in aanhang ten bewijze en tot staving overgedrukt. Veel eigenaardige beschouwingen vindt men er in over God, 't eerste menschenpaar, de onsterfelijkheid enz., waaruit klaar blijkt dat het godsdienstig en zedelijk gehalte der Bantusprookjes heel wat hooger staat dan het beste ook wat in dit opzicht bij de beschaafde Assyriërs, Chaldeeërs en Egyptenaren te vinden is, alhoewel nog maar altijd voor eenige ethnologen alle licht uit het Oosten moet komen. Iedereen ziet het overgroot nut en belang in van dergelijke studiën, niet enkel op volker- en taalkundig doch ook nog op godsdienstig gebied ; en die kunnen enkel door ons katholieke missionarissen worden opgemaakt ; zij leven te midden hun volk en hebben het vertrouwen ervan door hun gedurige zelfopoffering weten te winnen.

**Mulders, Alph.** *Van den eenen God. — Bovennatuurlijke Godsleer.* Brussel, Standaard-Boekhandel, 1926. — In 8, 129 bl.

Onlangs verscheen het vierde traktaat in de reeks « Leerboeken der Dogmatica », waarvan wij reeds het eerste en derde boek mochten beoordeelen (1) ; het werd opgesteld door Z. E. H. Dr Mulders, professor aan het Groot Seminarie van het Bisdom Breda, en opgevat volgens de klassieke uiteenzetting van het « tractatus de Deo uno » : de eerste afdeeling handelt over *het bestaan* van God, bewijsbaarheid en bewijzen (bl. 1-22) ; de tweede afdeeling over *wezen* en *eigenschappen* van God, negatieve en positieve (bl. 23-52) ; de derde afdeeling eindelijk, de meest omvangrijke (bl. 53-124), beschouwt de goddelijke *werkingen* : eerst de kennis en den wil van God, volgens 't plan van den h. Thomas in zijn Summa ; daarna de goddelijke voorzienigheid en de goddelijke voorbeschikking. Niet enkel de methode, doch ook de leer van s. Thomas volgt S. stipt ; zijn boek is bondig en beknopt, doch duidelijk en ook stevig.

In het tractaat « de Deo uno » wordt over 't algemeen de stof meer speculatief dan positief behandeld, maar bij het lezen van onderhavig werk vraagt men zich toch onwillekeurig af, of het positief deel wel tot zijn volle recht komt, want het eigenlijk theologisch bewijs uit de veropenbaring, uit de h. Schrift en bijzonder dit uit de Overlevering,

---

(1) *Collat. Brugen.*, XXV, p. 331 et p. 479.

wordt gewoonlijk veel te weinig ontwikkeld. In zijn inleiding zegt S. dit met opzet te hebben gedaan : « Bij de bewerking der stof hebben wij naar kortheid gestreefd en ons beijverd alleen het wezenlijke te zeggen. In verband hiermee hebben wij, hoewel de materie van het standpunt der eigenlijke godgeleerdheid behandelend, het bewijs uit de Overlevering, vooral waar deze eenstemmig getuigt, gewoonlijk kort behandeld, soms zelfs slechts terloops vermeld. Niet natuurlijk, alsof we aan zoodanig bewijs zijn waarde wilden ontzeggen, maar omdat het overleveringsbewijs niet met een paar vaderteksten kan worden opgebouwd ». Die bemerking is heel juist; toch ware het wenschelijk, tenminste waar het grondvraagstukken geldt, het overleveringsbewijs stevig op te bouwen, des te meer dat voor zoo vraagstukken terzelfdertijd bij de kerkvaders heel dikwijls een allerbesten speculatieven uitleg te vinden is, en daarbij met die methode klaar uitschijnt hoe scholastieke theologie in dezelfde richting als Schriftuur en Overlevering voortloopt en niet enkel uitleg is van sommige godgeleerden.

Het boek van Dr Mulders is nochtans een degelijk werk, dat waarlijk het wezenlijke zegt ; een beste handleiding voor onze ontwikkelde leeken, die meer en meer, Goddank, hun godsdienst willen ernstig instudeeren, om hun eigen geloof beter te begrijpen, anderen te kunnen voorlichten en menige drogreden te weerleggen ; de beste voorbereiding daartoe is en blijft toch immer goed onderlegde wetenschap, die niet enkel diepe overtuiging baart, doch tevens onzen heiligen godsdienst leert naar waarde schatten en hem oprecht doet beminnen.

H. Lamiroy.

**Devroy, P.** *Moderne opvatting van het patronaat.* Leuven, Vlaamsche drukkerij, 1926. — In 8, 67 bl. — Pr. 3.50 fr.

Hier is een man uit de praktijk aan het woord. Het patronaat heeft onloochenbaar veel geleden door den oorlog ; toch meent schrijver dat de moderne opvatting dezelfde blijven moet als vóór den oorlog ; de toestanden zijn veranderd, jongens en leiders zijn moeilijker om krijgen, de verhouding met de sociale beweging is een moeilijker punt, doch in alles kan de bestuurder voorzien zoo hij ijvervol en beredeneerd wil te werk gaan. Om den bestuurder nuttige aanduidingen te bezorgen, werd dit boekje uitgegeven. Verheven is het hier ontwikkeld programma en nochtans gaat het niemands krachten te boven.

Volmondig dient dit werkje goedgekeurd en uit ter harte moet een wijde verspreiding gewenscht. M. De Jonghe.

# Collationes Brugenses

## Analecta ascetica et mystica

### De supernaturali contemplatione divina, acquisita et stricto sensu infusa : quomodo inter se differunt.

Ad rite intelligendos scriptores mysticos de contemplatione divina agentes, maximi refert accuratam et quantum fieri potest claram notionem acquirere ejusdem contemplationis, tum acquisitæ tum infusæ.

Itaque, utraque contemplatio est *entitative* supernaturalis, siquidem fit ope auxilii supernaturalis gratiæ, estque hominis justi.

Principium elicitivum utriusque est intellectus instructus divina fide, eaque per charitatem operante et cui inserviunt dona Spiritus sancti, nempe intellectus et sapientiæ (1).

Discrimen autem acquisitam inter et stricto sensu infusam totum est in *modo* quo principium elicitivum, scilicet intellectus ut supra virtutibus et donis instructus agit.

In contemplatione activa seu acquisita agit intellectus modo suo connaturali : videlicet, 1/ ex parte objecti contemplationis — quemadmodum revelatio divina communiter omnibus facta, objecta sua quæcumque proponit humano modo apprehendenda, sicut alia quævis objecta naturaliter apprehenduntur — ita, eodem modo objectum seu objecta contemplationis activæ modo connaturali agendi intellectus apprehendenda proponuntur ; 2/ subjective vero, etsi ope gratiæ supernaturalis apprehenduntur objecta, ut vere entitative supernaturalis sit actus contemplandi, inde non sequitur quidquam obstare quin actio gratiæ sese accommodet et attemperet modo natu-

(1) Cf. S. Thomam, 2. 2, q. VIII, a. 6.

rali agendi intellectus : videlicet, cum naturaliter nihil sit in intellectu quod non fuerit in sensu, gratia, actuans intellectum virtutibus et donis munitum, efficit ut objecta e revelatione communi desumpta apprehendantur, actu quidem supernaturali, prout vero sunt proposita : scilicet non novis speciebus impressis, sed illis quæ modo naturali ab intellectu agente imprimuntur in intellectu possibili seu passivo.

Atvero in contemplatione stricto sensu infusa, *modus* actionis omnino differt. Heic Deus revelatione occulta speciali (1) infundit species impressas novas, non quales

---

(1) Hæc occulta revelatio non intelligitur de revelandis novis veritatibus præter eas quæ in revelatione a Christo perfecta et omnibus communiter facta continentur ; sed de manifestatione earumdem veritatum clariori per novas species impressas divinitus infusas, ut in textu explicamus.

Quod ut rite perspiciatur, adverte veritates, quas ex revelatione communiter facta fide agnoscimus, posse plus minusve distincte et clare intellectu percipi, puta a theologo perfectius quam a rudi fideli ; quales sunt quas de ordine supernaturali, de gratia sanctificante, de virtutibus et donis infusis, de unione cum Spiritu sancto et adoptione in filios Dei, de modo incarnationis Verbi, deque ipsa divina Trinitate et Unitate, Ejusque inhabitatione in justis, ex revelatione novimus. Jamvero, nihil prohibet quin Deus in contemplatione infusa, per novas impressas species infusas veritates creditas manifestet ultra id quod studio humano attingi potest. Sic fiet ut, inter alia, anima *santificata* seipsam *qua talem* mirans contempletur, et præsentiam Dei, non qua ubique natura præsens est, sed specialem qua amici et patris, divinarumque Personarum, in se experiatur et quasi sentiat ; quod quidem sancti contemplatores frequenter testantur.

Quod vero objectum princeps contemplationis, nempe Verbum incarnatum ipsamque Trinitatem attinet, cum nulla esse possit species impressa Dei, ut in se est, et in visione beatifica non per species sed per seipsum Deus summe intelligibilis sese applicet intellectui Beatorum, illustrato lumine gloriæ, quod est effectus supremæ unionis cum Verbo : facile patet per contemplationem infusam, qualem descripsimus, nequaquam attingi visionem Dei facialem. Mysterium Dei ut in se est, quod et fide eaque sola notum habemus, apprehenditur contemplatione infusa modo potius negativo et obscuro, supra tamen captum ordinarium rationis naturalis, quatenus vividius quam per nudam rationem percipitur Dei, unius et trini, seu divinitatis esse inscrutabilem abyssum ; quemadmodum sæpe loquuntur sancti contemplatores, dicentes : animam introire in tenebram, sese amittere in abysso Deitatis, et similia.

intellectus naturaliter haurit ex creaturis, sed exclusis imaginibus creatis, et quas directe recipit intellectus possibilis absque interventu intellectus agentis ; ad modum cognitionis angelicæ, non humanæ seu homini naturalis.

Et intellectus has species infusas percipit, qua transeunter unitus cum Verbo divino, quod est Sapientia Patris, Lumen de Lumine ; quod sæpe asserit B. Ruusbrochius, ut infra videbimus. Non tamen heic agitur de unione cœlesti habituali contemplantium Deum facie ad faciem, sed de contemplatione supra ordinarium captum humanum, exclusis imaginibus ex creaturis qualem descripsimus ; « boven alle gelijkenissen, alzoo hij is in hem zelven (1) » nempe unus et trinus Deus.

Igitur hæc unio nullatenus excludit divinam fidem, imo vero eam includit, utpote participationem supernaturalem, tum objective tum subjective, ipsius scientiæ et sapientiæ Dei. Ut enim docet S. Thomas (2) : virtutes theologales nos primum et principaliter uniunt Deo, et sunt principia et radices donorum Spiritus sancti, ea dirigunt eisque utuntur tamquam instrumentis. Fides ergo nos primum unit Deo, ut participatio divinæ scientiæ. Sed, sicuti fides potest esse informis, ut in fideli peccatore, vel formata charitate et adjunctis donis, ut in omni homine justo, vel tandem in ipso justo plus minusve vivida et perfecta ; ita apud diversos diversa distinguenda est unio cum Deo : infima in fideli peccatore, heic non attendenda ; intimior in justo quocumque ; perfecta vero nonnisi in justo perfecto, ad contemplationem infusam a Deo evecto ; et hæc merito dicitur specialis unio cum Verbo divino, quod est Sapientia Patris, Ejusque imago substantialis ; quodque incarnatum, sicuti complevit objective revelationem communem omnibus factam, sic jure ponitur auctor istius revelationis specialis et subjecto contemplationis infusæ specialiter unitum.

---

(1) Ita Ruusbrouck, *Chierheit*, 3e Boek, cap. 1.

(2) 1. 2, q. 68, a. 4, ad 3m ; 2. 2, q. 19, a. 9, ad 4m et q. 139, a. 2, ad 2m.

Ex his vides verum manere fidem divinam, charitate formatam adjunctis donis intellectus et sapientiæ fidei inservientibus, esse principium elicitivum contemplationis etiam infusæ, sed posita unione intimiore cum Verbo quam sit unio cum Deo in contemplatione activa.

* * *

Hisce expositis attendendo facile intelliges Auctores mysticos contemplatores, secus interpretatu difficiles.

Adeamus unum, exempli causa, eximium contemplatorem B. Ruusbrochium, quem videbis hanc nostram explicationem ad literam verificare.

Ita, ex parte objecti, ad altissimam contemplationem requirit occultam revelationem Dei (de verborgene openbaringe Gods). Et ex parte subjecti, « amantem Dei interiorem et plene rectum seu justum, quem Deus ex sua libertate eligere vult et attollere ad superessentialem contemplationem in lumine divino et secundum modum divinum, » (1) ergo supernaturalem etiam quoad modum.

Lege ibidem reliqua, ex quibus intelliges eos, qui hujusmodi contemplatione a Deo donati fuere, verbis eam declarare ægre potuisse. Nec mirum videbitur eamdem contemplationem apud Sanctos nonnumquam comitem habuisse aliquam manifestionem miraculosam, raptum, extasim, visionem etc. ; quamquam hujusmodi miraculosa nequaquam pertinent ad substantiam contemplationis infusæ, nec appeti possunt, cum ipsam contemplationem prosequi et a Deo petere licet ; quod utrumque docent Magistri mystici. Cæterum hujusmodi manifestationes indicant potius infirmitatem partis sensibilis, sopito et quasi ligato sensu, ob totalem occupationem a lumine divino superiorum facultatum. Et ideo, ut alibi notavimus, talia non putamus locum habuisse apud excellentissimam contemplatricem B. Virginem Mariam, quia in ipsa sensus erat perfecte ordinatus et libero arbitrio submissus.

---

(1) Vid. *Chierheit*, 3e Boek, 1e cap.

Præterea aliis in locis pluries indicat Ruusbrochius modum contemplationis infusæ diversum a modo activæ, ubi requirit intellectum ab imaginibus vacuum, « ongebeelde bloot verstane (*intellectus*) » ; « de bloote verhevene gedachte (*memoria intellectualis*)...gestadigd in eene grondelooze ongebeeldheid ; » « instaren boven redene (*supra ratiocinium*) en zonder redene » (*sine reditu rationis seu reflexione in suam activitatem et in ea quæ in se fiunt*) (1).

Pariter Sanctus Ecclesiæ Doctor mysticus, Joannes a Cruce requirit intellectum vacuum ab imaginibus sive naturalibus sive supernaturalibus, quod quidem argumentum late prosequitur (2).

Demum, item ex parte subjecti contemplantis B. Ruusbrochius expressis verbis asserit in contemplatione infusa unionem specialem cum Verbo Dei, idque non uno in loco ubi agit de unione cum Deo immediata quam vocat sine differentia « zonder onderscheid of differencie » : « Zoo houdt hem het afgrondige (Gods) als een eenvoudig licht...Dit onbegrijpelijke licht verklaart het verstaan der ingekeerde gedachte, want het is de eeuwige Wijsheid die in de ziel geboren is (3) ». « Alzoo wordt hij (de mensch) getransformeerd van klaarheid in klaarheid, dat is van geschapene klaarheid in ongeschapene klaarheid, overmits zijn eeuwig beeld, dat is des Vaders Wijsheid, dat is een beeld ende een exemplaar aller creaturen (4) ». « Daar worden wij gewrocht en overvormd met den eeuwigen Woorde, dat een beeld des Vaders is (5) ».

Neque hæc contradicunt doctrinæ S. Joannis a Cruce, qui loco supra indicato pluribus argumentis probat solum medium immediatum unionis cum Deo esse nudam et

---

(1) De his vid. nostrum opusculum *Eening der minnende ziel met God — Union de l'âme aimante avec Dieu*, cap. III, § 2 et 3.

(2) *La montée du Carmel*, l. II, chap. 8 et suivants.

(3) *Rike der Ghelieven*, cap. 39.

(4) Ibidem, c. 43.

(5) *Van den blickenden steene*, cap. 9.

obscuram fidem, exclusa omni cognitione distincta ex imaginibus externis vel internis, naturalibus et supernaturalibus, intelligit enim S. Doctor fidem vividam atque perfectam, quam supra descripsimus et quæ, utpote participatio tam ex parte objecti quam subjecti divinæ scientiæ et sapientiæ, est principium elicitivum, cum sibi inservientibus donis intellectus et sapientiæ, sub speciali illustratione Verbi divini, contemplationis infusæ, et pariter, quatenus saltem charitate formata et donis instructa contemplationis supernaturalis activæ.

Hanc brevem elucubrationem de natura divinæ contemplationis tum activæ tum infusæ concludimus, aptando contemplationi dictum aliquod Kempensis de compunctione : Opto magis sentire contemplationem, quam scire ejus definitionem.

† G.-J. Episc. Brugen.

# RESPONSA

## ad quæstiones in conferentiis mensis augusti-septembris propositas.

—

### I.

### In Jo., I, 19-28. — Homilia.

Q. *Expositis circa evangelium Missæ dominicæ III^æ. Adventus* (Jo., I, 19-28) *explicationibus ad textum intelligendum requisitis, et, intuitu homiliæ habendæ, lectioni evangelii opportune præmittendis, paucis delinea schema homiliæ, cujus objectum sit : Humiliter sentiendo de nobismetipsis et tamen verbo et vita aperte christiana alios ad Jesum adducendo, oportet nos ad adventum Jesu præparare.*

R. *Explicationes ad intellectum Evangelii præparatoriæ.*

Jam a certo quodam tempore inchoaverat Joannes Baptista munus sibi concreditum mundum, tum verbo et prædicatione, tum baptismi sui collatione, tum propriæ vitæ exemplo, ad adventum Messiæ præparandi. Maximus fuerat ipsius successus : undequaque homines ad ipsum confluxerant, ab ipso baptizati fuerant, peccata sua confitentes, ad virtutem excitati fuerant (1) ; venerat et ipse Jesus, quem etiam ipsum baptizare potuerat, insigni ss. Trinitatis manifestatione donatus (2).

Regni messianici, tanto desiderio ab omnibus exspectati instantiam prædicaverat, nec ita mirum quod, fama Baptistæ crescente eundo, populus cogitaverit nonne ipse esset Messias (3). Rumor pervenerit ad aures eorum qui

---

(1) *Mt.*, III, 1-12 ; *Mc.*, I, 1-8 ; *Lc.*, III, 1-18.
(2) *Mt.*, III, 13-17.
(3) *Lc.*, III, 15.

in Jerusalem præerant nationi Judaicæ, Synhedristarum nempe, quorum erat invigilare doctrinis in populum sparsis, moribus et praxibus religiosis in populo invalescentibus. Imo ad Baptistam jam accesserant quidam ex Pharisæis et Sadducæis, ex quibus Synhedrium membra sua sumebat, sed, dure a Præcursore increpati, spreto ejus baptismo, recesserant (1).

Unde non mirum, quod legimus in hodierno Evangelio, eos, hostili, ut videtur, intentione (2), mittere qui inquirant de persona et opere Baptistæ, de munere quod sibi assignat, de baptismo quem confert.

Sequatur *lectio Evangelii.* —

*Applicatio.* — Egregium nobis documentum de modo quo, per hoc tempus Adventus, ad Jesum in festo Nativitatis suscipiendum nos præparemus.

I. — Ad Jesum humilem eamus ipsi nos *humiles*, sectantes exemplum Joannis, Jesu præcursoris.

Tam *magnus* erat Joannes. Tam mirabili modo fuerat ad munus suum præparatus : nobilis erat parentibus ; conceptio, nativitas, circumcisio signis divinis fuerant illustratæ ; in ipso utero materno justificatus, sancte enutritus, in deserto excreverat in virum sanctum (3). — Munus exercet præclarissimum : præcursor erat Jesu, Messiæ et Filii Dei, quasi Angelus Dei (4), qui verbo, exemplo et baptismo mundum præpararet ad Christum suscipiendum. Vero quodam sensu Elias erat, in spiritu et virtute Eliæ mundum præparans ad primum adventum, sicut aliquando Elias ipse ad secundum Christi adventum

---

(1) *Mt.*, III, 7-10.

(2) Hostilem fuisse intentionem videtur indubium. Quemadmodum humilitas Jesu erit Synhedristis objectio contra messianitatem ejus, ita et humilitas Baptistæ objectio erit contra munus præcursoris Messiæ quod sibi arrogabat. Præterea nonne Joannes Pharisæos dure increpaverat, et præcise qui nunc veniunt ex Pharisæis sunt. Tandem ex tota historia subsequente apparebit Pharisæos mansuros in Joannem et in Jesum infensos.

(3) Cfr *Lc.*, I, 5-25 ; 39-80.

(4) *Mc.*, I, 2 ; *Mal.*, III, 1.

præpararet (1). Propheta erat, legatus Dei, imo et plus quam propheta (2) ; non enim, ut alii, a longe futurum, sed præsentem Messiam digito ostendebat ; teste ipso Christo, inter natos mulierum major non surrexerat quam Joannes (3). Apud ipsos suos adversarios magno nomine gaudebat (4). — Et ecce quam honorifica ipsi venit delegatio. A Jerusalem veniunt, ex centro nationis judaicæ, — missi ab ipso Synhedrio, a Summo Sacerdote, Synhedrii præside, — non quicumque, sed sacerdotes et levitæ, officialis delegatio, — ex factione præcipua Pharisæorum. — Et interrogant eum de altissima dignitate : num sit Christus (5), num Elias, num excellens ille Propheta quem Moyses prædixerat ? quamnam tandem sibi attribuere velit dignitatem ?

Audi ejus responsa et admirare humilitatem. Rogatus quisnam sit, nimirum *num sit Christus*, non, facili mendacio, dignitatem, quæ tantum honorem ipsi procurasset, sibi vindicat, sed mira insistentia et quasi indignabundus, confessus est et non negavit et confessus est se non esse Christum, neque, quod tamen tam fuisset obvium pro sua gloria, ullam facit mentionem dignitatis suæ ejusdem Christi præcursoris. — Rogatus *num sit Elias*, quamvis vero sensu potuisset affirmare, pure negat ; rogatus *num sit Propheta* (6), quamvis potuisset dignitatem omni Propheta superiorem prætendere, mere negat. — Rogatus *quisnam sit* et auctoritate ipsius Synhedrii quasi coactus, positivum dabit resposum ; sed dum potuisset loqui de

---

(1) Cfr *Mt.*, XI, 14 ; XVII, 12 : *Lc.*, I, 17.

(2) Cfr *Mt.*, XI, 9 ss.

(3) Cfr *Mt.*, XIV, 2 ; *Lc.*, IX, 8.

(4) Cfr *Mt.*, XI, 11.

(5) Hanc fuisse mentem quæstionis *Tu quis es ?* patet tum ex responso Baptistæ, tum ex verbis ipsorum legatorum statim subjunctis : *Quid ergo* (si non es Christus), tum ex coll. *Lc.*, III, 10.

(6) *Prophetam* intelligunt de quo dixerat Moyses, *Deut.*, XVIII, 15 ; patet eos hunc prophetam cum Messia non identificare. — Cfr quæ scripsimus de hoc textu *Deut.*, in CAMERLYNCK-VANDER HEEREN, *Commentarius in Actus Apostolorum*, 1923, in III, 22 s.

tantis tamque honorificis suis titulis (v. supra), omnia hæc tacet, solumque elevat illud suum munus quo auditorum mentes pro posse a sua propria persona avertat et versus Christum convertat : Munus meum est *adventum Messiæ præparare ;* illud munus tamquam servus fidelis exerceo *sicut dixit Isaias*, modo a Deo præscripto, neque magno illo apparatu eminentique loco, in synagogis, in templo, in cathedra Moysis, ubi alii doctores solent, sed *in deserto*. — Rogatus quemnam conferat *baptismum*, dum potuisset multis encomiis eum exaltare, eum unice qua materialem immersionem in aquam describit statimque iterum mentes audientium in Christi personam et munus et dignitatem convertit (1).

Utinam et nos, exemplum Baptistæ sectantes, ad Christi humilis adventum nos præparantes, dimisse de nobis sentiamus, dimisse de nobis loquamur. Sicut auditores Joannis humiles Christum, Agnum Dei peccata mundi tollentem, invenire meruerunt, sic et nos in festo Nativitatis eum Salvatorem inveniemus. Ne simus ut Pharisæi ad Joannem deputati qui, superbia sua tradueti, verba Joannis neglexerunt, baptismum spreverunt, Christum rejecerunt.

II. — *Verbo* et *vita christiana* ipsi ad Christum tendentes, alios quoque ad eum adducamus.

Egregium Joannis exemplum. Audi ipsum *verbo* indicantem viam Domini, humilitatem et pœnitentiam peccatorum (2), praxim quoque virtutum bonorumque operum ; audi ipsum tantis encomiis exaltantem Christum, invita oppositione et hostilitate quam apud potentes suos auditores persentit (3) : Tantus est ut nemo eum intelligere valeat : vos ipsum nescitis : eodem tempore

(1) In textu completiori, qui legitur apud *Mt.*, III, 11, statim provocat mentem in baptismum Christi. De quo v. *Collat. Brugen.*, t. XXIII, pp. 25 ss.

(2) Cfr *Mt.*, III, 1 ss. ; *Lc.*, III, 1 ss.

(3) V. supra, p. 448, *nota* (2).

veniet post me, præcursor ejus sum, sed ante me factus est, me præcedit, fortior me est majoraque me efficiet ; tantus est ut ego nequidem dignus sum humillima ipsi præstare obsequia, ut puta solvere corrigiam calceamenti.

Et vide exemplum qua *vitam* ad Christum ducentem delineat. Vitam suam ducit in deserto, longe a civitate, longe a voluptatibus et superbiis mundi, vitamque ibi ducens, vestitu et cibo, mortificatam (1).

Ecce Ecclesia, sicut olim Baptista, nobis prædicat instantiam adventus Christi, in festo Nativitatis : Dominus prope est (2). Et ipsa nos vocat in desertum et solitudinem, ut a vitiis recedentes virtutesque sectantes, potissimum vero humilitatem et mortificationem, ad adventum Christi nos præparemus. Utinam et nos, sicut olim Baptista, verbo, exemplo et oratione, alios ad præsepe Christi adducere possimus.

A. Vander Heeren.

## II.

## De mysterio incarnationis.

Q. *Paucis explica et proba hoc assertum : incarnatio est mysterium stricte dictum.*

R. — 1/ Ad *explicationem* hujus propositionis prius observandum est incarnationem heic sumi passive, pro ipsa scilicet unione duarum naturarum, divinæ et humanæ, in una persona Verbi ; deinde recolenda venit notio mysterii, quam in præcedenti quadam responsione latius evolvimus (3).

Mysterium *sensu theologico* dicitur veritas quæ *per se* ac *absolute* excedit rationem humanam, et vel omnem

---

(1) Cfr *Mt.*, II, 4.

(2) Lege epistolam ejusdem hujus Dominicæ. — Hac quoque Dominica inchoatur Invitatorium Matutini, non jam : *Regem venturum Dominum,....* sed : *Prope est jam Dominus.*

(3) *Collat. Brugen.*, XXII, p. 487 s. et vide *Conc. vatic.*, œcum. XX, sess. III, *Constit. de fide cath.*, cap. 4 (*Enchir. symb.*, n. 1795 s.).

intellectum creatum. Distinguitur duplex : late dictum et *stricte dictum* ; hoc autem superat intellectum creatum tum *quoad existentiam*, tum *quoad essentiam* : primo, sicut mysterium late dictum, non nisi revelatione cognoscitur et ratione nullatenus inveniri potest ; insuper vero, quoad internam possibilitatem seu notarum consociabilitatem, *positive* non intelligitur ; aliis verbis, non videmus, etiam post revelationem hujus veritatis, quomodo hæc conveniant : una persona divina, secunda nimirum persona ss. Trinitatis, in duabus naturis subsistit.

Sæpius a theologis additur nos *negative* tamen intelligere mysterium stricte dictum, quod sic audiri debet : non videmus pariter internam impossibilitatem, et adjungere licet : neque eamdem videre possumus, quoniam rem ita se habere, auctoritate Dei revelantis summe veracis, omnino certum est. Unde hoc mysterium est omnino *supra rationem*, quoniam veritatem etiam revelatam non intelligimus ; *non* est tamen *contra rationem*, quandoquidem non videmus, nec imo videre possumus, internam notarum repugnantiam (1).

2/ Ad *demonstrationem asserti*, testimonium Scripturæ sacræ et doctrinam ss. Patrum breviter contrahere sufficiat.

*a/ In sacris litteris* s. Paulus aperte proponit opus redemptionis tanquam sacramentum [græce μυστήριον] voluntatis divinæ (2), a sæculis absconditum in Deo donec revelatum fuit (3). Hoc mysterium, quod magnum pietatis sacramentum appellat, paucis sic describit Apostolus : « Quod (4) manifestatum est in carne, justificatum

(1) Cfr Pius IX, *Encycl.* « Qui pluribus », 9 nov. 1846, de fide et ratione contra Hermesianos (*Enchir.*, n. 1634 s.) ; *Decretum S. C. Indicis*, 11 junii 1855, de falso traditionalismo contra A. Bonnetty (*Enchir.*, n. 1649) ; *Epist.* « Gravissimas inter », 11 dec. 1862, ad archiepisc. monaco-frisingen. de falsa scientiæ libertate contra J. Frohschammer (*Enchir.*, n. 1671).

(2) *Ephes.*, I, 9.

(3) *Ephes.*, III, 3-9 ; *Coloss.*, I, 26 s. coll. *Rom.*, XVI, 25 s. et *I Cor.*, II, 7.

(4) Græce ὃς, *qui* scilicet Christus redemptor, in carne manifestatus ; cfr *Jo.*, I, 14 coll. *I Petr.*, I, 20.

est in spiritu, apparuit angelis, prædicatum est gentibus (1), creditum est in mundo, assumptum est in gloria » (2).

Igitur, quamquam in hisce testimoniis, non dicitur clare incarnationem esse mysterium theologicum et quidem stricte dictum, nihilominus in iisdem textibus non obscure continetur incarnationem pertinere ad mysterium redemptionis, quod sola revelatione divina cognoscitur. Utrum vero necne veritas incarnationis ita sit abscondita ut prorsus superet omnem intellectum et positive intelligi nequeat, non satis declaratur in sacris litteris, adeoque ad doctrinam ss. Patrum transimus.

*b*/ Testimonia *traditionis oralis* haud pauca reperire est, inde præsertim a sæculo quarto, quando doctrinam incarnationis accuratius explicare et a difficultatibus vindicare incipiunt.

Imprimis s. Gregorius nazianzenus credendum esse inculcat « Dei filium..... ex Virgine Maria genitum [esse] modo arcano » (3), vel uti loquitur s. Epiphanius : « arcano quodam sapientiæ mysterio » (4) ; hunc autem « modum conjunctionis divinitatis cum humanitate », ait s. Gregorius nyssenus, « perspicere non valemus » ; quinimmo « quomodo [hoc obtineat ; gr. τὸ δὲ πῶς], ut quod sit majus quam quod considerare possimus, scrutari recusamus » (5). Ita pariter s. Augustinus : « Ipsa enim magnitudo virtutis ejus, quæ nullas in angusto sentit angustias, uterum virginalem non adventitio sed indigena puerperio fecundavit..... Hic si ratio quæritur, non erit mirabile ; si exemplum poscitur, non erit singulare.

---

(1) Maxime tamen insistit s. Paulus in vocatione gentilium ad gratiam redemptionis, quam etiam vocat mysterium Christi (*Ephes.*, III, 4 s. coll. textibus jam citatis) ; cfr F. Prat, *La théologie de saint Paul*, II, p. 4 ss., Paris, 1923[8].

(2) *I Tim.*, III, 16.

(3) S. Gregorius nazianz., *Oratio* XL, 45 (MPG, XXXVI, 424).

(4) S. Epiphanius, *Adv. hær. panar.*, LXIX, 52 (MPG, XLII, 284).

(5) S. Gregorius nyss., *Or. catech.*, II (MPG, XLV, 44).

Demus Deum aliquid posse quod nos fatemur investigare non posse. In talibus rebus tota ratio facti est potentia facientis » (1).

Ineffabilis igitur, ait alibi s. episcopus hipponensis, est modus « quo Deus naturam nostram, id est, animam rationalem carnemque hominis Christi suscepit, susceptione singulariter mirabili vel mirabiliter singulari » (2); atque hoc « mysterium majestatis divinæ », addit Cassianus, humanis non est censendum rationibus (3); ipse Deus solus, ita Leporius, secretum hoc mysterium novit; « nostrum nempe est credere, illius nosse » (4).

Sic etiam s. Cyrillus alexandrinus : « Admirabilis et supra mentem et orationem [ὑπὲρ νοῦν καὶ λόγον] est incarnationis modus. Magnum hoc et augustum mysterium » (5), vel uti dicit s. Maximus taurinensis, « ineffabilis mysterii sacramentum » (6), quod ait s. Gregorius magnus, « nisi fides credat, sermo non explicat » (7); « longe [enim] alterius et præstantioris sermonis est res quam humana ratio fert », inquit Ps.-Dionysius areopagita;

---

(1) S. Augustinus, *Epist.* cxxxvii, 2, 8 (MPL, XXXIII, 519); hæc verba resumit *Conc. tolet. XI* (a. 675), in symbolo fidei de ss. Trinitate et incarnatione (*Enchir.*, *symb.*, n. 282).

(2) S. Augustinus, *De correpl. et gratia*, xi, 30 (MPL, XLIV, 934).

(3) Cassianus, *De incarn. Christi adv. Nestorium*, ii, 2 (MPL, L, 31).

(4) Leporius, *Libellus emendationis ad episc. Galliæ*, 3 (MPL, XXXI, 1224); idem locus occurrit apud Cassianum, in opere modo laudato, i, 5, (MPL, L, 25).

(5) S. Cyrillus alex., *Contra Julian. imper.*, 8 (MPG, LXXVI, 929). — Ut autem explicet quomodo hæc unio hypostatica sit intelligenda, provocat in op., ipsi adscripto, *Quod sit unus Christus* (MPG, LXXV, 1292) et ita pariter in epistola adversus Nestorium in concilio ephesino (Harduinus, *Acta concil.*, I, 1289, Parisiis, 1715), ad comparationem cum unione animæ et corporis in uno homine; sic etiam s. Gregorius nyss., *l, c.* et s. Augustinus, *Epist.* cxxxvii, 3, 11 (MPL, XXXIII, 520); in symbolo « Quicumque », quod dicitur athanasianum, adhuc legimus : « Sicut anima rationalis et caro unus est homo, ita Deus et homo unus est Christus », quam formulam explicatam habes apud *Collat. Brugen.*, XVII, p, 320 s.

(6) S. Maximus taurin., *Sermo* 37 (MPL, LVII, 611); cfr adhuc s. Vincentius lirin., *Commonit.*, 15 (MPL, L, 658).

(7) S. Gregorius magnus, *Sermo* xxix, 1 (MPL, LIV, 226).

quin immo prosequitur : « Ineffabile est [hoc mysterium] sermoni omni et omni menti incognoscibile, etiam ipsi primo et antiquissimo angelo » (1).

Hisce omnibus perlustratis testimoniis, non miramur s. Joannem damascenum in eadem linea reponere mysterium ss. Trinitatis et « omnem mentis aciem et captum exsuperantem unius Dei Verbi sanctæ Trinitatis et Domini nostri Jesu Christi incarnationem » (2) ; agens autem infra de mysterio fidei, quod in Eucharistia celebratur, adjungit : « Si requiras quonam pacto id fiat, sat tibi sit audire hoc fieri per Spiritum sanctum : quemadmodùm et ex sancta Dei genetrice Dominus sibi ipsi carnem assumpsit, quæ in se ipso subsisteret, nec amplius quidquam nobis perspectum est et exploratum, quam quod Dei sermo verax efficaxque est atque omnia potest, modus vero investigari prorsus nequit » (3).

Advertatur in fine, hanc jam esse *communem theologorum sententiam* (4), quorum adducere sufficiat unum s. Thomam, eorum principem, qui mysterium incarnationis inter divina opera maxime rationem excedere dicit, ita ut vel nihil mirabilius excogitari possit, « quam quod verus Deus Dei filius fieret verus homo » (5).

Ecclesia vero *solemniter definivit existere mysteria stricte dicta*, quæ scilicet per naturalem rationem nec demonstrari nec intelligi valent (6) ; atque inter hæc habet manifeste mysterium incarnationis. Expresse adhuc *rejiciendam edixit atque reprobandam*, « recentem illam ac præposteram philosophandi rationem, quæ, etiam si

---

(1) Ps.-Dionysius areopag., *De div. nominibus*, II, 9 (MPL, III, 672).

(2) S. Joannes damasc., *De fide orth.*, III, 5 (MPG, XCIV, 1000).

(3) *Ibidem*, IV, 13 (MPG, XCIV, 1144).

(4) Ita jam Suarez, *In III P. Sum. theol.*, Disp. III, sect. 1, n. 3 (Ed. Vivès, Parisiis, 1860, in t. XVII, p. 38). — De argumento ex theologis lege *Collat. Brugen.*, XXIV, p. 66 s.

(5) S. Thomas, *Summa contra gentiles*, IV, 27.

(6) *Conc. vatic.*, œcum. XX, sess. III, *Constit. de fide cath.*, cap. 4 (*Enchir.*, n. 1795 s.) et can. 1 (*Enchir.*, n. 1816).

divinam revelationem veluti historicum factum admittat, tamen ineffabiles veritates, ab ipsa divina revelatione propositas, humanæ rationis investigationibus supponit », perinde ac si suis viribus et ex naturalibus suis principiis unquam idonea effici possit ad mysteria fidei demonstranda, aut etiam intelligenda (1).

Quod attinet speciatim mysterium incarnationis, pluries etiam ab antiquo tempore *probavit Ecclesia* modum loquendi ss. Patrum, qui *veritatem incarnationis plane ineffabilem* dixerunt (2) ; recentius autem Pius PP. IX tanquam *erroneam ac falsam* notavit sententiam Frohschammer, qui docebat : « sacratissimum dominicæ incarnationis mysterium ad humanæ rationis et philosophiæ provinciam pertinere, rationemque, dato hoc objecto, [seu posito hoc revelationis objecto, uti infra dicitur], suis propriis principiis » et suis naturalibus viribus, hoc ita pertractare posse, ut ad veram scientiam et certitudinem perveniat. Proprium autem munus sanæ philosophiæ in hisce materiis, addidit Pontifex, est « plurimas [veritates], ut Dei existentiam, naturam, attributa, quæ etiam fides credenda proponit, per argumenta ex suis principiis petita demonstrare, vindicare, defendere atque hoc modo viam munire ad hæc dogmata fide rectius tenenda et ad illa etiam reconditiora dogmata, quæ sola

---

(1) Ita Pius IX, *Epist.* « Tuas libenter », diei 21 dec. 1863, ad archiepisc. monaco-frisingen., de conventibus theologorum Germaniæ (*Enchir.*, n. 1682); ita etiam Gregorius XVI, *Encycl.* « Mirari vos arbitramur », 15 aug. 1832, contra indifferantismum F. de Lamennais (*Enchir.*, n. 1616) et rursus Pius IX, *Alloc.* « Singulari quadam », 9 dec. 1854, contra rationalismum et indifferentismum (*Enchir.*, n. 1642 s.).

(2) Cfr *Conc. ephes.*, œcum. III (a. 431), in epist. s. Cyrilli alex. ad Nestorium (Harduinus, *o. c.*, I, 1275 s.) et *Conc. chalced.*, œcum. IV (a. 451), in epistola synodica s. Leonis I ad Flavianum, archiepisc. CP., ubi resumuntur verba s. Augustini, supra citata : generatio singulariter mirabilis et mirabiliter singularis (Harduinus, *o. c.*, II, 291 s., Parisiis, 1714); vide adhuc *Conc. tolet. XI*, supra citatum, p. 454, n. 1.

fide primum percipi possunt, ut illa aliquo modo à ratione intelligantur » (1).

H. Lamiroy.

## III-VI.

### Casus de viatico suscipiendo.

Q. *Titius, gravi morbo affectus, communicavit mane. Eadem die, judicat medicus eum posse suscipere ultima sacramenta. Cum non agatur de morbo repentino, vix non certum est Titium jam mane in mortis periculo versatum esse. Quæritur an possit aut debeat eadem die iterum communicare per modum viatici.*

R. — Casus, ni fallor, sæpe occurrit nostris diebus in nosocomiis et domibus in quibus ss. Sacramentum pluries in hebdomada ad infirmos defertur. Non semel accidit ut ægroto, qui gravi morbo afflictus mane ex devotione communicavit, paucas post horas, adveniente medico, susceptio ultimorum sacramentorum suadeatur. Porro, multis in casibus, medicus si mane examinasset infirmum, jam tunc signa periculi mortis deprehendisset. Causa, quæ probabiliter brevi mortem causabit, vix non semper jam mane in infirmo operabatur, etsi forsan omnes latebat.

Post codicem, omnes docent Titium in casu descripto *non debere* iterum communicare per modum viatici. Id enim extra controversiam est ob can. 864, § 2 : « etiamsi [fideles] eadem die sacra communione fuerint refecti, valde tamen *suadendum*, ut in vitæ discrimen adducti

(1) Pius IX, *Epist.* « Gravissimas inter », 11 dec. 1862, ad archiepisc. monaco-frisingen. (*Enchir.*, n. 1669 s.), coll. *Brevi* « Eximiam tuam », 15 junii 1857, ad Card. archiepisc. colonien. (*Enchir.*, n. 1655). — Intelligimus « aliquo modo », nempe negative, ut supra dicimus et explicat *Conc. vatic.*, *l. c.* (*Enchir.*, 1796) : « Ratio, fide illustrata, cum sedulo, pie et sobrie quærit, aliquam Deo dante mysteriorum intelligentiam eamque fructuosissimam assequitur tum ex eorum, quæ naturaliter cognoscit, analogia, tum e mysteriorum ipsorum nexu inter se et cum fine hominis ultimo ».

denuo communicent ». Ratio est quia præceptum viatici censetur adimpleri ab eo qui sat proxime ante mortem suscipit ss. Eucharistiam. Ceterum, vix non certum erat Titium in ipso mortis periculo s. communionem recepisse.

Quod autem spectat *liceitatem* iteratæ communionis, attendi non debet lex jejunii naturalis, quippe quæ non urget in periculo mortis (can. 858, § 1). Quæstio igitur est an obstet prohibitio ecclesiastica bis communicandi eadem die.

Juxta s. Alphonsum si quis, post communionem mane ex devotione susceptam, fuerit, in decursu diei, *vulnere* percussus vel ceciderit ex alto, potest denuo communicare, imo debet, quia prævalet divinum præceptum viatici prohibitione ecclesiastica bis communicandi eadem die. Secus vero, si quis jam in *ægritudine* positus mane communicaverit ; tunc enim bene potest dici moraliter in periculo mortis communicasse, cum morbus ille jam erat in se periculosus, etsi nondum notus. Et idem putat dicendum si morbus fuerit repentinus, puta apoplexia, vel quid simile ; nam hujusmodi morbi judicantur jam prius in suis causis dispositi exsistere, licet ignorentur (1).

Ratio istius distinctionis debilis est, nam, uti vidimus, communione matutina, si fuit ut supponimus digne suscepta, satisfactum est præcepto viatici, sive morbus periculosus jam existebat sive non. Ratio cur in can. 864, § 2 *suadeatur* iterata communio non est adimpletio *præcepti*. Suadetur autem ut ægrotus, *nuntio periculi* quasi ante faciem minitantis mortis positus, majori cum cura et solacio sese *præparet* ad transitum ex hac vita, optimum viaticum suscipiendo. Hæc itaque ratio haud obscure ostendit beneficio iteratæ communionis non privandos esse qui mane, *periculi inconscii*, communi-

(1) S. Alphonsus, *Theologia moralis*, lib. VI, De Eucharistia, n. 285 (Ed. *Gaudé L.*, t. III, p. 260, Romæ, 1909).

caverunt ex devotione, non autem *in præparationem* ad mortem.

Itaque, ob paritatem rationis, sicut fidelis in discrimen vitæ adductus, vi can. 864, § 2 ut morti se præparet communicare potest, quamvis mane, periculi expers, communionem jam receperit ; ita infirmus qui mane, periculi inconscius, cælesti dape refectus est, in decursu ejusdem diei, nuntio interim discriminis accepto, per modum viatici communicare potest.

Q. — *Examina quæstionem an possit idem Titius sequentibus diebus, quousque manet periculum mortis, communicare non jejunus* (1).

R. — Statuit can. 858, § 1 : « Qui a media nocte jejunium naturale non servaverit, nequit ad sanctissimam Eucharistiam admitti, *nisi mortis urgeat periculum*, aut necessitas impediendi irreverentiam in sacramentum ». Porro, hæc ita interpretanda sunt ut communio, fracto licet jejunio naturali, permittatur 1) in periculo mortis, etsi non imminentis, quacumque ex causa procedat, 2) et quidem quotidie, a rite dispositis, 3) idque etiam si jejunium servari possit.

Dicitur : 1) *in periculo mortis, etsi non imminentis.*

Fatendum est disciplinam Ecclesiæ in dies benigniorem accepisse interpretationem. Sic, tempore Suarezii (2), communio solebat permitti fracto jejunio ut *præcepto* viatici fieret satis, sed postulabatur ut ægrotus non posset absque gravi detrimento vel periculo exspectare jejunus.

Can. 864, § 2 permittit s. communionem, fracto etiam jejunio, sumendam in mortis periculo. Non postulatur ut mors immineat, imo supponitur non urgere præceptum viatici. Commendatur in sequenti can. 865 ut sanctum viaticum infirmis non nimium differatur.

---

(1) Lege dissertationem de viatico non jejunis dato in *Periodica de re canonica et morali* (Museum Lessianum, 1925, p. (102) s.

(2) Suarez, *Opera omnia*, t. XX, disp. 68, sect. 5 (Ed. Vivès, Parisiis, 1861, p. 515).

Hucusque Rituale romanum, tit. IV, cap. 4, n. 3, periculum mortis in quo s. communio pro viatico ministranda est, hisce verbis definiebat « cum probabile est, quod [infirmus] eam amplius sumere non poterit ». Dein, sub n. 4 statuebatur : « Potest quidem viaticum *brevi* morituris dari non jejunis » ita ut suppositio vocis « *brevi* » præcedenti numero determinaretur. In nova autem editione hæc definitio supprimitur et locus est benigniori interpretationi vocis « *brevi* ».

Usus hodiernus vult ut viaticum ministretur quando morbus tam periculosus est ut, prudenti judicio, mors brevi secutura sit, vel, levi accedente causa, quotidie timenda.

Notetur, ob can. 864, §1, periculose ægrotantibus æquiperari damnatos ad mortem et milites, belli tempore.

Dicitur : 2) in mortis periculo *quotidie*, fracto licet jejunio, communicari potest.

Tempore Suarezii, fere omnes doctores semel tantum jejunii legi derogari permittebant. Postea, benignior sententia prævaluit quatenus, post aliquot dies, periculo mortis perseverante, viaticum iterum ab infirmo non jejuno, qui aliter sacra dape privaretur, sumi sinebant. Intervalla usque breviora postulata sunt, donec quotidiana quoque viatici iteratio permissa est.

Hanc disciplinam sancivit Ecclesia can. 864, § 3 : « Perdurante mortis periculo, sanctum viaticum, secundum prudentis confessarii consilium, pluries, distinctis diebus, administrari et licet et decet ». Quia adest mortis periculum, etsi non immineat mors, communio a lege jejunii eximitur, uti constat ex can. 858, § 1 et supradictis.

Dicitur : 3) idque, *etiam si jejunium servari possit*.

Ratio est quia communio in mortis periculo, quavis ex causa procedente, a lege jejunii simpliciter excipitur. Patet jejunium commendandum esse iis qui sine notabili detrimento illud servare queunt.

Olim disciplina severior erat ; exigebatur scilicet incommodum servandi jejunium. Incommodum illud

mitius in dies intellectum est. Hodiedum, non pauci doctores, jejunium servandum requirunt, præsertim ab iis qui ob extrinsecam causam in mortis periculo versantur, quoties commode vel jejuni communicare valent, vel facile exspectare queunt ut sequenti die ad sacram synaxim accedant jejuni. V. Coucke.

## V.

## De crucifixo cum indulgentiis viæ crucis.

Q. *Quid intelligis nomine crucifixi viæ crucis ? Da conditiones* 1. *ad talem crucifixum benedicendum*, 2. *ad lucrandas indulgentias viæ crucis ope talis crucifixi* (1).

R. — 1/ **Notio.** Est crucifixus ab habente facultatem rite benedictus cum applicatione indulgentiarum viæ crucis, in favorem fidelium qui, quominus visitent stationes canonice erectas V. C. legitime impediuntur, quique hunc crucifixum manu tenentes corde saltem contrito et devote præscriptas preces recitant ac Passionem Domini meditantur aut saltem recordantur.

Primus Clemens XIV in audientia 26 januarii 1773 concessit usum talis crucifixi in ordine ad lucrandas indulgentias V. C., debita facultate superioribus franciscanis facta eum benedicendi (2).

2/ **Conditiones.** — *A/ Ad benedicendum talem crucifixum.*

1° *Facultas.* — Facultas benedicendi crucifixos viæ crucis a s. Sede tamquam singularis prærogativa superiobus Fratrum Minorum s. Francisci indulta est (3), ita tamen ut solus minister (vel vicarius vel delegatus) gene-

---

(1) Cfr *Instructio de stationibus s. Viæ crucis*, ed. 3ª, 1906, p. 61 ss. ; Mocchegiani, *Directorium s. viæ crucis*, 1897, p. 101 ss., n. 115 ss., vel *Collectio indulgentiarum*, p. 557 ss., n. 1236 ss., ; Beringer-Mazoyer, *Les indulgences*, 1925, t. I, p. 450 ss., n. 869 ss., ; *Collat. Brugen.*, t. X, (1905), p. 391 ss.

(2) Cfr decr. s. C. Ind. 16 sept. 1859, *Decr. auth.*, n. 387.

(3) Cfr decr. s. C. Ind. 16 sept. 1859, *Decr. auth.*, n. 387, et Breve Pii IX, 11 aug. 1863, apud Mocchegiani, *Directorium s. viæ crucis*, p 108.

ralis eam aliis tam intra quam extra Ordinem communicare possit (1).

Facile autem ea facultas sacerdotibus omnibus per dictum Generalem conceditur, et quidem ad vitam et sine restrictione quoad numerum crucifixorum (2). Multi præterea sacerdotes eadem facultate gaudent qua membra confraternitatum vel piarum unionum (3). Advertatur autem restrictio quæ sæpe in formula concessionis occurrit, quatenus scilicet hæc facultas exerceri tantum potest extra Romam, in locis ubi conventus Fratrum Minorum (4) non habentur.

Nota etiam facultatem benedicendi crucifixos V. C. esse facultatem specialem : non ergo continetur in facultate erigendi stationes V. C., nec vice versa.

2° *Forma benedictionis.* — Ad benedicendos crucifixos V. C. sufficit super eos efformare manu signum crucis cum intentione adnectendi indulgentias viæ crucis, absque ulla formula et sine aspersione aquæ benedictæ, et hæc benedictio potest fieri super plures crucifixos in globo, qui postea distribuantur (5). Uni autem eidemque crucifixo possunt cumulative adnecti indulgentiæ V. C. simul cum aliis indulgentiis v. g. apostolicis, vel bonæ mortis (6), et quidem unico signo crucis, supposita in

---

(1) Mocchegiani, *o. c.*, p. 108. « Ceteri superiores nequeunt prædictam facultatem, *qua personaliter gaudent*, aliis delegare, ne suis quidem subditis concionatoribus sive confessariis ».

(2) Directio (adres) est : Curia franciscalis de Unione Leonina, s. Antonio, Via Merulana, Roma. — Rogatur eleemosyna 1 fr. pro Terra Sancta.

(3) Ita v. g. hanc facultatem conferunt pium opus s. Infantiæ, cfr *Collat. Brugen.*, t. X (1905), p. 391 ss., pium opus Propagationis fidei, *ibid.*, t. XVIII, (1913), p. 646 et t. XXIV (1924), p. 347, pia unio cleri pro missionibus, *ibid.*, t. XX (1920), p. 153 et t. XXVI, p. 363, unio apostolica (vulgo apud nos appellata : *Omnia pro Jesu)*, cfr *Règlement et directoire spirituel*, 1926, p. 36, etc.

(4) Præsentia autem conventus aliorum franciscanorum, Conventualium scilicet et Capuccinorum, non restringit usum dictæ facultatis.

(5) Cfr decr s. C. Ind. 12 martii 1855, *Decr. auth.*, n. 363.

(6) Cfr decr. s. C. Ind. 29 febr. 1820 ad III, *Decr. auth.* n. 249. Ad varias autem illas indulgentias lucrandas renovari debent opera injuncta iterabilia.

benedicente debita facultate et intentione applicandi diversas illas indulgentias (1).

3° *Objectum benedictionis.* — Debet esse verus crucifixus, id est crux cum imagine Redemptoris, sive separabili sive saltem prominenti, etiamsi sit tantillum tantum prominens (2). Unde excluduntur tum cruces simplices, in quibus deest imago Christi crucifixi, tum cruces cum imagine quidem Christi sed picta vel impressa.

Indulgentiæ autem ipsi imagini Christi adhærent ita ut hæc transferri possit ex una cruce in aliam absque periculo amittendi indulgentias (3) : pereunte autem hac imagine aut ita deformata ut jam desinat esse imago Christi crucifixi, cessant indulgentiæ (4).

Debet autem hæc imago Christi esse ex aurichalco (koper, cuivre) vel alia quacumque materia non fragili (5), v. g. ex auro, argento, ferro, ære, ossibus, ebore, conchis, ligno duro et solido (6) : excluduntur vero imagines ex stanno, plumbo aliave simili materia quæ facile confringi vel consumi potest (7).

Alia quædam objecta in decursu temporum ab Ecclesia iisdem indulgentiis viæ crucis ditata sunt (8) : decreto autem 24 julii 1912, s. Congregatio s. Officii (sectio de indulgentiis) revocavit, abrogavit ac penitus abolevit

---

(1) Cfr decr. s. Officii, 18 mai 1914, *Collat. Brugen.*, t. XX (1920), p. 143,

(2) Cfr decr. s. C. Ind., 24 maii 1883, Mocchegiani, *o. c.*, p. 102. « Vrais crucifix c. a. d. des croix sur lesquelles l'image du Sauveur crucifié se trouve ou attachée ou du moins reproduite en relief ». Beringer-Mazoyer, *o. c.*, t. I, p. 451, n. 872.

(3) Cfr decr. s. C. Ind. 11 april. 1840, ad VI, *Decr. auth.* n. 281.

(4) Cfr can. 924 § 2.

(5) Cfr decr. s. C. Ind. 16 sept. 1859, ad II, *Decr. auth.* n. 387. Adverte igitur quod ipsa crux potest esse ex materia fragili.

(6) Cfr Mocchegiani, *o. c.*, p. 104.

(7) Cfr monitum 1. in elencho indulgentiarum apostolicarum 17 februarii 1922, apud *Acta Apost. Sedis*, t. XIV, p. 143.

(8) Circa illa objecta cfr *Ephemerides liturgicæ*, t. XXVI (1912), p. 619 ss. Aliquando apud nos in domibus religiosis occurrit aliquis libellus continens seriem 18 stationum V. C. quocum erronee ægroti putant se posse lucrari indulgentias viæ crucis.

omnes alias concessiones præter crucifixum viæ crucis Fratrum Minorum, nominatim vero quæ coronas viæ crucis (1) respiciunt, simul declarando facultates omnes coronas supradictas hunc in effectum benedicendi nullius amplius esse roboris (2). Postea vero s. Pœnitentiaria declaravit abrogationem harum coronarum sese extendere etiam ad illas quæ antea fuerant legitime benedictæ, indulgentiis ditatæ et fidelibus distributæ (3).

*B/ Ad lucrandas indulgentias V. C. ope talis crucifixi.*

1° *Oportet ut fideles sint legitime impediti* a visitandis stationibus V. C. canonice erectis, sive sint infirmi, navigantes, carceribus detenti, in partibus infidelium morantes, sive alio impedimento legitimo detineantur (4). Requiritur *vera* impossibilitas adeundi stationes, non ficta, imaginaria, non tamen absoluta sed *moralis* : sufficit nimirum incommodum mediocriter grave, seu motivum vere rationabile, quacumque demum ex causa proveniat, quod aliquem impedit a visitandis hic et nunc stationibus canonice erectis (5).

Per decretum s. Officii 24 julii 1912 supra citati, censendus est abolitus usus crucium vel crucifixorum, quibus per facultates speciales cuicumque tributas adnexæ fue-

---

(1) Coronæ istæ constant 14 numismatibus quæ solitas V. C. stationes repræsentant, interjectis et additis globulis ad recitanda Pater, Ave, Gloria. De his coronis cfr *Ephemerides liturgicæ, t. c.*, p. 280 sq., *Periodica de religiosis*, t. VI (1912), p. 271, coll. t. VII, p. (7) sq. *Nouvelle revue théologique*, XLIV (1912), p. 692 ss. Usus quidem harum coronarum non est prohibitus, imo potest esse utilis ad computandas preces recitandas, sed inefficaces sunt hæ coronæ ad obtentionem indulgentiarum viæ crucis nisi ratione crucifixi debite benedicti forsan iis adnexi.

(2) Cfr *Collat. Brugen.*, t. XVII (1912), p. 682 sq. ; *Periodica de religiosis*, t. VI (1912), p. 269 ss.

(3) Cfr decr. s. Pœnitent., (sectio de indulgentiis), 14 dec. 1917 ad II, apud *Collat. Brugen.*, t. XX (1920), p. 151.

(4) Cfr decr. s. C. Ind. 16 sept. 1859, *Decr. auth.* n. 387, *Raccolta*, ed. 1898, p. 127.

(5) Cfr Mocchegiani, *o. c.*, p. 112 ss., ubi plura afferuntur exempla. Qui autem ex acedia, inertia aut respectu humano a visitandis stationibus arcentur non pro legitime impeditis habentur.

rant indulgentiæ V. C. lucrandæ ab iis etiam qui nullo detinentur impedimento ab exercitio rite obeundo ; et hujusmodi cruces et crucifixi, jam benedicti et distributi, in posterum pro lucrandis indulgentiis valent tantum in casu legitimi impedimenti (1).

2° *Crucifixus debet manu teneri* dum recitantur preces infra descriptæ (2).

Olim crucifixus viæ crucis soli personæ quæ eum possidebat prodesse poterat ad indulgentias V. C. lucrandas (3). Nunc autem, juxta principia communia (4), potest hic crucifixus de manu ad manum transire ut plures successive indulgentias V. C. lucrentur. Imo Leo XIII anno 1884, 19 januarii, in perpetuum indulsit (5) ut quando plures fideles legitime impediti a visitandis stationibus recitant præscriptas preces in communi, sufficiat ut una tantum persona crucifixum benedictum manu teneat ut omnes indulgentias V. C. consequantur, dummodo ceteri omnes aliis quibusque curis semotis (6), se componant pro oratione facienda una cum persona quæ tenet crucifixum.

3° Ut quis ope dicti crucifixi indulgentias viæ crucis lucretur, essentialiter requiritur *Passionis Dominicæ meditatio, vel* saltem *pia* ejusdem *recordatio*, nec sola suffi-

---

(1) Cfr decr. s. Pœnitent., 14 dec. 1917, ad III. Cfr *Collat. Brugen.*, t. XX (1920), p. 152. Vide exempla apud *Periodica*, t. VI (1912), p. 271, Beringer-Mazoyer, *o. c.*, t. I, p. 455, n. 877.

(2) Cfr decr. s. C. Ind. 16 sept. 1859, *Decr. auth.*, n. 387, *Raccolta*, p. 127.

(3) Cfr decr. s. C. Ind. 29 maii 1841 ad XII, *Decr. auth.*, n. 291.

(4) Cfr can. 924, § 2.

(5) Cfr *Rescripta authentica*, appendix, n. 447. Est hoc indultum extensio ad crucifixos viæ crucis indulti Pii IX, 22 jan. 1858, *Decr. auth.*, n. 384, in favorem recitantium rosarium in communi.

(6) Hæc verba interpretari possumus secundum declarationem similis expressionis pro recitatione communi rosarii, scilicet « fidelibus ab iis tantum occupationibus exterioribus esse abstinendum quæ internam attentionem impediunt ». Decr. s. C, Ind. 13 nov. 1893, *Acta s. Sedis*, t. XXVI, p. 310.

cit recitatio precum vocalium præscriptarum (1), ut antea communiter docebatur (2).

4° *Preces* sequentes *recitandæ* sunt, corde saltem contrito ac devote, scilicet viginti Pater, Ave et Gloria, unum nempe pro qualibet statione, quinque in sanctorum D. N. J. C. vulnerum memoriam, ac unum juxta mentem Summi Pontificis (3). Hæ autem preces recitari debent uno tractu, sine notabili interruptione (4).

« *Corde saltem contrito* » : hæc verba non inducunt actum contritionis tamquam aliquod opus injunctum ab omnibus implendum, sed tamquam meram dispositionem qua ille qui est in statu peccati mortalis ad statum gratiæ restituatur ac ita fiat capax indulgentias sibi lucrandi (5). — « *Devote* » : id est abstinendo interea ab omni alia occupatione quæ mentem ab orando impediat.

Favore autem illorum fidelium quos gravis morbus omnino impares reddit recitandis viginti Pater, Ave et Gloria, Summi Pontifices indulgent Ministro Generali Fratrum Minorum ut durante munere suo concedere possit ut loco earum precum ad acquirendas indulgentias V. C. ore recitent actum contritionis et invocationem : « Te ergo quæsumus, tuis famulis subveni, quos pretioso sanguine redemisti », ac mente saltem sequantur recitationem ab alio adstante factam trium Pater, Ave et Gloria (6). Adverte tamen et ab illis exigi aliquam Passionis

---

(1) Cfr decr. s. Pœnitent. (sectio de indulgentiis), 14 dec. 1917 ad IV, apud *Collat. Brugen.*, t. XX (1920), p. 152.

(2) Cfr Mocchegiani, *o. c.*, p. 122; *Collat. Brugen.*, t. X (1905), p. 393.

(3) Cfr decr. s. C. Ind., 16 sept. 1859 ad I, *Decr. auth.*, n. 387.

(4) Id dicitur ex analogia cum visitatione stationum in vero exercitio viæ crucis. Cfr *Collat. Brugen.*, hoc tomo, p. 314.

(5) Cfr decr. s. C. Ind. 17 dec. 1870, *Decr. auth.*, n. 427, et can. 925 § 1. Ita explicat Beringer-Mazoyer, *o. c.*, t. I, p. 453 : « Il faut se trouver enétat de grâce, ou s'y mettre au besoin par un acte de contrition parfaite ».

(6) Ita Pius IX, 18 dec. 1877 primum indulsit, sed minoribus conditionibus, dein Leo XIII, 9 sept. 1890 novas conditiones in textu descriptas imposuit. Eamdem facultatem hodierno Generali F. M. contulit s. Officium 11 nov. 1911. Cfr Mocchegiani, *o. c.*, p. 115 ss., Beringer-Mazoyer, *o. c.*, t. I, p. 454 n. 875.

meditationem aut saltem piam recordationem dum preces illæ recitantur (1).

Tandem nota confessario vi canonis 935 competere facultatem impeditis commutandi preces injunctas in alia opera : attamen usus crucifixi viæ crucis numquam omitti potest et aliqua saltem pia Dominicæ Passionis memoria addi debet (2). A. LEGRAND.

## VI.

## De prohibitione librorum.

Q. *Proba libros pravos jure, tum naturali tum divino positivo prohiberi.*

R. — Libros *pravos* intelligimus quæcumque scripta aut impressa, quæ quoquo modo periculum pro fide vel moribus ingerere nata sunt.

Horum autem librorum *lectio* est quidem de se actio moraliter indifferens, utpote quæ, pro variis adjunctis, aut bene aut male poni potest. De facto tamen, secluso jure positivo humano, sive civili, sive ecclesiastico, et attento solo jure naturæ, sæpuis mala erit, sive *ratione pravæ intentionis* illius qui legit, sive *ratione effectus pravi* quem lectio producere nata est.

De priori illo fonte malitiæ non est, ut patet, quæstio specialis ponenda : qui enim legit pravo fine, peccat, gravius vel levius, pro intentione qua ducitur ; latius autem dicendum est de altero malitiæ fonte, nempe de pravis effectibus ex lectione forte orituris. Nimirum :

I. — Lectionem pravorum librorum facile posse malam esse *ex ipso jure naturæ* vel leviter cogitanti patet.

---

(1) BERINGER-MAZOYER, *o. c.*, t. I, p. 454. Recole tandem can. 934 § 3 qui et hic applicari debet : « Ad indulgentiarum acquisitionem satis est orationem alternis cum socio recitare, aut mente eam prosequi, dum ab alio recitatur ».

(2) Cfr decr. s. Pœnitent. 14 dec. 1917 ad V, apud *Collat. Brugen.*, t. XX (1920), p. 152 ; *Periodica*, t. IX (1921), p. 73.

Etenim eadem lex naturæ quæ jubet hominem, intuitu finis sui ultimi attingendi, suscipere et conservare fidem, cognoscere quoque et in praxim deducere leges morales, eo ipso prohibet ne homo, sine proportionata causa, se exponat periculo hanc fidem non attingendi aut habitam non conservandi, has leges morales false apprehendendi aut in praxi contemnendi. Jamvero pravi libri hujusmodi periculum de se nati sunt suscitare. Ergo. — Quod addimus *sine proportionata causa*, intelligitur ex iis quæ moralistæ docent ubi de moralitate illius qui periculo peccandi se committit. Si enim alicui ex lectione libri pravi oriturum prævidetur periculum remotum peccandi, licite poterit nihilominus huic periculo se exponere lectionemque pravam instituere, si adest ipsi causa periculi gravitati proportionata.

Ex dictis intelliges sequentes, pro praxi sedulo advertendas, *conclusiones* :

1/ quum ratio prohibitionis juris naturalis sit ipsum periculum quod pro fide aut moribus ex lectione oriri potest, quumque ex alia parte gravitas hujus periculi pendeat, non tantum a natura libri, sed etiam, et plurimum quidem, a dispositionibus et adjunctis illius qui legit, apparet librum eumdem posse uni personæ esse prohibitum, qui non alteri ; vel uni sub gravi, alteri vero sub levi tantum. Ita quod juvenibus prohibetur, non semper vel non æque graviter prohibetur ætate provectioribus ; quod rudi, non semper viro docto ; quod passionato, non semper homini sui compoti.

2/ Hæc juris naturalis prohibitio adest pro quanto adest periculum, proportionata causa non compensatum, nec ullatenus requiritur ut afferri possit lex quædam positiva humana eamdem lectionem prohibens.

3/ Hæc eadem juris naturalis prohibitio, ubi adest, nequit ulla lege aut dispositione humana auferri ; adeoque pro praxi nihil juvat in hujusmodi adjunctis allegare utputa dispensationem a superiore quodam obtentam, licentiam legendi libros pravos aut alia hujusmodi. Et ita

leges ecclesiasticæ de prohibitione librorum omnino intactum relinquunt jus naturæ lectionem prohibens.

4/ Ex dictis sub 3. sequitur practice ad dignoscendum utrum liber aliquis a determinata persona, utputa a tali puella vel tali juvene legi possit necne, non sufficere examinare num ille liber lege quadam generali indicis ecclesiastici proscribatur vel catalogo indicis inscribatur ; sed inquirendum quoque est nonne lectio hujus libri lege naturali forsan huic determinatæ personæ, pro nata sua indole variisque adjunctis in quibus degit, prohibeatur. Quod quam prudenter, potissimum a confessariis, examinandum esse cuicumque facile patet.

Proinde ne confessarius inconsiderate vel temere hoc suo officio fungatur, imprudenti laxitati indulgendo. Recogitabit enim, quo gravissimo suo munere debite fungatur, ingentem influxem quem libri, præsertim romanenses, in lectores, præcipue junioris ætatis, exercere nati sunt. Merito enim vocantur et describuntur quicumque libri tamquam socii hominis assidui, tamquam cibus animarum, tamquam veri magistri, quibus lectores facile cedunt. Merito quoque, ab Episcopis Belgii, in *Instructione pastorali*, diei 5 augusti 1853, libri pravi assimilati fuerunt amico corruptori ac magistro prævaricationis et impietatis, cui eheu ! quam sæpissime docilis præbetur auditus. — Nec inutile fuerit monere confessarios, præsertim majorum civitatum, ut identidem apud juvenes vel puellas quas dirigendas forsan habent, inquirant circa libros quibus legendis vacant. Constat enim aliquando libros levioris vel dubiæ qualitatis passim legi inter amicos vel amicas ex quadam æmulatione, ne nempe in conversatione ad invicem aliis cedere debeant.

II. — Quod autem *jus divinum positivum* spectat, quamvis ex sacra scriptura allegari non valeant textus ex professo et determinate de libris pravis agentes, nihilominus non ita inobvium esset adducere varios textus in sua generalitate libris pravis applicabiles.

Talia sunt v. g. ea verba quibus Cristus Dominus « væ

mundo a scandalis » (1) edicit : quid enim magis scandalosum quam libri pravi ? — talia sunt verba quibus Christus monet unumquemque « si oculus tuus scandalizat te, abjice eum... » (2) ; quibus verbis, ut hic docent exegetæ, Christus non præcise de oculo agere intendit, sed de omni re, quantumvis pretiosa et carissima nobis, quæ periculum pro anima constitueret ; quid autem magis periculosum quam libri pravi, qui proinde projiciendi jubentur ? — talia sunt verba tam instantia quibus monet nos Christus Dominus ut a falsis prophetis abstineamus, « qui veniunt ad nos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces » (3) ; nonne hæc verba speciali modo aptantur libris pravis, tam speciose sæpe conscriptis ?

Nostrum proinde erit his monitis Divini magistri obsequium præstare, ad modum quo olim s. Paulus, doctrinæ Christi inhærens, similia monita dedit suis christianis (4), et in decursu itinerum suorum apostolicorum libros pravos comburendos curavit, ut legere est apud *Act. Ap.*, XIX, 19.

Nihilominus quæ ex doctrina Christi secundum auctores (5) adduximus, nobis non videntur, stricte loquendo, sufficere ut de prohibitione juris positivi divini, a prohibitione juris divini naturalis distincta, loquamur : quæ enim variis textibus citatis allegavimus, magis declarationem juris naturalis, quam superadditæ dispositiones positivæ esse videntur ; haud magis quam verba Ejus « diliges Deum Dominum tuum » qua lex divina positiva haberi possunt.

J. Brys.

---

(1) *Matth.*, XVIII, 7.
(2) *Matth.*, V, 29.
(3) *Matth.*, VII, 15.
(4) *Rom.*, XVI, 17 et *I Tim.*, VI, 20.
(5) Cfr A. De Meester, *Compendium juris canonici*, ed. nova, 1926, t. III, p. 244. C. Van Coillie, *Commentarium in const. « Officiorum »*, Brugis, 1899, p. 6.

# De inerrantia s. Scripturæ.

## Thesis generalis.

Nomine consectariorum inspirationis — sic dicebamus supra, p. 172 — intelligimus eas qualitates quæ libris s. Scripturæ, utpote inspiratis, inesse debent, seu quas nos, ex facto inspirationis eorumdem, logice concludimus eis convenire debere. Inter hæc autem consectaria primum et præcipuum, nequaquam autem unicum (1), illud est quod vocatur *inerrantia*, de quo hîc doctrinam generalem referre paucisque explicare intendimus. — *Thesim generalem* sic descriptive enuntiare possumus :

*In locis authenticis s. Scripturæ nullus inveniri potest error ; scilicet nihil omnino, nulla res, in quavis materia, ab auctore s. Scripturæ in libro suo affirmari potest quod revera a parte rei sit falsum, nihil negari potest quod a parte rei sit verum. — Seu : illa omnia quæ auctor sacer, omnibus inspectis, in libro suo affirmat, et quidem eo sensu et eo gradu quo affirmat, revera a parte rei esse debent ; quæ negat esse, a parte rei esse non possunt.*

Quam thesim per partes *explicamus* (2).

1/ Dicitur : in locis *authenticis* s. Scripturæ, seu, ut dicit encyclica *Providentissimus*, in libris sacris, qui et

---

(1) Immerito non pauci auctores de inerrantia s. Scripturæ agere videntur, quasi unicum esset consectarium. Vide dicta supra, pp. 172 de alio consectario, quod est honestas s. Scripturæ.

(2) Abstinemus a theseos *demonstratione*, quæ cæteroquin facile fieret tum *directe* ex revelatione divina (puta ex doctrina Christi et Apostolorum) nobis transmissa per ipsos s. Scripturæ libros (ut mere historicos consideratos) et per alia antiquæ Traditionis documenta, nobisque proposita per magisterium authenticum Ecclesiæ (aliunde ut infallibile demonstratum), — tum *indirecte* ex ipso aliunde demonstrato facto inspirationis divinæ.

« quales ab hagiographis editi sunt ». Inspiratio enim et inde consequens inerrantia ad solos textus primigenios seu authenticos pertinet, non autem necessario ad omnes et singulos textus qui nunc leguntur in nostris editionibus linguæ originalis, « quia fieri potest ut quædam librariis [i. e. copistis] in codicibus describendis minus recte exciderint » (*Providentissimus*) ; unde textum ope studiorum criticorum a corruptionibus textualibus emendatum supponimus. — Idem dicendum est de omnibus *versionibus*, quæ inspiratæ non sunt et consequenter inerrantia non gaudent, nisi pro quanto fideliter vertunt textum primigenium.

2/ Dicitur : nullus error inveniri *potest*. Unde inerrantia, quam vindicamus libris s. Scripturæ, non est tantum *facti*, quatenus non tantum nullus error invenitur de facto, sed est et *juris*, quatenus vi ipsius originis et essentiæ s. Scripturæ, *repugnat* dari errorem. Unde quantumvis dari possint libri humani, puta scientiarum matheseos, in quibus de facto nulli errores occurrant, longe tamen iis eminent libri scripturistici.

3/ Dicitur : nullus *error*. Quocirca adverte nos ex intento scopo omittere in thesi mentionem facere illius distinctionis, quæ non raro ab auctoribus huc introducitur, inter sic dictos errores *materiales*, aliosque *formales*. Hæc enim distinctio, misso quod haud raro quam diversissimis sensibus a variis auctoribus intelligitur, illud secum ferret quod, in thesim generalem inserta, legenti facile ideam ingereret inerrantiam s. Scripturæ non esse perfectam (1). Malumus vocabulum « *error* » sumere eo sensu quo, missa omni inutili subtilitate, communiter auditur, ita nempe ut error tunc habeatur in aliquo libro ubi in illo libro affirmatur quod objective est falsum aut negatur quod a parte rei est verum, seu ubicumque in libro alicui sub-

(1) Propter easdem rationes malumus hîc non facere distinctionem inter inerrantiam *absolutam* et inerrantiam *relativam*.

jecto attribuitur aliquod prædicatum quod ei a parte rei convenit ; vel denegatur quod ei a parte rei convenit.

4/ Dicitur : *in locis* authenticis *s. Scripturæ*, et : *in libro*. Statuitur enim inerrantia *ipsius libri* inspirati, non vero inerrantia *ipsius auctoris* ; quod tamen ne male intelligas. Nimirum repugnat auctorem errasse in omnibus quæ in libro suo affirmat ; non repugnat eum errasse in iis quæ in mente sua judicabat esse, quin tamen ea in libro suo affirmaret ; revera auctor sacer formaliter fuit inspiratus, non ad certas res theoretice cognoscendas aut melius cognoscendas, sed ad res conscribendas in suo libro (1) ; « plane extra provinciam inspirationis sunt sententiæ, quas hagiographus in mente habet, sed quas non vult verbis enuntiare » (2).

---

(1) Pro quanto inspiratio, quantum ad influxum suum in intellectum, dici potest lumen præstare, illud præstat non ad judicandum de rerum scribendarum veritate, sed ad judicandum de rerum, ut sic dicam, scribenditate. Sub influxu divino judicat hagiographus talia et talia esse scribenda seu illa apprehendit ut scribenda. — Quod utique minime excludit, imo positive supponit hagiographum fuisse a divina Providentia, tum mediis naturalibus, tum etiam, ut sæpe contigerit, mediis supernaturalibus, ut puta illustratione supernaturali vel et stricte dicta revelatione, deductum ad cognoscendam veritatem theoreticam rerum quas deinde inspiratione apprehenderet ut scribendas.

(2) Pesch, *De inspiratione sacræ Scripturæ*, p. 459, in nota. — Hinc dici potest, hoc sensu, thesim statuere inerrantiam *objectivam*, librorum nempe, non vero inerrantiam *subjectivam*, auctoris nempe ; — vel sensum libri objectivum seu expressum, non vero sensum hominis subjectivum esse necessario ab errore immunem (Cfr Bainvel, *De Scriptura sacra*, 1910, pp. 148 ss.). Quidquid circa multa minus recte aut etiam plane false cogitaverit auctor sacer, si eadem in libro suo non affirmavit, non ergo erravit in libro suo, adeoque universa Scriptura ab omni errore illæsa permansit. Ita v. g. non obstat inerrantia Scripturæ quominus auctor sacer, dum scribebat fecisse Deum « duo luminaria magna, luminare majus, ut præesset diei, et luminare minus, ut præesset nocti, et stellas » (*Gen.*, 1, 16), errore subjectivo has stellas, minores æstimasse sole et luna ; illud tamen in libro suo non intendit affirmare nec affirmavit, adeoque non adest, ex hoc capite, error in s. Scriptura. — Cfr dicenda infra, sub 5°, *b*/. — Ne tamen inde concludas auctorem sacrum potuisse in libro suo affirmare res a parte rei veras, sed quas ipse in mente sua judicasset falsas, aut potuisse affirmare ut *certo* veras quas

5/ Dicitur : nulla *res affirmari potest...*, seu statuitur inerrantia in omnibus rebus quæ affirmantur. Ut enim diximus supra (1), in s. Scriptura, sicut in aliis libris, duplex distinguitur elementum : elementum reale seu *res*, nimirum illa omnia quæ auctor scripto aliis significat, et elementum modale seu *modus*, seu, ut dici solet, verba, nimirum illa omnia signa externa quibus res de facto significantur ; — *res* autem ipsæ distinguuntur duplicis speciei ; aliæ enim sunt ea omnia quæ propositionibus imperativis, deprecativis, interrogativis, optativis, imprecativis, proponuntur *opere facienda* ; aliæ vero ea quæ propositionibus enuntiativis proponuntur ut *intellectu admittendæ* seu quæ affirmantur (2). — Unde patet sensus thesis nostræ :

*a*/ Thesis, formaliter loquendo, nil enuntiat de *rebus* quæ *opere faciendæ* proponuntur : quæ enim proponuntur facienda aut omittenda, formaliter loquendo (3), nec

---

reputasset probabiles tantum. Hæc hypothesis prorsus est rejicienda. Quamvis enim utique *inerrantia* libri inspirati salva esset, obstaret aliud consectarium inspirationis, quod est *honestas* ; in illa enim hypothesi hagiographus, quantumvis vera scribens, scripsisset tamen contra suam mentem seu scripto mentitus fuisset, adeoque ipsa actio ita scribendi fuisset ipsi moraliter mala ; porro repugnat quominus Spiritus sanctus sua inspiratione moveat hominem ad actionem moraliter malam. Recole dicta supra, pp. 178 s. — Hinc nullatenus possumus assentiri SCHIFFINI, *De veritate Scripturarum*, p. 237, ubi ait nihil prohibere quominus hagiographi, aliquid *opinantes* tantum, rem simpliciter ut veram affirmaverint, reticita mentione formidinis quam in mente habebant. Certissime aliquid prohibet, nimirum sinceritas seu veracitas. Qui enim illud quod opinatur tantum, ita exprimeret ut neque explicite neque implicite ullam faceret mentionem dubii sui, ille mendacium committeret, siquidem affirmaret aliquid tamquam sibi certum quod tantum sibi probabile esset.

(1) Pag. 173.

(2) Nemini catholico dubium est utramque speciem *rerum* esse inspiratam seu hagiographum influxui divinæ inspirationis subfuisse in scribendis illis rebus ; disputari autem potest utrum et quousque etiam *modus* seu *verba* sint inspirata ; nobis quidem probabilius, ni dicamus certum est, etiam verba esse inspirata.

(3) Dicitur : *formaliter loquendo*. In omni enim oratione qua auctor sacer aliquid faciendum proponit, implicita quædam latet affirmatio, quæ et ipsa, vi inerrantiæ s. Scripturæ, vera esse debet. Scribendo ad

vera nec falsa sunt (1) ; thesis procedit de solis rebus quæ affirmantur, utpote quibus solis competit ut possint esse veræ vel falsæ.

*b*/ Item nil affirmat de *modo* quo variæ res in s. Scriptura exprimuntur : modus enim ille potest quidem esse clarus vel obscurus, contortus vel limpidus, poëticus vel prosaicus, proprius vel figuratus ; plus minusve perfectus si comparatur ad regulas grammaticæ vel syntaxeos, vel ad regulas poëseos, vel ad placita scientiarum physicarum aut historiæ, vel ad veritates philosophicas aut theologicas ; plus minusve aptus ad reddendam mentem auctoris, etc. ; sed unum est quod modo, formaliter loquendo (2), non competit, nimirum ut sit verus vel falsus (3) ; etenim veritas vel falsitas competit solis judi-

---

Timotheum : *Affer mihi penulam meam*, implicite affirmat Paulus se interne habere hanc voluntatem ut Timotheus illud faciat ; unde divinitus nobis verum est Paulum illam voluntatem habuisse. — Quod et alio modo patet. Nisi enim vere illam voluntatem haberet Paulus, verba ab ipso scripta qua mendacium essent habenda : externe enim se exhiberet quasi ita volentem, dum non vellet Jamvero repugnat Paulum divinitus inspirari ad scriptionem mendacem adeoque moraliter malam. Recole dicta supra, p.178 ss., de consectario honestatis.

(1) Non ideo tamen indifferens est quænam et quales sint res quæ sic faciendæ proponuntur ; ut enim ostendimus supra, pp. 173 ss., vi inspirationis s. Scripturæ debent hujusmodi res ea ratione qua faciendæ proponuntur esse *honestæ ut fiant*.

(2) Dicitur : *formaliter loquendo*. Etenim quamvis *modus* loquendi nil affirmet, nil neget, adeoque nec *verus* nec *erroneus* esse possit, tamen sæpe poterit ex modo loquendi colligi auctorem, qui hunc modum adhibuit, in mente sua de tali vel tali re recte vel erronee sentire ; ut puta si ex verbis *Gen.*, 1, 16 Deum fecisse « duo luminaria magna, luminare majus, ut præesset diei, et luminare minus, ut præesset nocti, et stellas », colligeres auctorem in mente sua erronee sentire de magnitudine relativa corporum cœlestium.

(3) Non ideo tamen indifferens erat qualem modum scribendi adhiberet hagiographus. Etenim in sententia, quam non pauci auctores propugnant, quæque tenet etiam modum seu verba esse inspirata, adhuc modus ille debebat gaudere certis qualitatibus ut sub inspiratione adhiberi potuerit. Non est autem hujus loci disserere de hoc alio inspirationis consectario, quod vocare possumus *aptitudinem modi*. Sic ut mens vel uno exemplo pateat : plane repugnat inspirationi quominus auctor sacer, in parabola quadam, adeoque sine ulla inten-

ciis, quibus ens ratione præditum vel judicat vel enuntiat (1) aliquid esse vel non esse (2).

Ex dictis intelliges *inerrantiæ* (3) s. Scripturæ minime repugnare auctorem sacrum in exprimendis quibuslibet rebus in se veris adhibuisse *a/* modum loquendi fundatum *in apparentiis externis*, quantumvis istæ apparentiæ a realitate objectiva possint discrepare ; — *b/* vel modum

---

tione affirmandi, mentionem faceret de 4 personis in Deo. — Imo, etiamsi quis sententiam inspirationis verbalis repudiaret, adhuc tamen concedere deberet non potuisse esse Deo indifferens quonam modo hagiographus res sibi divinitus inspiratas exprimeret.

(1) Hinc habes distinctionem inter errorem *subjectivum*, qui habetur in eo quod intellectus errat seu deflectit a vero : error habetur in mente, judicium intellectus est erroneum, — et errorem *objectivum*, quod est ipsum objectum erroris seu erratum : talis propositio, in libro affirmata, est dissona a vero, est erronea. — Ut supra, sub 4° dicebamus, thesis nostra affirmat inerrantiam objectivam libri, non subjectivam auctoris.

(2) Quod exemplo vulgari pateat. Si mane surrexi hora 6ª, et si aliunde momentum illud coïncidebat cum momento ab astronomis apparitioni solis assignato, potero hanc eamdem rem variis modis exprimere, puta : surrexi hora 6ª ; — vel : surrexi surgente sole ; — vel : surrexi eo momento quo sphæra terrestris in sua rotatione diurna circa putativam axem suam exhibebat soli illud meridianum in quo situs erat locus meus. Omnibus illis modis *verum dico* et nihil nisi verum dico ; equidem tertius modus loquendi fundatur in theoriis quas astronomi, ut suppono, veras esse demonstrarunt ; secundus vero modus, si cum iisdem theoriis comparatur, poterit forte vocari astronomice ineptus ; sed tamen quum dicendo : *sole surgente*, de rebus astronomicis nihil dixerim, nihil affirmaverim, consequenter etiam *nihil erravi*. — Unde ne dicas : iste modus *contradicit veritati astronomicæ*, adeoque est erroneus. Respondeo enim : proprie loquendo, modus nihil *dicit*, sed est *modus dicendi* ; et si nihil dicit, non potest ulli veritati *contra*dicere. — Neque consequenter eos auctores qui admittunt expressionem et stylum — ergo modum dicendi — posse supponere falsum, redarguas quasi pessumdarent inerrantiam s. Scripturæ, quasi imo ideo errorem tribuerent expressioni et stylo, ut salvarent inerrantiam in rebus affirmatis, et quasi error in expressione et stylo converteretur in errorem in rebus affirmatis [Vosté, *Comment. in epist. ad Thessalonicenses*, p. 245, in nota (1)]. In expressione et stylo nequit haberi *error*, sed, ut diximus, in solo judicio quo ens ratione præditum aliquid vel mente judicat vel verbis enuntiat.

(3) Dicitur : *inerrantiæ*. Alia est enim quæstio quousque repugnet in s. Scriptura sacra adhiberi talem modum scribendi, et hoc sive admittas, sive recuses sententiam de inspiratione verbali.

loquendi fundatum in *opinionem* vel etiam in *sententiam erroneam* suorum coævorum ; — *c*/ vel imo modum loquendi fundatum in *propriam* suam hujusmodi opinionem aut sententiam (1).

6/ Dicitur : *nihil omnino*, nulla res, *in quavis materia*. Revera, juxta monitum encycl. *Providentissimus*, « de veritate sententiarum cum agitur, non adeo exquirendum, quænam dixerit Deus ».

*a*/ Nihil refert *de quanam materia* agatur ; sintne res, quæ affirmantur, ordinis proprie religiosi, sive dogmatici, sive moralis, sintne res ordinis historici, eæque vel magni vel nullius fere momenti in ordine ad religionem, sintne res ordinis scientifici, pertinentes ad quamlibet ex scientiis, quæ physicæ seu naturales vocantur : quævis sint, dummodo in s. Scriptura affirmentur, infallibiliter veræ esse debent.

*b*/ Nihil refert utrum ipse auctor sacer res, quas affirmat, judicaverit esse magni, an parvi *momenti* ; utrum eas ex professo tractare intenderit, an forte potius per transennam et *obiter* retulerit : dummodo eas affirmaverit, infallibiliter veræ esse debent.

c/ Nihil refert *in quemnam scopum* ulteriorem auctor forte quædam affirmaverit ; sicut enim non potuit quædam falsa proferre propter seipsa, ita nec potuit falsa proferre ut per ea doceret alia vera (2).

*d*/ Nihil refert quod ipse auctor humanus ea quæ affirmantur in s. Scriptura inadæquate tantum et nonnisi in confuso apprehenderit (3). Fieri sane potuit auctorem in

---

(1) Exemplum primi haberes in verbis Jesu, qui rerum astronomicarum perfecte gnarus, nihilominus loquitur de Deo qui *solem suum oriri* facit ; exemplum secundi, imo et tertii in verbis Psalmistæ qui et ipse loquitur de sole oriente, non tantum quia tales erant apparentiæ externæ, sed quia ipsius coævi, imo et ipse Psalmista opinabantur, imo ut certum habebant eum revera esse motum solis.

(2) Sicut non sunt facienda mala ut eveniant bona, sic nec falsa dicenda ut doceantur vera.

(3) Repugnare quominus hagiographus ea quæ affirmabat *falsa et erronea* æstimaverit, etiamsi de facto vera erant, facile liquet. In hac enim hypothesi Deus inspirando movisset hominem ad actionem scribendi ipsi materialiter saltem illicitam et malam.

referendis et saltem æquivalenter approbandis (1) prophetiis et revelationibus a Deo acceptis, vel verbis Dei, Christi, angelorum, etc., nonnisi inadæquate et in confuso apprehendisse ea quæ in hisce relatis continebantur (2) ; item in veritatibus complexis et mysteriis quæ refert et affirmat, potuit non omnia elementa in iisdem contenta perfecta et distincte apprehendere ; — nihil hæc omnia referunt ; ea omnia quæ in libris sacris affirmantur necessario vera sunt (3).

*e*/ Nihil refert utrum agatur de sic dicto sensu litterali seu humano, an vero de sic dicto sensu mystico, — ut jam dicimus sub 7.

7/ Dicitur : nihil affirmari potest *ab auctore s. Scripturæ*... Porro duo sunt auctores, Spiritus sanctus, auctor inspirans et principalis, et hagiographus, auctor inspiratus et instrumentalis, et ea omnia quæ ab alterutro affirmantur vera esse debent. Equidem quæ ab auctore humano affirmantur, etiam ab auctore divino affirmantur ; ast non repugnat quominus, ultra ea quæ auctor humanus affirmavit, Deus plura alia affirmaverit, forte inscio adeoque, hoc sensu, non affirmante auctore humano : quæ sunt ea quæ vocamus sensus mysticos (4). — Porro inerrantia, ut patet, etiam ad hos sensus mysticos, dummodo utique de iis nobis sufficienter constet, se extendit.

---

(1) De hac re vide dicenda infra, sub 12°, ubi de citationibus.

(2) Cæteroquin nihil impedit quominus hagiographus hujusmodi verba Dei, Christi etc. simpliciter sua fecerit et tamquam sua, non per modum citationis, edixerit. Etiam hoc casu potuit hagiographus non plene attingere sensum qui illis verbis continebatur.

(3) Ex dictis sub *d*/ et *e*/ apparet verbis s. Scripturæ posse convenire plus veritatis quam ipsi hagiographi intellexerunt et intenderunt. Cfr Pesch, *o. c.*, 499 ss.

(4) De his sensibus mysticis de eorumque, quæ videtur admittenda, distinctione in sensus mysticos rerum (i. e. sensus typicos) et sensus mysticos verborum cfr quæ scripsimus *Collat. Brugen.*, t. XXV, 1925, pp. 402 ss.

8/ Dicitur : ea quæ auctor affirmat, *eo sensu* et *eo gradu* quo ea affirmat, vera esse debent (1).

*a/ Eo sensu* quo affirmantur ; quod facile intelligitur. Inde momentum omnis exegeseos omniumque regularum quas hermeneutica rationalis, christiana et catholica proponunt ad recte intelligendum ea quæ affirmantur. Ita v. g. ubi Paulus scribit : « *Nescio* utrum aliquem alium baptizaverim » (*I Cor.*, I, 16), sensus est Paulum id nescire, non vero Deum ; adeoque infallibiter et divinitus nobis verum est Paulum illo momento, quo hæc scribebat, nesciisse utrum aliquem alium baptizasset.

*b/ Eo gradu* quo affirmantur. Nimirum quidquid ab hagiographo tamquam certum seu tamquam simpliciter verum affirmatur, illud simpliter verum esse debet ; quidquid vero ab eodem tamquam *probabile* affirmatur, non debet esse simpliciter verum, sed probabile tantum et eo gradu probabilitatis quo ab hagiographo affirmatur. — Nimirum *veritas* quidem stat in indivisibili et est absoluta : quod verum est nihil falsi habet, sed simpliciter et totaliter verum est, illudque est pro quolibet ente rationali, sive creato, sive Increato. Contra *verisimilitudo*, quantumvis sit aliquid objectivum, est tamen aliquid essentialiter relativum ad homines et varios gradus admittit. Etenim verisimile seu probabile illud est in cujus favorem dantur tales rationes, extrinsecæ vel intrinsecæ, quæ natæ sunt hominem prudentem ad assensum imperfectum seu opinativum commovere, sed tamen veritatem rei non adæquate demonstrant, neque pro ipso excludunt veritatem possibilem aut etiam probabilem, imo et probabiliorem partis oppositæ. Unde *Deo* nihil est probabile : ipse enim omnium rerum veritatem perspicit ; omnium quoque rationum, quæ homines ad assensum opinativum commovere possunt, ipse per-

(1) Huc forte referri possunt verba Commissionis pontificiæ de Re Biblica, in decreto de parousia, ad II : « Omne id quod hagiographus *asserit, enuntiat, insinuat*, retineri debet *assertum, enuntiatum, insinuatum* a Spiritu sancto ».

spicit vel vim plene demonstrativam vel contrà plene inanem ; *nobis* contrà, *hominibus*, adeoque et ipsi hagiographo, multa possunt esse probabilia, multa poterant ab ipso tamquam probabilia affirmari. Unde, siquidem Deus affirmat quæ auctor humanus affirmat, siquando hagiographus aliquid tamquam hominibus probabile affirmat, etiam Deus illud tamquam hominibus probabile affirmat, seu affirmat dari motiva objectiva ob quæ homo prudens hujusmodi sententiam tamquam probabilem habeat eique assensu opinativo adhæreat (1).

9/ Dicitur : ea omnia quæ auctor sacer omnibus inspectis *affirmat*. Circa quod jam attende hæc in tota hac re maximi momenti : si indubium est hagiographum in omnibus quæ affirmat verum dicere, saepe dubium et incertum esse poterit, vel nonnisi sedula investigatione

---

(1) Ex dictis habes quid respondeas ad sequens sophisma : quidquid in s. Scriptura ab auctore sacro affirmatur ut probabile, eo ipso nobis certo verum est. Etenim quod hagiographus affirmat ut probabile, Deus illud idem affirmat ut probabile ; nam quod hagiographus affirmat, hoc idem Deus affirmat. — Atqui quod Deus affirmat ut probabile, illud debet esse, non tantum probabile, sed simpliciter verum et certum : etenim repugnat Deum aliquid ut probabile affirmare, quod sit falsum. Ergo. — *Respondebis* : *Dist. maj.* : et sensus est hagiographum ipsumque Deum illud affirmare *ut probabile hominibus*, conc. ;... *ut probabile ipsi Deo*, nego. — Ad *rationem additam* : quidquid hagiographus affirmat, Deus illud affirmat, dist.: eo gradu quo hagiographus illud affirmat, conc. ;... ultra eum gradum, nego. — *Contrad. min.* : quod Deus affirmat *ut hominibus probabile*, debet esse simpliciter verum et certum, nego ; quod Deus affirmat — aut potius affirmaret, nam est absurda hypothesis — *ut sibi probabile*, illud debet — seu deberet — esse simpliciter verum, transeat. — Ad *rationem additam* pariter distinguo : repugnat Deum aliquid *ut hominibus probabile* affirmare, quod objective sit falsum, nego ; Deum enim non latet posse dari motiva nata hominem prudentem ad opinionem commovere, quamvis ipse objectivam inanitatem eorum motivorum perspiciat ; — repugnat — vel repugnaret — Deum aliquid *ut sibi probabile* affirmare quod sit falsum, transeat. — Sub data distinctione nego consequens et consequentiam. — Non magis affirmaret Deus illud, quod ut probabile affirmat hagiographus, esse sibi, Deo, probabile, quam affirmat se, Deum, nescire utrum Paulus aliquem baptizaverit, *I Cor.*, 1, 16.

attingi poterit quid revera affirmaverit (1). Etenim ad determinandum quid præcise in aliquo libro vel parte libri affirmetur, ratio habenda est non tantum paucorum verborum, quibus aliqua propositio materialiter constat, subjecti nimirum, attributi et verbi copulativi, ut puta : homo erat quidam dives, qui quotidie splendide epulabatur, — quasi hae omnes propositiones prout ibi materialiter jacent, tales quales necesssario affirmatæ existerent, sed verba illa reponenda sunt in toto suo contextu, tum litterario, tum historico, tum immediato, tum mediato ; seu ratio habenda est omnium adjunctorum, in quibus verba illa fuerunt scripta : hæc enim omnia adjuncta possunt etiam ipsa aliquid consignificare, seu possunt vario modo determinare sensum a scriptore intentum. Ita v. g., ut unum exemplum afferamus, si dicerem : « Opinione mea, Petrus jam non diu vivet », misere me intelligeres si verba illa ultima : « Petrus jam non diu vivet », per se sola sumeres qua enuntiationem irrestrictam et absolutam Petrum jam non diu posse vivere. Etenim, habita ratione eorum verborum, quæ in contextu immediato præcedunt, np. « opinione mea », patet illud quod revera de instantia mortis affirmavi, nihil esse quam probabilitatem ; verba hæc sic essent exprimenda : *probabiliter* Petrus jam non diu vivet.

10/ Dicitur : illa *omnia quæ affirmat vera* esse debent. Unde minime statuitur s. Scripturam referre *omnem veritatem* de omni re ; patet enim sufficere ut nihil falsi dixerint, dum potuerunt auctores sacri et multa alia

---

(1) Jamdiu enim novimus non esse s. Scripturam omnino manifestam nec cujuslibet esse eam facile intelligere ; contrà eam esse valde obscuram in multis locis. — Unde patet iterum momentum omnium regularum interpretationis quas tradunt hermeneuticæ, tum rationalis, tum christiana, tum catholica, — pro triplici nempe indole librorum sacrorum, quatenus sunt et humani, et divinitus inspirati, et Ecclesiæ interpretandi et custodiendi commissi.

non referre (1). — Neque statuitur auctores sacros circa ea quæ referunt debuisse habere et referre *perfectam et completam notitiam*; nihil impedit quominus circa varias res locuti fuerint indeterminate et approximative (2). Uno verbo, thesis nostra statuit absentiam erroris, non omnimodam perfectionem veritatis.

(1) Thesis statuit inerrantiam *ipsorum librorum* sacrorum, non vero inerrantiam *lectorum*, sive immediatorum, sive mediatorum. Quod utique patet; sed si illud attenderetur, a quot objectionibus contra veritatem Scripturarum abstineretur! — Sane repugnat hagiographum tali modo scripsisse ut lectores, secundum rectas regulas interpretationis, in errorem induci *necessario debuerint*; hoc enim idem est ac affirmare errorem (3); sed non repugnat quominus ita scripserit ut lectores plus minusve obvie *potuerint* male intelligere et de facto, iuvantibus sæpe aliis adhuc rationibus, male intellexerint (4); hoc enim casu vitium, si vitium sit, esset referendum non in *res* quæ affirmantur, nihil enim erronei affirmasset auctor, sed in *modum* res illas exprimendi (5).

---

(1) Cfr *Jo.*, xx, 30 s.; xxi, 25.

(2) Ita quod multiplicationi panum adfuerint *circiter* 5000 virorum; quod hydriæ in Cana Galilææ capiebant singulæ metretas *binas vel ternas*, etc.

(3) Ita si *intendens* dicere Petrum esse vivum, dicerem: « Petrus est mortuus », et in tali contextu litterario et historico ut lectores vel auditores debeant intelligere eum esse mortuum, tunc, quidquid affirmare intenderim, de facto *affirmavi errorem*. — De quo ut unum exemplum demus, non valemus inerrantiam s. Scripturæ salvare in sententia satis vulgata quæ tenet *Mt.*, xxiv, 15-20 intelligenda esse de eversione Jerusalem anno 70, et vv. 21 ss. de fine mundi. Nimis enim evidens videtur v. 21: *Erit enim tunc tribulatio magna*... reddere rationem monitionum præcedentium; iamvero erroneum est exhortari [illegible] mundi tanta erit tribulatio.

(4) [illegible] s. Scriptura occurrunt; ut puta plura dicta Jesu, uti: *Solvite templum hoc*...; *Lazarus dormit*...etc.

(5) Unde de difficultate, quæ exhinc moveri forte posset contra inspirationem s. Scripturæ, agendum esset eo loco Introductionis [illegible] modum.

12. Dicitur : ea omnia quæ *auctor sacer affirmat*. Porro omnia quæ hucusque diximus pleno jure applicabis iis rebus quæ, proprie loquendo, auctor sacer non ipse affirmat sed quæ, tamquam dicta, aut scripta, aut firmo judicio judicata, aut opinata, aut exspectata, etc. — sive ab aliis quibuslibet, sive a seipso, — sive in præterito, sive in præsenti, sive in futuro, — refert seu citat et certo quodam gradu tamquam vera approbat sicque sua facit. — Quam quæstionem de sic dictis *citationibus*, quæ merito haberi potest tamquam prima quædam applicatio specialis doctrinæ generalis quam exposuimus, non est hujus loci ex professo tractare (1).

Scholion : *de modo loquendi* seu *terminologia* in re nostra.

1° Quod nos dicimus et explicamus vera esse debere ea omnia quæ, omnibus inspectis, *in libro affirmantur*, alii alio modo sic dicunt : vera esse debent quæ auctor sacer intendit seu *voluit affirmare*. Cave enim ne hæc intelligas quasi illi auctores agerent de *intentione seu voluntate mere interna*, agunt enim contra de intentione qualis *externe*, omnibus inspectis, *sese prodit*. Revera qui omnibus inspectis aliquid in libro suo vere affirmare apparet, quod a parte rei falsum est, ille omnino *errare* dicendus est, quantumvis forte interne aliud dicere intenderit. Intentio enim interne retenta et externe non manifestata sensum verborum quæ externe proferuntur nullatenus mutare aut determinare valet (2).

2° Quod alii dicunt : vera esse debere ea quæ auctor intendit *docere*, — vel : *affirmare tamquam vera*, — vel :

---

(1) Interea cfr. quæ scripta sunt apud *Collat. Brugen.*, t. XIV, pp. 511 ss.

(2) Unde si, per hypothesim cum inspiratione incompossibilem hagiographus, per lapsum calami, qui legenti non posset apparere, puta omittendo particulam negativam (ut scribendo : *omnes morientur*, pro : *non omnes morientur*) posset in libro suo affirmare illud quod interne negare intendit, — verum esse deberet *illud quod sic scriberet*.

*enuntiare judiciis categoricis*, etc. : cave ne hæc omnia intelligas quasi distinguendum esset inter affirmationes et affirmationes, quasi nimirum dari possent affirmationes, ut puta quædam minores, aut accessoriæ, aut obiter dictæ, inerrantia non donatæ. Satius omnino judicamus ab iis formulis abstinere.

3° Ut monuimus supra, sub tertio, satis solent auctores, distinctione facta inter errores *formales* et errores *materiales*, dare errores materiales posse in s. Scriptura occurrere ; eodem sensu alii solent concedere *non* omnia in s. Scriptura esse *eodem modo vera* ; item inerrantiam s. Scripturæ non esse *absolutam*, sed *relativam tantum*. Quæ omnia, modo debite intelligantur, possunt dici et admitti ; ast iterum satius erit pro posse hujusmodi distinctiones vitare, utpote quæ suspiciones et ideas falsas ingerere natæ sunt circa consectarium illud inspirationis, quod est inerrantia. Melius ducimus errorem omnem negare, veritatem asserere semper eamdem, inerrantiam affirmare absolutam et perfectam, iisque, quæ tamquam errores materiales allegantur vel tamquam relative tantum vera etc., denegare nomen erroris. Quod optime fieri poterit dummodo error definiatur modo quem in ipsa thesi descripsimus (1).

A. Vander Heeren.

---

(1) Ita dicere *a*/ verba Jesu : *Deus facit solem suum oriri*, quæ verba secundum apparentias externas phænomenon naturale referunt, quin ullatenus intendatur has apparentias externas cum realitate objective esse identicas, — vel *b*/ verba Jesu: *Ego sum vitis, vos palmites*, quæ verba metaphorico sensu tantum, non proprio intenduntur, — vel *c*/ verba quæ leguntur in *Psalmo XIII* : « *Non est Deus* », quæ nullatenus sunt affirmatio quædam auctoris sacri, sed impii relata ab hagiographo, — dicere hæc omnia et alia similia esse *errores materiales*, non placet ; melius videtur sine ulla restrictione dicere auctorem sacrum *nequaquam errare*.

# Acta SS. Congregationum (1)

## E S. Congr. Rituum

### NAGPOREN.

CIRCA CALENDARIUM PROPRIUM RELIG. CONGREGATIONUM (2)

Rmus Dnus Episcopus Nagporensis sacrorum Rituum Congregationi reverenter exposuit sequentia, nimirum :

In decreto S. R. C. diei 28 februarii 1914 ad II, circa Festa localia quæ a Religiosis recoli debent, legitur : « Congregationes seu Instituta utriusque sexus a S. Sede approbata et sub regimine unius præsidis generalis constituta, si ad recitationem Officii divini teneantur, proprium pariter habeant Calendarium ».

Quæritur :

I. An per Congregationes seu Instituta supradicta intelligantur etiam Congregationes clericorum qui divini officii recitatione non obligantur nisi ob receptos ordines sacros seu maiores ?

II. An qui pertinent ad præfatas Congregationes seu Instituta, Orationi *A cunctis* addere valeant nomen Patroni præcipui propriæ Religionis, in ecclesia ubi Missam celebrant, post recitatum nomen Sancti titularis eiusdem ecclesiæ ?

III. An sacerdotes dictæ Congregationis seu Instituti habentis Calendarium proprium, et qui, ubi rectores et capellani regulariter addicti sunt sacro ministerio alicuius ecclesiæ seu sacelli, teneantur recolere *cum octava* Sanctum titularem et dedicationem ecclesiæ cathedralis nec non Patronum principalem loci seu diœcesis ?

---

(1) Pius PP. XI in epist. apost. 24 aug. 1926, *s. Joannem a Cruce*, confessorem ex ordine Carmelitarum excalceatorum, *doctorem* Ecclesiæ universalis renuntiavit (*Acta Apost. Sedis*, XVIII (1926), p. 379 s.

(2) *Acta Apost. Sedis*, XVIII, p. 321 s.

Et sacra eadem Congregatio exquisito atque audito specialis Commissionis suffragio, re sedulo perpensa, rescribendum censuit.

Ad I. *Affirmative* in omnibus.

Ad II. *Negative* sine speciale Indulto Apostolico.

Ad III. *Negative ;* seu sine octava, iuxta Rubricas.

Atque ita rescripsit ac declaravit, die 14 maii 1926.

---

# E S. Congr. de Seminariis

EPISTOLA AD RMOS ORDINARIOS, DE CATECHETICA DISCIPLINA IN SACRIS SEMINARIIS IMPENSE EXCOLENDA (1).

Ad regnum Iesu Christi, Servatoris nostri, in terris instaurandum, nulla res plus confert, ex ipso divino instituto, quam eximia sacerdotalis ordinis sanctitas et doctrina. « Causæ profecto graves, et omnium ætatum communes, decora virtutum multa et magna in sacerdotibus postulant : veruntamen nostra hæc ætas plura quoque et maiora admodum flagitat » (Leo XIII, Enc. *Etsi nos*, 15 febr. 1882).

Cum autem idonei altaris ministri et studiosi animarum curatores nequeant evadere nisi, qui, in sacris Seminariorum septis adolescentes, ad omnem virtutis et scientiæ decorem rite instituantur, Sancta Sedes Apostolica sapientissimas edidit leges de huiusmodi institutis, quorum cum statu ipsa Ecclesiæ fortuna coniungitur maxime.

Nos quidem omnia, quæ de hæc re statuta sunt, ab omnibus, quorum interest, religiose servari confidimus ; sed unum est maximi momenti et ponderis, quod universos sacrorum Antistites diligenter attendere percupimus, idque spectat *ad rationem seu methodum christianæ doctrinæ tradendæ*.

Codicis iuris canonici canone 1365 § 3 præscribitur ut in cursu theologico, qui saltem integro quadriennio debet contineri, « habeantur etiam lectiones de Theologia

---

(1) *Acta Apost. Sedis*, XVIII (1926), p. 453 s.

pastorali, *additis practicis exercitationibus præsertim de ratione tradendi pueris aliisque catechismum* ».

Quam congruenter quamque necessario hæc præcipiantur, facile intelliget quisquis animadvertat officium docendi christianam plebem, quo tenentur sacerdotes omnes, præsertim curiones, omnium officiorum primum esse et maximum : ex eius enim observatione aut neglectu salus vel ruina animarum magna ex parte pendet. Apertum notumque est gravissimum Benedicti XIV, sapientissimi Pontificis, effatum : « Illud affirmamus magnam eorum partem, qui æternis suppliciis damnantur, eam calamitatem perpetuo subire ob ignorantiam mysteriorum fidei, quæ scire et credere necessario debent, ut inter electos cooptentur » (*Inst. XXVI*, 18).

Hinc, ex iuris canonici præscripto, debet parochus, ut gravissimum impleat officium suum de catechetica populi christiani institutione, pueros ad sacramenta Pœnitentiæ, Confirmationis et Eucharistiæ rite suscipienda præparare, eosque, postquam primum Sancta de altari libaverint, uberius ac perfectius excolere, item fidelibus adultis catechismum, sermone ad eorum captum accommodato, explicare (can. 1329-32).

Huiusmodi autem officio ceteros presbyteros, atque etiam clericos, teneri, constat ex sequenti : « Presbyteri aliique clerici, nullo legitimo impedimento detenti, proprio parocho in hoc sanctissimo opere adiutores sunto, etiam sub pœnis ab Ordinario infligendis » (can. 1333 § 2). At, cum rudium præsertim et imperitorum institutio de rebus altissimis, sermone ad eorum captum accommodato, res sit perdifficilis æque ac pernecessaria, ideo ad tantum opus diuturna ac prorsus diligens adhibenda est præparatio. Hæc fieri debet in sacris Seminariis : ad hoc enim sunt ipsa constituta. Ut autem munus docendi christianum populum rite et fructuose quis obeat, non sufficit præparatio doctrinalis, quæ in veritatem tradendarum cognitione versatur quæque fit per studium sacræ theologiæ, præsertim dogmaticæ, sed requiritur etiam illa quæ dicitur *didascalica*, ad modum pertinens quo veritates tradi debent, eaque fit tum per congrua præcepta tum per practicas exercitationes.

Ad rem Summus Pontifex Pius X in memorabili Encyclica *Acerbo nimis* (15 apr. 1905) : « Facilius longe est reperire oratorem, qui copiose dicat ac splendide, quam catechistam, qui præceptionem habeat ex omni

parte laudabilem. Quamcumque igitur facilitatem cogitandi et loquendi quis a natura sit nactus, hoc probe teneat, numquam se de christiana doctrina ad pueros vel ad populum cum animi fructu esse dicturum, nisi multa commentatione paratum atque expeditum. Falluntur sane qui plebis imperitia ac tardidate fisi, hac in re negligentius agere se posse autumant. E contrario, quo quis rudiores nactus sit auditores, eo maiore studio ac diligentia utatur oportet, ut sublimissimas veritates, adeo a vulgari intelligentia remotas, ad obtusiorem imperitorum aciem accommodet, quibus æque ac sapientibus, ad æternam beatitudinem adipiscendam sunt necessariæ ».

Quæ cum ita sint, Amplitudinem tuam enixe rogamus ut hoc iuris canonici præceptum vehementer urgeas operamque des ut in Seminario tuo impense excolatur disciplina catechetica ; quam ob rem magister theologiæ pastoralis prælectiones de ratione doctrinæ christianæ tradendæ frequentes habeat, et clerici ipsi ad tantum opus sese practice exerceant, sive in Seminario, sive in ecclesiis, prout prudentia suaserit.

Hæc sunt, Amplissime Præsul, quæ ad te, sicut et ad ceteros sacrorum Antistites, habuimus hac de re scribere. Placet litteram nostram absolvere verbis. quibus Summus Pontifex Leo XIII Episcopos Peruviæ simili in casu hortabatur : « Hæc si præstabitis et clerus florebit honore suo, et Ecclesiæ laus manebit, quæ semper optimorum studiorum fautrix et altrix est habita vereque habenda est. Vobis præterea idonei homines præsto erunt, qui, vocati in partem ministerii vestri, magno vobis erudiendis populis pietatique fovendæ usui futuri sint et adiumento ». (Breve *Inter graves*, 1 maii 1894).

Interim Deum, benignum bonorum omnium largitorem, humiliter adprecamur ut et cunctosque fideles, pastorali sollicitudini tuæ concreditos, uberrimis cælestis gratiæ auxiliis munerari dignetur.

Romæ, ex Secretaria S. Congregationis Seminariis et Studiorum Universitatibus præpositæ, die 8 septembris an. 1926.

Amplitudini tuæ addictissimus in Domino

CAIETANUS Card. BISLETI, *Præfectus*.

# Kerkfabrieken

De kerkbedienden en de pensioenwetten. — Inlichtingen.

De kerkbedienden vallen ofwel onder toepassing der algemeene pensioenwet van 10 december 1924, ofwel onder toepassing der bijzondere pensioenwet voor bedienden (10 maart 1925).

Volgens de ministerieele onderrichtingen komen onder de categorie *werklieden* : luiders, stoelzetters enz. ; onder de categorie *bedienden* : de kapelmeesters, orgelisten, klerken, zangers en (zooals het in 't meerendeel der parochieën van ons bisdom het geval is) de kosters, die een dezer ambten bekleeden te zamen met dit van koster (1).

De reglementen van de algemeene pensioenwet van 10 dec. 1924 moeten toegepast worden op al diegenen die behooren tot de eerste categorie (pensioen van 720 fr.). Op de tweede categorie echter moeten de voorschriften van de wet van 10 maart 1925 toegepast worden.

De algemeene pensioenwet is verplichtend sedert 1 jan. 1926 ; de bijzondere wet voor bedienden wordt verplichtend van af 1 jan 1927. Doch de stortingen die in art. 4, 1°, voorzien zijn, moesten reeds in 1926 geind worden, en aan de algemeene spaar- en lijfrentkas overgemaakt (art. 57, wet van 10 maart 1925).

---

(1) Het blijft twijfelachtig tot welke categorie de kosters behooren, die alleen het ambt van koster uitoefenen en dus terzelfdertijd het ambt van kapelmeester, orgelist of zanger niet uitoefenen. Het « Vakverbond der kerkbedienden » rangschikt ze bij de werklieden, en de « Dienst voor maatschappelijke voorzorg » schijnt die zienswijze te deelen. Doch, aangezien de bijzonderste taak van den koster is, den priester bij te staan in 't toedienen der H^e^ Sacramenten en in 't uitoefenen van den eeredienst, schijnt zijn werk in eerste lijn van verstandelijken aard te zijn. *Praktisch* mag de kerkfabriek op hen de algemeene of de bijzondere wet toepassen naar goeddunken. In ons bisdom echter worden *al* de kosters, ook in de steden waar ze enkel het kostersambt uitoefenen, als *bediende* aangezien. Hetzelfde geldt voor de onderkosters.

Voor wat betreft de inschrijving in de pensioenkas, en het opmaken en opsturen der stortingskaarten (witte kaarten, die in *alle posterijen* te verkrijgen zijn), moet men te werk gaan zooals voor het algemeen ouderdomspensioen. Indien de koster-orgelist reeds ingeschreven is bij eene gewone pensioenkas, dient het nummer waarop hij in die pensioenkas ingeschreven is, als nummer voor zijne stortingskaart als bediende. Er moet dan geene nieuwe aanvraag om nummer gedaan worden. Voor hen die nog niet ingeschreven zijn, moet een aanvraag om nummer gedaan worden bij het beheer der lijfrentkas te Brussel. Bij de aanvraag moet een geboorteakte gevoegd worden, die te dien einde kosteloos door het stads- of gemeentebestuur wordt afgeleverd.

De koster-orgelist moet 3 % van zijn maandelijksch loon afstaan en de kerkfabriek moet er 5 % bijleggen (1).

(1) Pensioen der Bedienden. — Tabel der maandelijksche stortingen.

| Betaalde bezoldiging | Persoonlijke storting 3 % | Werkgevers-bijdrage 5 % | TOTAAL FR. |
|---|---|---|---|
| 124 en min | 3.50 | 6.50 | 10.00 |
| 125 tot 149 | 4.00 | 7.00 | 11.00 |
| 150 tot 174 | 4.50 | 8.50 | 13.00 |
| 175 tot 199 | 5.50 | 9.50 | 15.00 |
| 200 tot 224 | 6.50 | 10.00 | 17.00 |
| 225 tot 249 | 7.00 | 12.00 | 19.00 |
| 250 tot 274 | 7.50 | 13.50 | 21.00 |
| 275 tot 299 | 8.50 | 14.50 | 23.00 |
| 300 tot 324 | 9.50 | 15.50 | 25.00 |
| 325 tot 349 | 10.00 | 17.00 | 27.00 |
| 350 tot 374 | 10.50 | 18.50 | 29.00 |
| 375 tot 399 | 11.50 | 19.50 | 31.00 |
| 400 tot 424 | 12.50 | 20.50 | 33.00 |
| 425 tot 449 | 13.00 | 22.00 | 35.00 |
| 450 tot 474 | 13.50 | 23.50 | 37.00 |
| 475 tot 499 | 14.50 | 24.50 | 39.00 |
| 500 tot 524 | 15.50 | 25.50 | 41.00 |
| 525 tot 549 | 16.00 | 27.00 | 43.00 |
| 550 tot 574 | 16.50 | 28.50 | 45.00 |
| 575 tot 599 | 17.50 | 29.50 | 47.00 |
| 600 tot 624 | 18.50 | 30.50 | 49.00 |
| 625 tot 649 | 19.00 | 32.00 | 51.00 |
| 650 tot 674 enz. | 19.50 | 32.50 | 53.00 |

Door *loon* dient hier verstaan te worden : vaste jaarwedde en casueel, gerekend volgens het barema der kosters door de bisschoppelijke overheid per brief van 15 dec. 1925 als minimum vastgesteld.

De werklieden ten dienste eener kerkfabriek storten maandelijks 3 fr. ; de kerkfabriek moet er 3 fr. bijvoegen.

Het is de kerkfabriek die de afhouding doen moet bij de eerste betaling van *elke* maand. De kerkfabriek moet insgelijks de stortingskaart opmaken, de *zegels* koopen, plakken en vernietigen en de kaart bewaren. De zegels worden vernietigd door den datum met de pen erop aan te teekenen.

De kaart moet, in de maand die *volgt* op de geboortemaand van den bediende, opgestuurd worden naar het beheer der lijfrentkas door toedoen van het postbureel ; en voorop moet er een *nieuwe* stortingskaart opgemaakt worden door de fabriek (1).

De zegels moeten op de kaart aangebracht worden *binnen de 8 dagen*, die volgen op den dag waarop de bezoldiging uitbetaald wordt.

Voor diegenen die den 65-jarigen leeftijd *overschreden hebben* moeten er geene afhoudingen meer gedaan worden, noch een werkgeversbijdrage ten voordeele *van den belanghebbende gestort.*

J. Brys.

(1) Voor al de kerkbedienden die onder de toepassing van beide wetten vallen, zullen dus in 1926 twee kaarten moeten worden opgemaakt.

# Notæ bibliographicæ

**Braun**, **J.** (S. J.). *Handlexikon der katholischen Dogmatik.* Freiburg im Br., Herder, 1926. — In 8, x 356 p. — Pr. 8.50 mk.

Libenter commendamus hoc lexicon prorsus novum, in quo brevioribus articulis continentur præcipua capita doctrinæ catholicæ, necnon notiones theologiæ imprimis dogmaticæ ; nunc enim donec alia hujusmodi opuscula de materia philosophica, exegetica, canonica vel alia, confici potuerint, hinc inde, quamvis pauca, referuntur quæ ad tales materias magis directe spectant. Systematicam theologiam dogmaticam, utut brevissimam, non exhibet præsens lexicon, sed potius de singulis dogmatibus et doctrinis theologicis ea tradit, quæ videntur essentialia : quid scilicet doceat revelatio, quonam modo hæc sit obvie intelligenda et explicanda, quænam sint veritates connexæ, quænam præcipua facta historica, quæ ad dogmata aut theologiam faciunt. Omittit igitur disputationes et controversias, quas in omnibus libris dogmaticis invenire licet ; hæ nihilominus breviter notantur, remissive ad libros manuales quam plurimos, ab auctoribus præsertim germanicis, conscriptos.

Opus collective concinnatum fuit a professoribus valkenburgensibus : R. P. J. Braun, cujus nomine editur, agit de doctrina sacramentali ; R. P. K. Brust de matrimonio, dogmatice simul ac canonice ; R. P. A. Deneffe de sacramento pœnitentiæ ; R. P. H. Dieckmann de revelatione, Ecclesia et sacra Scriptura ; R. P. Fr. Hürth de dogmatica et morali ; R. P. H. Lange de fide et gratia ; R. P. H. Lennerz de Deo, de creatione, incarnatione, redemptione, eschatologia. Solidam igitur scientiam invenire est in hoc opere, et si non omnes explicationes æque placeant, maximam talis lucubrationis utilitatem nemo negabit ; multum enim importat in doctrinis tam variis et tam arduis, ut vera rite proponantur, falsa debite excludantur, certa ab incertis aut dubiis clare secernantur. Addamus hoc lexicon multa cura fuisse editum ; signo « sagittæ » in textu ad quæstiones connexas aut explicationes ulteriores sæpius remittitur ; tabula tandem terminorum latinorum magnam facilitatem affert theologis, qui secundum mentem Ecclesiæ (1), studiis suis sacris in libris latine conscriptis incubuerunt.

---

(1) Pius PP. XI, *Epist. apost.* « Officiorum omnium », diei 1 aug. 1922, de seminariis et studiis clericorum, apud *Collat. Brugen.*, XXII (1922), p. 355 s.

**Gredt, J.** (O. S. B.). *Elementa philosophiæ aristotelico-thomisticæ.* 4ª ed. Friburgi Br., Herder, 1925-1926. — Duo vol. in 8, XXIV-504 et XVIII-466 p. — Pr. 23 mk.

Sæpius jam laudata fuere hæc « Elementa » R. P. Gredt, philosophiæ professoris in collegio S.-Anselmi de Urbe, et jure merito quoniam in iisdem accurate et clare exponitur universa philosophica disciplina ad mentem s. Doctoris Communis, quem principem et ducem in hisce studiis Ecclesia sæpius et solemniter proclamavit.

In primo volumine habet A. in prima parte *logicam*, quam dividit in *materialem* et *formalem* ; in altera parte *philosophiam*, quam vocat *naturalem*, et quam dispescit in generalem et specialem. In generali tractat *de ente mobili generatim* : quærit scilicet quid sit ens mobile, deinde disputat de proprietate entis mobilis, quæ est motus. In speciali agit de ente mobili *in specie*, nimirum : de cœlo et mundo seu de ente mobili *motu locali* ; postea de generatione et corruptione seu de ente mobili *motu alterationis* ; tandem de anima, seu de ente mobili *motu augmentationis*, et postquam dixit *de anima in communi*, speciatim tractat *de anima vegetativa, sensitiva, intellectuali*, necnon *de ortu* viventium.

In altero volumine exponit A. *metaphysicam*, et quidem primo metaphysicam *generalem*, quæ tractat *de ente* immateriali in genere, videlicet de ente *in se* considerato et de ente considerato prout est *in intellectu humano* seu *de veritate logica* ; deinde habet metaphysicam *specialem*, quæ agit *de ente creato* et de *ente increato* seu *Deo*, cujus existentia probatur atque essentia necnon attributa tum entitativa tum operativa explicantur. Sequitur *ethica* cum trita divisione : ethica *generalis*, quæ dicit de fine hominis, de voluntario, de actu morali, de regula moralitatis seu de lege, de passionibus et habitibus moralibus ; ethica *specialis* seu *jus naturæ*, ubi dicitur de jure generatim, deinde de jure individuali et de jure sociali.

Hæc omnia problemata concinne sed dilucide rimatur cl. A., ut principaliora quædam, quæ ad intellectum aliarum quæstionum magis faciunt, penitius perstringat, servata semper genuina terminologia et solida doctrina Scholæ. Neque tamen ignorat placita scientiæ omnino modernæ ; ita v. g. agens de constitutione materiæ et microstructura, scientiam experimentalem et recentiora tradita ad trutinam philosophicam revocat ; disputans de valore et objectivitate cognitionis humanæ, non omittit ea quæ scientiis experimentalibus et psychologia, quam experimentalem appellant, subministrantur ; rursus in ea parte philosophiæ naturalis quæ de anima tractat, earumdem scientiarum naturalium præcipua capita doctrinæ non solum indicat sed de iisdem philosophice investigat.

In hac quarta editione, ad singulas theses adjunctæ sunt disputationes in forma scholastica, quæ quum in stricta forma syllogistica proponantur, maximæ certo sunt utilitatis ad mentem philosophiæ tironum excitandam, ut veritatem profundius penetrare et accuratius intelligere valeant. Hasce igitur institutiones philosophicas R. P. Gredt, revera optimas, nitide adhuc litteris excusas et dispositione typographica valde claras, libenter commendamus.

**Jatsch, J.** *Das Evangelium der Wahrheit und die Zweifel der Zeit.* 2 u. 3 Ausgabe. Freiburg im B., Herder, 1926. — In 8, VIII-479 p. — Pr. 9 mk.

In hoc volumine eximius A., professor theologiæ pastoralis et prædicator Universitatis pragensis, sub forma homiliarum in evangelia dominicalia, præcipuas exponit veritates religionis catholicæ simulque confutat objectiones contra fidem, quas antiquior jam rationalismus et recentior etiam laïcismus hisce nostris diebus magis movent. Pauca seligimus capita doctrinæ ab A. tractata ; primo, quæ magis doctrinam catholicam proponunt eamque indirecte vindicant, ut puta : de Jesu fundatore religionis catholicæ, de primatu romani pontificis, de valore animæ humanæ, de providentia divina, de sacerdotio catholico, de apostolatu laïcorum ; deinde alia quæ falsas ideas modernas potius convellunt : de miraculo et legibus naturæ, de matrimonio civili, de schola neutrali, de morali laïcali, de pacifismo christiano, de religione et politica etc. Hæc omnia solide et concinne, clara methodo, cum vero zelo animarum proferuntur ; optimum itaque sui generis conscripsit eximius A. opus apologeticum, quod vere exhibet « evangelium veritatis » et simul dubia nostri temporis prorsus propellit.

**Lennerz, H.** (S. J.). *Natürliche Gotteserkenntnis.* Stellungsnahme der Kirche in den letzten hundert Jahren. Freiburg im Br., Herder, 1926. — In 8, VIII-253 p. — Pr. 8 mk.

In hoc opere cl. A., nunc professor theologiæ dogmaticæ in universitate gregoriana, Romæ, non agit generatim de cognitione naturali, quam habemus de Deo, sed uti pars altera tituli satis indicat, magis speciatim examinat quomodo hoc ultimo sæculo se habuerit Ecclesia relate ad hanc quæstionem ; quid scilicet in hisce materiis, tam intime nexis cum revelatione prohibuerit aut damnaverit, quid declaraverit aut imo definiverit. Scopus adeoque A. non est integrum præbere conspectum totius problematis de cognitione naturali Dei, sed mentem potius declarare Ecclesiæ, ita tamen ut, quamvis prætermittantur omnia quæ ex sacra Scriptura, Patribus et theologis afferri possent, nihilominus ipsa doctrina catholica dilucide proponatur atque via plana sternatur ad caute ambulandum inter multas tendentias et theorias modernas, in quibus falsa et vera sæpius permiscentur. Cum hoc scopo A. successive tractat de doctrina damnata E. Bautain, de rationalismo et semirationalismo, de traditionalismo, de ontologismo, de difficultatibus in Universitate lovaniensi sæculo superiore exortis, de concilio vaticano et tandem de erroribus a Leone XIII ad Pium XI proscriptis. Hæc omnia delineantur breviter sed liquido, cum adjunctis historicis simul quæ doctrinam illustrare nata sunt, itaque a lectoribus minime etiam theologiæ peritis intelligi possunt. Attamen et theologis perutile conscripsit A. opus, quoniam in appendice subjunguntur

omnia documenta scitu necessaria ad mentem Ecclesiæ rite perspiciendam. Documenta eduntur, numero triginta quatuor, quorum duodecim nostram Almam Matrem spectant ; proferuntur autem in textu originali, quod omnino laudandum, indicatis in notis simul variis fontibus e quibus depromuntur (1). Cum hoc opere igitur R. P. Lennerz, non solum dilucidum et solidum conspectum historicum harum quæstionum habet studiosus lector, sed adhuc optimum instrumentum ut suam opinionem sibimet ipse efformare et vindicare valeat.

**Mattiussi, G.** (S. J.). *Les points fondamentaux de la philosophie thomiste.* Turin, Marietti, 1926. — In 8, XII-394 p. — Pr. 25 fr.

Nous avons rendu compte, il y a quelque temps (2), de l'ouvrage du R. P. Hugon, dominicain : « Principes de philosophie. Les vingt-quatre thèses thomistes » ; nous sommes heureux de pouvoir signaler aujourd'hui à l'attention de nos lecteurs l'ouvrage du R. P. Mattiussi, jésuite, professeur à l'Université grégorienne, à Rome : « Les points fondamentaux de la philosophie thomiste », qui est également un commentaire des vingt-quatre thèses approuvées par la s. Congrégation des Etudes (27 juillet 1914).

La traduction française de l'ouvrage italien (3) du R. P. Mattiussi, est l'œuvre de M. l'abbé Jean Levillain, docteur de la Grégorienne ; le R. P. Mattiussi s'y intéressa jusqu'à ses derniers moments († 11 mars 1925) ; il a notamment relu et approuvé le chapitre qui traite de l'essence et de l'existence et y a même ajouté une ou deux additions assez importantes ; nous pouvons dès lors être sûrs que l'aphorisme bien connu : « traduttore traditore » ne se vérifie pas ici. Le traducteur remarque dans son Avant-propos que le R. P. Mattiussi, longtemps professeur de sciences en Espagne, en Istrie et à Rome, successeur du Card. Billot dans la chaire de théologie dogmatique à la Grégorienne, était bien placé par ses polémiques, ses études et ses relations, pour connaître exactement les maux de la pensée contemporaine et leur origine. On a dit que S. S. Pie X l'avait pris comme collaborateur pour la rédaction de l'encyclique « Pascendi » ; il est certain que le P. Mattiussi ne se contenta pas de dénoncer les erreurs modernes ; il voulut les combattre et à cette fin écrivit son fameux ouvrage : « Il

(1) Hi sunt præcipue Acta Gregorii XVI et Pii IX, Acta Sanctæ Sedis, Collectio lacencis, Constitutiones concilii vaticani, Acta Apostolicæ Sedis. — Uti satis notum est, plura hujus generis documenta, sed in casu non omnia, reperire licet in *Enchir. symbolorum, definitionum et declarationum*, quod apud Herder prius edidit H. Denzinger, deinde C. Bannwart et postea J. B. Umberg, S. J.

(2) *Collat. Brugen.*, XXIII (1923), p. 88.

(3) *Le XXIV tesi de la filosofia di s. Tommaso d'Aquino approvate dalla s. Congregazione degli Studi*, Romæ, 1917. — Secunda ed. recenter apparuit cura Universitatis gregorianæ.

veleno Kantiano » (1). On rapporte également, et M. Levillain le dit encore dans son Avant-propos, que le R. P. M. travailla à la rédaction des vingt-quatre thèses thomistes ; chargé d'en faire un commentaire, il publia d'abord sous forme d'articles dans la « Civiltà cattolica », puis en volume, l'ouvrage aujourd'hui traduit en français.

Dans la préface de cette édition française, le R. P. M. indique lui-même le *but* de ce livre : « Ce n'est pas un exposé complet de la doctrine de s Thomas ; ce n'est pas un cours de philosophie thomiste ; c'est une déclaration succincte de quelques points fondamentaux de la métaphysique du s. Docteur ». La *division* de l'ouvrage est commandée par les vingt-quatre thèses : métaphysique générale (th. 1-6) ; cosmologie (th. 7-12) ; psychologie (th. 13-21) ; théodicée (th. 22-24). L'édition française, plus claire à ce point de vue que le texte italien, comporte en outre une division en quatorze chapitres avec sous-titres ; en règle générale, chaque chapitre sert de commentaire à plusieurs thèses, de sorte que le sujet moins morcelé puisse être traité avec plus d'ampleur ; néanmoins certaines thèses plus importantes : la première qui expose les notions d'acte et de puissance, la deuxième qui traite de l'acte, infini par lui-même, et de la puissance limitatrice ; encore les dernières (21-24) consacrées à l'étude de la volonté, de l'existence de Dieu, de l'essence divine, de Dieu être suprême, ont chacune pour commentaire un long chapitre. Impossible de donner le détail de pareil ouvrage ; il est une vaste synthèse de la théorie de l'*acte* et de la *puissance* : après avoir analysé ces deux *notions* et avoir établi les *principes* certains fondés sur leurs raisons formelles, l'A. étudie d'abord l'*application* de ces principes dans l'ordre universel *d'être* ; il montre ensuite leur fécondité dans les différents ordres particuliers : être *créé*, être *corporel*, être *vivant* ; il contemple enfin l'*Etre suprême*, en qui la théorie de l'acte et de la puissance trouve son plein achèvement et sa complète justification. Une brève conclusion, puissamment construite, rend cette synthèse encore plus saisissante et souligne l'entière cohérence du système.

Le traducteur a eu la bonne idée d'ajouter quelques notes, sobres et rares mais extrêmement utiles, afin de rendre la lecture du présent ouvrage plus aisée à qui ne serait pas suffisamment au courant de la terminologie scolastique si précise et si exacte. Nous recommandons chaleureusement l'ouvrage magistral du R. P. Mattiussi aux étudiants ecclésiastiques et aux prêtres, qui désirent approfondir les notions, qui sont à la base de la partie spéculative ou scolastique de la doctrine théologique.

**Van Volckxsom**, **J**. (S. J.). *Qui a raison, catholiques*

---

(1) Voir compte-rendu dans *Collat. Brugen.*, XIV (1909), p. 117 s. ; l'ouvrage du P. M., paru en 1907, avant la condamnation du modernisme, expose les grandes lignes de cette erreur et la caractérise par ce nom *le venin kantien*.

*ou protestants?* Lierre, Taymans, 1926. — In 16, 61 p. — Pr. 1 fr.

Qui ne connaît « Les entretiens apologétiques » si vifs, si alertes, tout remplis de bon sens et de saine doctrine catholique du R. P. Van Volckxsom, un théologien, un apôtre ? « Le club « ni Dieu ni maître », Au bord d'une tombe, La villa « La Providence », Le meeting du défroqué, Un voyage de noces », ont fait du bien aux âmes, battu en brèche plus d'une inepte objection, mis en lumière plus d'une consolante vérité de notre sainte foi. Le nouveau tract du R. P. examine ces trois grandes questions : « Rien que la Bible, L'Église et les églises, la Vierge Marie » ; questions actuelles, s'il en est, étant donné l'effort intense de propagande protestante, qui se manifeste partout sous forme de brochures et de « prédications ».

Les livres, qui contiennent la réfutation des erreurs du protestantisme, sont très nombreux sans doute, mais souvent inabordables au grand public ; l'excellente brochure du R. P. Van Volckxsom, qui est à la portée de tout le monde, fait face au danger actuel ; elle est solide et complète, originale et traditionelle à la fois ; elle expose avec entrain et bonhommie les plus graves vérités : lecture instructive et agréable, *utile dulci*. Une bonne traduction flamande pourrait faire le plus grand bien dans nos régions où le protestantisme tâche de pénétrer également. Nous souhaitons au nouveau tract du R. P. tout le succès, si bien mérité, qu'ont connu ses aînés.

H. Lamiroy.

**Merkelbach, B.-H.** (O. P.). *Quæstiones de castitate et luxuria* (*Quæstiones pastorales, I*). Leodii, La pensée catholique, 1926. — In 8, 103 p. — Pr. 7 fr.

Librum hunc ut primum volumen « *Quæstionum Pastoralium* » clero dedicat auctor ; in hoc libro, ut in limine fatetur, intendit quæstiones quotidianæ applicationis de castitate « ad brevem, claram, summariam simul et completam expositionem reductas » proponere.

Ambæ priores quæstiones propædeuticæ dicendæ sunt ; in priori notiones physiologicæ scitu utiles absque apparatu, at non sine rigore scientifico, methodice exponuntur ; in altera quæstione statim per modum fundamenti statuuntur principia theologica generalia : post enucleatas notiones delectationis, castitatis et luxuriæ, theses struuntur de gravitate luxuriæ, attenta diversa voluntatis habitudine ad luxuriam commissam. Perutilis in ratione methodi videtur iste modus procedendi quo de quantitate peccatorum quæstio solvatur antequam de peccatorum qualitate sermo fiat.

In tertia et quarta quæstione tractat auctor de speciebus luxuriæ tum juxta tum contra naturam : optime hinc inde pressius quasdam definitiones circumscribit. Quinta quæstio procedit de luxuria imperfecta, sexta de luxuria interna. Post hæc volvitur argumentum magis pasto-

rale ; jam antea suæ expositioni subjunxerat auctor quædam monita practica, in septima quæstione autem ex professo inquirit de variis causis et de remediis luxuriæ ; quin longas dissertationes quorumdam modernorum imitetur, nitidis formulis et cum sano moderamine exponit principia de educatione castitatis et de variis officiis confessarii.

De usu matrimonii, per modum appendicis quasi, fit discursus longior, nostris temporibus perfecte accommodatus. Notemus, sensu auctoris, uxorem non peccare si ob causam *mediocriter gravem* viro onanistæ ante seminationem sese retrahenti debitum reddat aut etiam ab eo petat (p. 94) ; quæstionem autem de congressu cum uxore utente pessario vel post copulam fecundationem impeditura, insolutam relinquit.

Laudibus efferri meretur ita analysi subjectum opus R. P. Merkelbach ; scopum suum, ni fallimur, plene obtinet, nec expositio proxime practica avellitur a magis speculativa inquisitione. Nota sua ingenii acuitate et assueta sua expositionis lucididate struit auctor et ordinat logice varias notiones et propositiones ; solerter indicat effata præcipua Doctoris Angelici nec timet aliquando a sententiis sat communiter receptis recedere.

*Quæstiones pastorales* præsenti libro inauguratas, grato animo accipiet iisque libenter studebit clerus noster.

**Fallon, V.** (S. J.) *Les allocations familiales en Belgique et en France* (Etudes morales, sociales et juridiques). Louvain, Desbarax, 1926. — In 8, 236 p. — Pr. 7,50 fr.

Dans ce livre captivant, l'excellent économiste, ardent propagandiste de la Ligue des familles nombreuses, nous explique bien simplement ce que sont les allocations familiales. Dans une première partie il fait l'historique des allocations : il décrit en particulier le fonctionnement et la diffusion actuelle de leur complément nécessaire, les Caisses de compensation. Nous y voyons comment en Belgique pour le moment seul un huitième des salariés se voit payé d'après ce système. La deuxième partie du livre examine le titre à l'allocation ; la troisième définit les tâches urgentes en vue de réglementer et de généraliser les allocations.

Nous ne pouvons reprendre ici le contenu si riche de l'ouvrage ; contentons-nous de signaler sa thèse théologique.

Les allocations familiales, d'après l'auteur, sont de nos jours une nécessité de fait, cela à cause de l'énorme inégalité survenue dans la répartition des charges de famille ; la hausse des salaires ne peut remédier à cette inégalité, seules les allocations proportionnées aux charges de famille peuvent la supprimer. A cette nécessité de fait correspond une nécessité de droit, en d'autres mots, on est obligé de recourir à ce moyen. En effet l'allocation est la contre-prestation d'un apport spécial du père de famille comme tel : au pays le père de famille donne les instruments de sa défense, de sa prospérité et de son

avenir ; aux employeurs publics et privés il fournit des bras. Il s'en suit que l'allocation est un dédommagement dû aux salariés par les employeurs, aux salariés et aux non-salariés par l'état. Cette dette est une dette d'équité ; la sanction du pouvoir pourrait conférer au chef de famille un droit strict à l'allocation. Notons que l'allocation ne nie aucunément le principe du salaire familial absolu ; elle permet cependant une légère réduction puisque le salaire ne devra plus dans la même mesure pourvoir aux charges de famille ; cette réduction servirait à alimenter la Caisse de compensation.

Les théoriciens peuvent ergoter sur le titre à l'allocation assigné ici, mais nul, croyons-nous, ne niera qu'il existe un titre d'équité naturelle et même pour l'état un titre de justice distributive ; la morale chrétienne doit nous pousser à encourager cette réforme dans la répartition des biens. De nos jours le grand ennemi des allocations est l'ignorance ; le livre précis et éloquent du R. P. Fallon aura grandement contribué à la dissiper. Puissent nos patrons catholiques s'en inspirer et adopter cette réforme humanitaire et chrétienne.

**Triebels, L.** *De staatsidee volgens Leo XIII.* Groningen, Wolters, 1925. — In 8, 144 bl. — Pr. 3.90 fl.

De titel van het boek maakt slechts een deel van zijn inhoud kenbaar ; inderdaad na de staatsleer van den grooten Paus vinden we de hoofdtrekken uiteengezet van andere staatstheoriën : de antirevolutionnaire van A. Kuyper, de staatsleer van Hegel, die van de sociologische school en van Duguit. Doch de kritiek van die stelsels dient alleen om de katholieke leer in een voller en heerlijker licht te stellen.

De schrijver is niet een godgeleerde noch een wijsgeer, maar een jurist die aan staatswetenschappen doet. Staande in de huidige reactie tegen het rechtspositivisme, wil hij nagaan welk stelsel uitlegt waar de bindende kracht der staatsverordeningen vandaan komt en zoo de ware staatsidee verdedigt ; door staatsidee verstaat de schrijver het wezen, den oorsprong, het doel, de rol en de bevoegdheid van den Staat.

De katholieke leer, in Leo XIII's brieven neergelegd, wordt goed gevat en duidelijk uiteengezet ; een bijzondere zorg werd besteed aan het omschrijven van de verhouding tusschen Kerk en Staat. Hier komt onze staatsleer volledig tot haar recht en kan men genieten het gezondmenschelijke, het logische, het eenvoudige en toch practisch zoo vruchtbare van dit stelsel. Fijn redeneerend bewijst de schrijver hoe kleurloos daartegenover de andere stelsels aandoen : het wanhopige van Kuypers staatsleer, het nevelachtige zichzelf bewust worden van den Algod bij Hegel, het onvruchtbaar nagaan van het staatsleven bij de sociologische school en het positivisme van Duguit.

Als proeve van wijsbegeerte, van rechtsphilosophie, moet het werk geslaagd heeten ; de katholieke staatsleer echter wordt te veel voorgesteld als de persoonlijke leering van Leo XIII, waar zij feitelijk een bladzijde is van de scholastieke wijsbegeerte door den grooten Paus heerlijk uiteengezet en toegepast op het hedendaagsche staatsleven.

M. De Jonghe.

[**Deleersnijder, R.**] *Bataille's kleine kerkgeschiedenis voor onzen tijd en onze jeugd omgewerkt.* Derde verbeterde uitgaaf. Brugge, Beyaert, 1926. — In 8, 199 bl. — Pr. 10 fr.

Ook onze priesters zullen met genoegen dit vlot geschreven en zoo degelijk ineengestoken handboek « voor onze jeugd » doorbladeren. Ze zullen met mij bekennen dat ze zelden een zoo duidelijk « overzicht » der K. G. te lezen kregen. Bijzonder aangenaam zijn voor ons de vele goed bezorgde bijzonderheden nopens de K. G. van ons land, die 't zij in voetnota's, 't zij soms in afzonderlijke §, op hunne plaats in de algemeene K. G. bijgevoegd worden, en die verre van de eenheid der uiteenzetting te schaden, veeleer helpen een klaarder besef te geven van de ingrijpende werking der Kerk in het leven der volkeren.

R. De Schepper.

**Claeys-Bouuaert** et **Simenon**, *Manuale juris canonici ad usum seminariorum.* Ed. 2a. Gandæ et Leodii, apud auctores in Seminario majori professores, 1926. — In 8, xvi-808 p. — Pr. 35 fr.

Hujus operis editionem primam ante duos annos debitis laudibus celebravimus, et multum lectoribus nostris commendavimus (1). Quam sit optimum hoc manuale satis constat hac altera editione ipsa, quippe quæ tam proxime priorem sequatur ; ab hac autem non differt substantialiter, sed editores rationem tamen habuerunt omnium decretorum, quæ inde a tempore prioris editionis paruerunt.

J. Brys.

# Opera ad redactionem missa (2).

**Amter, E.** *Nieuwjaar.* Karakterspel in een bedrijf. Brugge, « Excelsior », 1925. — In 8, 22 bl. — Pr. 2.50 fr.

**Id.**, *De nieuwe mensch.* Spelletje in 3 bedrijven. Brugge, « Excelsior », 1926. — Pr. 5 fr.

**Astaes, C.** *De wonderlijke dwerg.* Vertelling voor de jeugd. Brugge, « Excelsior », 1926. — In 8, 78 bl.

*Au service de Jésus Prêtre.* Notes intimes tirées des écrits de Mère Louise-Marguerite Claret de la Touche. Vol. II. Les vouloirs de Dieu. Turin, Marietti, 1925. — In 12, viii-351 p. — Pr. 9 lires.

(1) *Collat. Brugen.*, XXIV, p. 496 s.

(2) Operum quorumdam, quæ hîc tantummodo indicantur, recensiones in proximis fasciculis parebunt.

**Bardenhewer, O.** *Der Römerbrief des hl. Paulus.* Freib. i. Br., Herder, 1926. — In 8, VIII-220 p. — Pr. 6.60 mk.

**Beaufays, I.** (O. F. M.) *Comm. des évang. de l'année liturgique.* Bruxelles, Vromant, 1926. — In 12, 199 p. — Pr. 7 fr.

*Bemint elkander.* 30 overwegingen voor de junimaand. Brugge, Beyaert, 1926. — In 24, 134 bl. — Pr. 6 fr.

**Bernadot, M. V.** *De weg naar omhoog.* Averbode, Drukkerij der Abdij, 1926. — In 12, 157 p. — Pr. 3 fr.

**Bernard H.** (S. J.) *Essai historique sur les exercices de s. Ignace.* Museum lessianum, Louvain, Desbarax, 1926. — In 12, VII-264 p.

**Bessières, A.** (S. J.) *On demande des prêtres.* Bruges, Beyaert, 1926. — In 16, 72 p. — Pr. 4 fr.

**Billet, J.** (C. SS. R.). *Le crucifix et l'âme consacrée à Dieu.* 26e éd. Paris, 1926. — In 12, XXIV-526 p. — Pr. 8.50 fr.

**Cipollini, A-D.** *De censuris latæ sententiæ juxta cod. juris can.* Torino, Marietti, 1925. — In 8, VIII-261 p.

**Couty, V.** (S. J.). *Vie de sœur Emilie.* Une âme mystique au temps présent. Museum lessianum, Louvain, Desbarax, 1926. — In 12, X-219 p. — Pr. 6 fr.

**Creusen, J. — Van Eyen, F.** (S. J.) *Tabulæ fontium traditionis christianæ* ad annum 1926. Ed. 2. Museum lessianum, Louvain, Desbarax, 1926.

**Cuthbert** (O. M. Cap.) *Leven van sint Franciscus van Assisië.* Vert. P. Eleutheer van Lichtervelde. Brugge, Beyaert, 1926. — In 8, XII-496 bl. — Pr. 25 fr.

**d'Agnel, A.** *S. Vincent de Paul, « guide du Prêtre ».* Paris, Téqui, 1927. — In 12, 349 p. — Pr. 10 fr.

*De Bonden van het H. Hart.* Verslagboek van 't congres te Brugge 18 juli 1926. Mechelen, Sekr. der Bonden, Merodestraat, 52. — In 12, 155 bl. — Pr. 4 fr.

**Dederichs, W.** *Predigt-Gedanken.* Freib. i. Br., Herder, 1926. — In 8, XII-104 p. — Pr. 1.80 mk.

**de la Salle** (**J. B.**) *Zestien overwegingen over opvoeding en onderwijs.* Brussel, Procure der Broeders, 1926. — In 8, 68 bl. — Pr. 2.25 fr.

**Delmotte, L. — Grégoire, M.** *Homiliaire.* Epîtres des dimanches et fêtes. Bruxelles, Vromant, 1926. — In 12, 195 p. — Pr. 10.50 fr.

**Dubois L.** *Een vlaamsch missionaris in Engelsch-Indië. Pater Herman Kapucien.* Brasschaet, De Bièvre, 1924. — In 8, 192. bl.

**Duplessy, E.** *Retraite de première communion solennelle.* Paris, Téqui, 1926. — In 12, VIII-283 p. — Pr. 7.50 fr.

**Ecker, J.** *Handboek bij de bijbelsche geschiedenis en schoolbijbel.* Brugge, Beyaert, 1926. — In 8, 602 bl. — Pr. 45 fr.

*Een bloem uit Gods mystieke tuinen.* Beknopte levensschets van Fr. Maria-Angelus, O. Cist., Leuven, Vl. Drukkerij, 1926. —In 8, 79 bl.

**Eisenhofer, L.** *Grundriss der kath. Liturgik.* 2-3 ed. Freib. i. Br. Herder, 1926. — In 12, XII-328 p. — Pr. 3.60 mk.

**Fallon, V.** (S. J.). *Sommaire des principes d'économie sociale.* Namur, Wesmael-Charlier, 1926. — In 12, 157 p.

**Fredegand** (O. M. Cap.) *Zeven eeuwen geschiedenis der franciskaansche derde-orde* (1221-1921). Herenthals, Capucienenklooster, 1926. — In 12, 248 bl. — Pr. 6.50 fr.

**Garriguet, L.** *Les deux grandes dévotions de l'heure présente.* (Eucharistie et Sacré-Cœur). Paris, Téqui, 1926. — In 12, VI-192 p. — Pr. 5 fr.

**Gatterer, M.** (S. J.). *Das liturgische Tun.* Grundsätze und Winke. Innsbruck, Rauch, 1926. — In 24, 75 p.

**Gibert, G.** (S. J.). *Les petits chinois ou la Sainte-enfance au vicariat de Nankin.* 2e série. Paris, Téqui, 1926. — In 12, 94 p. — Pr. 2 fr.

**Gorce, D.** *Beatus vir.* Méditation de la loi et du bonheur chrétien. Bruges, Desclée, 1926. — In 12, 200 p.

**Grazioli, H.** *La confessione dei giovanetti.* Torino, Marietti, 1926. — In 12, XI 97. — Pr. 3 lib. ital.

**Hermans W.** *Het bevolkingsvraagstuk in België.* Brugge « Excelsior », 1926. — In 8, 76 bl. — Pr. 4 fr.

**Holemans, F.** *Le saint curé de Thildonck. J. C. M. Lambertz.* Bruxelles, Dewit, 1926. — In 12, 366 p.

**Honnay** (S. J.). *Les cercles sociaux de doctrine catholique.* Louvain, Action cath., 126, rue de Tirlemont, 1926. — In 12, XVI-387 p.

**Joseph a Spiritu sancto.** *Cursus theologiæ mystico-scholasticæ.* Vol. II. Ed. nova a P. Fr. Anastasio a s. Paulo. Brugis, Beyaert, 1926. — In 8, XXXII-794 p.

**Kiroul, P.** *De elfe van het sprookjeshof. — Fikke Spring in 't veld. — Prulleken. — Van 'n kabouter die wilde 'n mensch worden. — Prinses zonnestraal en Tierlafontje. — Van zeven reuzen en een dwerg.* — 6 nummers uit de sprookjes bibliotheek, uitgegeven te Brugge, « Excelsior », 1926.

**Koenig, J.** *Nouveau mois du Sacré-Cœur.* 2e éd. Paris, Téqui, 1926. — In 24, VII-243 p. — Pr. 5 fr.

*La fête et la messe de Jésus-Christ Roi.* Textes liturgiques et doctrine catholique. Paris, Téqui, 1926. — In 12, VII-190 p.

**Lambrette, A.** (S. J.). *Saint Louis de Gonzague.* Museum lessianum. Louvain, Desbarax, 1926. — In 12, 137 p.

*L'apostolat mystique et social des dominicains du XIVe et du XVe siècle.* Malines, Dessain, 1925. — In 32, 513 p. — Pr. 10 fr.

**Laveille, E.** (S. J.). *L'Evangile au centre de l'Afrique. Le P. Van Henxthoven,* S. J. Museum lessianum. Louvain, Desbarax, 1926. — In 8, 401 p.

**Lebeau, E. M.** (S. J.). *Le cantique de l'union à Dieu.* Commentaire du Cantique des cantiques. Bruges, Desclée, 1926. — In 12, 176 p. — Pr. 6 fr.

**Lejeune, P.** *Retraite anecdotique aux premiers communiants.* Esschen, Libr. St-Alphonse, 1926. — In 8, 77 p. — Pr. 2.50 fr.

*Les épîtres de saint Paul.* T. III. Esschen, Librairie St-Alphonse, 1926. — In 8, 269 p. — Pr. 15 fr.

*Lettres spirituelles de s. Anselme.* Bruges, Desclée et Cie, 1926. — In 12, XLVIII-308 p. — Pr. 13.50 fr.

**Lottin, O.** (O. S. B.) *Le droit naturel chez s. Thomas et ses prédécesseurs.* — Bruges, Beyaert, 1926. — In 8, 84 p. — Pr. 10 fr.

**Marchand, A.** (Dr). *Les faits de Lourdes.* Nouvelle série : 1923-1925. Paris, Téqui, 1926. — In 12, XXVIII-290 p. — Pr. 12 fr.

*Maria's deugden.* 31 overwegingen voor de meimaand. Brugge, Beyaert, 1926. — In 24, XII-116 bl. — Pr. 5 fr.

**Marmion, C.** (O. S. B.). *Christus ideaal van den monnik.* Vert. W. Van Neylen. Lier, Taymans, 1926. — In 8, VIII-579 p.

**Merkelbach, B. H.** (O. P.) *Le traité des actions humaines dans la morale thomiste.* Extrait de la Rev. des sc. phil. et théol., XV, 1926. — In 8, 23 p.

**Meschler, M.** *Das Exerzitienbuch des hl. Ignatius.* Freib. i. Br., Herder, 1926. — In 12, XXXII-372 p. — Pr. 5 mk.

*Missieklokje* (Het). Maandschrift voor kinderen. Beheer en redactie, Antwerpen, Oever, 12, — Abonnement 3.25 fr., postch. n. 97886 der Procuur van de franciskaansche missies te Antwerpen.

Dit klein maandschrift beslaat 12 bl. gedrukt in 2 kleuren en is met nette missieclichés versierd ; een tijdschrift voor de missievriendjes, zooals « Zonneland » het weekblad is voor de kruistochterkens. Zijn Eminentie Kard. Mercier keurde ten volle dit tijdschrift goed en schreef bij zijn goedkeuring : « Geen beter middel om de kinderen te doen vorderen in de liefde tot Jezus, Koning der zielen, dan bij hen achting op te wekken voor hun broertjes en zusjes in de missies, hun te spreken over het verheven werk der missionarissen, hun bewondering in te boezemen voor die helden, hen aan te sporen om ze te helpen door hunne kleine giften ».

**Pesch, Chr.** (S. J.). *Disputationes recentiores et decreta de inspiratione SS.* Freib. i. Br., Herder, 1926. — In 8, VIII-92 p. — Pr. 3 mk.

**Pichenot** (Mgr). *L'évangile de l'Eucharistie.* 7e éd. Paris, Téqui, 1925. — In 12, XLIII-401 p. — Pr. 10 fr.

**Plus, R.** (S. J.) *Eigen met God.* Vert. P. Eleutheer, O. M. Cap. Brugge, Beyaert, 1926. — In 24, XX-112 bl. — Pr. 4.50 fr.

**Poppe, E.** *Onderhoudjes over de liturgie.* Averbode, Drukkerij der Abdij, 1925. — In 8, VIII-246 bl.

**Premoli, O. M.** (Barnab.). *Storia eccl. contemporanea* (1900-1925). In 8, XI-496 p. — Pr. 25 lib. ital.

**Prudentius,** (O. F. M.) *Aan de kruistochters. — H. Paschalis Baylon, patroon der euch. werken.* — In 32, 24 bl.

**Pyck, J.** *Doodensymboliek als leermiddel.* Leuven, Vl. Boekenhalle, 1926. — In 8, XII-194 bl. — Pr. 7 fr.

**Reatz, A.** *Jesus-Christus.* Sein Leben, seine Lehre und sein Werk. 2-3 ed. Freib. i. Br., Herder, 1925. — In 8, XIV-396 p. — Pr. 10.50 mk.

*Rituale Romanum.* Supplément avec chants. Tournai, Desclée, 1926. — Pr. broché 21 fr.

**Romeis, K.** (O. S. F.). *Prinzessin Anna von Preuszen.* Ihr Weg zur

katholischen Kirche. 2-3 ed. Freib. i. Br., Herder, 1925.—In 8, x-154 p. mit 3 Bildern. — Pr. 4 mk.

**Roupain, E.** (S. J.) *Sur les pas de Jésus.* Réflexions et lectures. 1e et 2e série. Tournai, Desclée, 1926. — In-18, 600 et 692 p. — Pr. 7.50 et 8.50 fr. avec maj. provisoire de 40 p. c.

**Rousseau, Fr.** *Moines bénédictins martyrs et confesseurs pendant la révolution.* Abbaye de Maredsous, 1926. — In 12, XIV-390 p. — Pr. 15 fr.

**Salsmans, J.** (S. J.). *Plichtenboekje voor ziekenverpleging.* Leuven, Vl. Drukkerij, 1926 — In 18, 76 bl.

**Schilling, O.** *Christliche Gesellschaftslehre.* (Schriften zur deutschen Politik, h. 11-12). Freib. i. Br., Herder, 1926. — In 8, 116 p. — Pr. 2.50 mk.

**Schryvers, J.** (C. SS. R.). *De goede wil.* Vert. P. L. De Bast. 3e uitg. Esschen, St-Alfonsusboekhandel, 1926. — In 24, 192 bl. — Pr. 3,50 fr.

**Schuster-Holzammer.** *Handbuch zur biblischen Geschichte.* II B. Das Neue Testament, bearbeitet von Dr J. Schäfer. Freib. i. Br., Herder, 1926. — In 8, xx-784 p. mit 15 Tafeln, 55 Bildern im Texte und 2 Karten. — Pr. 22 mk.

**Sebastiani, N.** (Barnab). *Summarium theol. mor.* 7 ed. maj. Torino, Marietti, 1924. — In 8, 404 p. — Pr. 10 lib. ital.

**Id.**, *Sum. theol. mor.*, 7a ed. minor. — In 24, 657 p.

**Silvio Pellico.** *Mijn gevangenissen.* Vertaald en bewerkt door V. De Byser en R. Buckinx. Brugge, « Excelsior », 1926, — In 12, 125 bl. — Pr. 8 fr.

**Struyf, I.** (S. J.). *Kongoleesche geestesverhalen.* Brugge, « Excelsior », 1926, — In 8, 102 bl. — Pr. 5.20 fr.

**Tobac, E.** *Les cinq livres de Salomon.* Collection Lovanium VI. Bruxelles, Vromant, 1926. — In 12, 217 p. — Pr. 11.20 fr.

**Tricerri, D. M.** (O. P.). *Il canti divini.* Vol. I. Torino, Marietti, 1925. — In 8, XXIV-428 p. — Pr. 20 lib. ital.

**Van Houtryve, I.** (O. S. B.). *Via vitæ.* I. Bruxelles, Action catholique, 1926. — In 12, 216 p.

**Verheyen, J.** *Hoe ons jongens hun soldatendienst voorbereiden en doormaken.* Lier, Van In, 1926 — In 18, 96 bl. — Pr. 2.50 fr.

**Vermeersch, A.** (S. J.). *Beoefening en leer van de godsvrucht tot het H. Hart.* Doornijk, Casterman. — In 24, 447 en 321 bl. — Pr. 8 fr.

*Vie de la Rév. Mère Saint-Augustin.* Fondatrice des sœurs de Marie-Joseph pour les prisons. Paris, Téqui, 1925. — In 8, 230 p.

**Werrebrouck, A.** *Heropbeuring der godsdienstigheid.* Brugge, « Excelsior », 1926. — In 8, 39 bl. — Pr. 2 fr.

**Willam, Fr.-M.** *Tempelreinigung.* Pilgerbuch für Zeit und Ewigkeit. Freib. i. Br., Herder, 1925. — In 8, VIII-120 p. — Pr. 3.40 mk.

**Wintersig, A.** (O. S. B.). *Die Väterlesungen der Breviers.* III Abt. Sommer- und Herbstteil. B. XV in « Ecclesia Orans ». Freib. i. Br., Herder, 1926, — In 18, XI-312 p.

# INDICES

# I

# INDEX ARTICULORUM

## Documenta romana (1)


**Acta Pii PP. XI** Pag.

1925 dec. 11. *Litteræ encyclicæ* de festo D. N. J. C. Regis instituendo . . . . . 3
» » 25. *Constitutio apostolica* extendens jubilæum ad orbem catholicum . . . . . 19
1926 feb. 28. *Litteræ encyclicæ* de sacris missionibus provehendis 105
» apr. 30. *Litteræ encyclicæ* de s. Francisco Assisiensi . . 193
» jun. 13. *Epistola apostolica* de s. Aloysio Gonzaga . . 289
» aug. 24. *Epistola apostolica*, qua s. Joannes a Cruce renuntiatur doctor Ecclesiæ universalis, [citatur in nota] . . . . . 485

**E Supr. S. Congr. S. Officii**

1926 jun. 19. * De crematione cadaverum . . . . . 423

**E S. Congr. de disciplina sacramentorum**

1925 nov. 10. * *Ultrajecten.* De patrinis baptismatis . . . . 359
1926 maii 3. * *Romana et aliarum.* De celebratione Missæ domi præsente cadavere . . . . . 430

**E S. Congr. Concilii**

1926 jul. 1. * Litteræ circulares de sacerdotibus extra diœcesim se conferentibus. . . . . 426

**E S. Congr. de Propaganda fide**

1926 apr. 4. Statuta et favores piæ unionis cleri pro missionibus 362

**E S. Congr. Rituum**

1925 nov. 6. *Popayanen.* Dubia varia soluta . . . . . 279
» dec. 9. * Dubium de forma paramentorum . . . 181
» » 11. Dubia de responsoriis et evangelio dominicæ . 281
1926 apr. 23. Dubia circa imaginem ss. Cordis in altari ss. Sacramenti . . . . . 432
» » 28. Dubia circa consecrationem generis humani ss. Cordi . . . . . 433
» maii 14. *Nagporen.* Circa calendarium proprium religiosarum congregationum . . . . . 485


(1) Decreta, quæ asterisco * notantur, in hoc periodico adnotationibus illustrantur.

Pag.

**E S. Congr. de Seminariis et Univ. studiorum**

1926 sept. 8. Epistola ad Ordinarios de catechetica disciplina in Seminariis impense excolenda . . . . . 486

**E S. Pœnitentiaria apostolica**

1925 dec. 21. Dubium circa coronas ex vitro confectas . . 187

**E pont. Commissione ad interpret. can. Codicis**

1925 jul. 29. Responsa ad proposita dubia. . . . . 364

—

# Conferentiarum quæstiones et responsa.

## E s. Scriptura N. T.

Explicatio Ps. LXVIII, *Salvum me fac Deus* . . . . . 30
Explicantur Ps. LXVIII, vv. 23-29 . . . . . 58
Interpretatio Ps. LXXXI, *Deus stetit in medio deorum* . . . 122
Interpretatio Ps. LXXXVI, *Fundamenta ejus in montibus sanctis* . 140
In Lc., XV, 1-10 homilia . . . . . 214
In Lc., V, 1-11 homilia . . . . . 242
In Lc., XVI, 1-9 homilia . . . . . 301
In Lc., XIX, 41-48 homilia . . . . . 322
In Lc., XVIII, 9-14 homilia . . . . . 369
In Jo., IV, 46-53 homilia . . . . . 398
In Jo., I, 19-28 homilia . . . . . 447

## E s. Theologia dogmatica.

### *E tractatu de Deo elevante.*

De elevatione et lapsu angelorum . . . . . 34
De existentia angelorum custodum . . . . . 61

### *E tractatu de novissimis.*

Doctrina catechismi de morte . . . . . 125
De judicio particulari . . . . . 143
De existentia purgatorii . . . . . 220
De pœnis purgatorii . . . . . 247
De beatudine cœlesti . . . . . 306
De inæqualitate gloriæ cœlestis . . . . . 326
De dotibus corporum sanctorum resurgentium . . . . 375

### *E tractatu de Verbo incarnato.*

De necessitate incarnationis . . . . . 402
De mysterio incarnationis . . . . . 451

Pag.

## E s. THEOLOGIA MORALI.

### *E tractatu de baptismate.*

De unione materiæ et formæ in baptismate . . . . . 407

### *E tractatu de ss. Eucharistia.*

Casus de viatico suscipiendo . . . . . 457

### *E tractatu de pœnitentia.*

De absolutione indirecta a peccato. . . . . 39
De sigillo sacramentali . . . . . 128
Casus de absolutione sacramentali. . . . . 405

### *E tractatu de matrimonio.*

Casus de impedimento criminis . . . . . 227
Casus de impedimentis consanguinitatis et affinitatis . . . 311
Casus de impedimento cognationis spiritualis . . . . 385

### *E tractatu de virtute religionis.*

De modo observandi festa . . . . . 64, 147
De principio : officium pro officio . . . . . 252

### *E tractatu de castitate.*

De choreis recentioribus. . . . . 328
De interrogatione impuberum circa impudicitiam. . . . 381

### *E tractatu de indulgentiis.*

De altaris privilegiati indulgentia . . . . . 44
De via crucis . . . . . 131, 230
De exercitio viæ crucis . . . . . 313
De altari et missa gregorianis . . . . . 388
De crucifixo viæ crucis . . . . . 461

## E s. LITURGIA.

De manipulo . . . . . 53
De pluviali . . . . . 166
De bireto. . . . . 265
De nominando « beato N » in oratione « A cunctis » . . . 342
De obligatione ritualis romani . . . . . 412

## E JURE CANONICO.

De portione parœciali . . . . . 83, 138
De ecclesia funeris . . . . . 236
De obligatione ritus sepulturæ sacræ . . . . . 317
Réparations au presbytère . . . . . 394
De prohibitione librorum . . . . . 467

Pag.

KERKGESCHIEDENIS.

De Kerk van België onder 't hollandsch bewind . 75, 156, 258, 334
Het apollinarisme . . . . . 408

—

## Dissertationes.

De jubilæo anni 1926 . . . . . 88
De honestate, consectario inspirationis. . . . . 172, 346
De synodo diœcesana . . . . . 269
De inerrantia s. Scripturæ . . . . . 470

—

## Analecta ascetica et mystica.

Excerpta e sermone Odonis Canthuariensis de assumptione s. Mariæ . . . . . 26
De supernaturali contemplatione divina acquisita et stricto sensu infusa : quomodo inter se differant . . . . . 441

—

## Consultationes.

De portione parœciali . . . . . 188
De via crucis . . . . . 418

—

## Kerkfabrieken.

De kerkbedienden en de pensioenwetten. — Inlichtingen . . 489

—

## Libri dijudicati.

AXTERS, H. Lager onderwijs en onderwijzerspensioenen . . 190
BEAUFAYS-MALHERBE. Homiliaire . . . . . 192
BEELEN, Jo.-Th. De handelingen der Apostelen (aangeteekend door A. VANDER HEEREN) . . . . . 101
BITTREMIEUX, J. De meditatione univ. B. M. V. quoad gratias . 435
BRAUN, J. (S. J.). Handlexikon der kath. Dogmatik . . . 492
BUYSSE, P. Vers la foi cath. II. Jésus devant la critique . . 103
CLAEYS-BOUUAERT et SIMENON, Manuale jur. can. 2a ed. . . 500
COCCHI, G. Comm. in codicem juris canonici. Lib. v. . . . 368
COTEL, P. (S. J.). Catéchisme des vœux. 29e éd. . . . . 288
CREUSEN, J. (S. J.). L'extension du jubilé en 1926. . . . 104
» Religieux et religieuses d'après le droit eccl. 3e éd. 287
DEVROY, P. Moderne opvatting van het patronaat. . . . 440
De weg ter wijsheid . . . . . 368
De wijngaard van Brugge. — Het brugsch begijnhof . . . 366
[DELEERSNIJDER, R ] Kleine kerkgeschiedenis, 3e uitg. . . 500
DEZUTTERE, K. Het gemeentelijke belastingswezen . . . 190
DIECKMANN, H. (S. J.). De Ecclesia. Vol. I-II . . . . 189

Pag.
ESSER, FR.-X. (S. J.). Schepter en sleutel. Vert. V. M. DILLEN (O. P.) . . . . . 367
FALLON, V. (S. J.). Les allocations familiales . . . . . 498
FRUTSAERT, E. Handboekje voor geloofsverdediging. 3e uitg. . 102
GILSON. E. Thomas d'Aquin . . . . . 286
GODTS, F.-X. (C. SS. R.). Marie, complément de la très s. Trinité 283
» Du consentement virginal ou du « fiat » de la corédemptrice . . . . . 283
GREDT, J. (O.S.B.). Elementa philosophiæ aristotelico-thomisticæ 493
HENRICUS A S. FAMILIA. (O. C. D.). Compendium philosophiæ scholasticæ . . . . . 366
JANSSENS, AL. (C. I. C. M.). Het ontstaan der dingen in de folklore bij de Bantu's . . . . . 439
JATSCH, J. Das Evangelium der Wahrheit . . . . . 494
JOMBART, E. (S. J.). Le jubilé universel de 1926 . . . . . 104
LENNERZ, H. (S. J.). Natürliche Gotteserkenntnis. . . . 494
LERCHER, L. (S. J.). Institutiones theologiæ dogmaticæ. Vol. III. 437
LIPPERT (S. J.). Van ziel tot ziel . . . . . 367
MACAIGNE, R. La création . . . . . 102
MAHIEU, J. De jubelaflaat van 1926 . . . . . 366
MARTIN, R. M. (O. P.). Pour s. Thomas et les thomistes . . 283
MATTIUSSI, G. (S. J.). Les points fondamentaux de la philosophie thomiste . . . . . 495
MEERSDOM, C. (C. SS. R.). Zieleleven voor studenten . . . 367
MERKELBACH, B.-H. (O. P.) Quæstiones de castitate et luxuria . 497
MOHR, H. In Gods zonneschijn . . . . . 104
» Als de ziele luistert . . . . . 104
MULDERS, A. Van den eenen God . . . . . 439
PLUS, R. (S. J.). In Christus Jezus. Vert. P. ELEUTHEER VAN LICHTERVELDE . . . . . 104
PRIMS, FL. De sociaal-economische geschiedenis van België. . 286
ROELANTS, (S. J.). Het boek Isaïas (BEELEN, O. T., 5e deel, n. 1) 101
SURMONT, A. (C. I. C. M.). Bij Jezus . . . . . 366
THOMAS (sanctus). In metaphysicam Aristotelis comm. Ed. 2a taurin. . . . . 284
TRIEBELS, L. De Staatsidee volgens Leo XIII . . . . . 499
VANDEN BULCKE, A. Zwarte helpers . . . . . 367
VANDER MEERSCH, J. De kath. leer over het kerkelijk gezag . 287
VAN NOORT-VERHAAR. Tractatus de sacramentis. Vol. II . . 285
» » Tractatus de Deo redemptore. Ed. 4a . 190
VAN VOLCKXSOM, J. (S. J.). Qui a raison, catholiques ou protestants ? . . . . . 496

## Opera ad redactionem missa.

Opera, quæ hoc anno ad redactionem missa fuere, necdum speciali ratione dijudicata, indicantur . . . . . 500

# II.

# INDEX ALPHABETICUS

**Affinitas**. Casus de impedimento affinitatis, 311.

**Aloysius Gonzaga**. Epistola apostolica, diei 13 junii 1926, altero exeunte sæculo, a decretis Aloysio sanctorum cœlitum honoribus, 289 ss.

**Altare**.

*Gregorianum*, brevis historia, 388 ; notio et efficacia 389 ; altaria gregoriana ad instar, 390.

*Privilegiatum* pro defunctis, 44 ; ejus notio, 45 ; pretium, 45 ; divisio in locale et personale, 46 s. ; conditiones requisitæ ex parte altaris, 49, ex parte celebrantis, 50 et ex parte missæ 52 ; notæ circa onera perpetua pro altaribus privilegiatis, 52 et circa exonerationem ac stipendium missæ celebrandæ in altari privilegiato, 52.

**Angelus**. Patet revelatione *factum elevationis* angelorum ad ordinem supernaturalem, 34 s. ; revelatione pariter *de lapsu multorum* constat, 37 s. — Doctrina Ecclesiæ, 38 s.

Existunt *angeli custodes*, ut revelatione probatur, 61 s. ; est dogma stricte dictum, 62 ; ulterius determinatur quid tenendum de angelis tutelaribus quoad singulos *fideles* aut *infideles*, 63 et adhuc quoad quosdam *cœtus*, imprimis quoad Ecclesiam, 64.

**Apollinarisme**. De ketterij van Apollinaris, bisschop van Laodicea (361-392), loochende de ware en volmaakte menschheid van Christus, 408.

**Assumptio**, Excerpta quædam ex sermone Odonis canthuarien. de Mariæ assumptione, 26 s. — De actione Mariæ circa Christum, 27 ; de ejus contemplatione, 27 s. — Formula vivendi seu propositum in eodem mss., 29,

**Baptisma**. — Casus de unione inter materiam et formam requisita, 407 s.

**Biretí** origo, 265 ; forma antiqua ejusque evolutio, 265 ; usus antiquus, 266. Quandonam hodie biretum sit assumendum aut prohibeatur, 267.

Breviarium, v. Officium divinum.

**Calendarium**. Dubium solutum a S. R. C., 14 maii 1926, de proprio calendario religiosarum congregationum, 485.

**Canones** novi codicis explicantur : can. 858 § 1, p. 454 ; can. 864 § 2, 3, p 458 et p. 468 ; can. 889 § 2, p. 128 ; can. 890 § 2, p. 130 ; can. 891, p. 131 ; can. 900, p. 364 ; can. 1098, p. 364 ; can. 1100, p. 280 ; can. 1102 § 2, p. 364 ; can. 1216, p. 237 ; can. 1217, p. 238 ; can. 1218, p. 188 et p. 239 ; can. 1234, p. 83 ; can. 1237, p. 83 ss.

**Catechismus**. Epistola S. C. de Seminariis, 8 sept. 1926, de catechetica disciplina in Seminariis impense excolenda, 486.

**Choreæ** facillime peccaminosæ sunt, 329 s. ; in specie choreæ modernæ pro hominibus communiter constituunt periculum proximum gravis peccati luxuriæ, scandali et cooperationis, 331. — Determinantur regulæ practicæ a confessario sequendæ, 332. — Solvitur casus, 333.

**Christus Rex**. Festum D. N. J. C. Regis institutum a Pio PP. XI, per encycl. diei 11 dec. 1925 « Quas primas », 3 ss.

**Cineres**. Dubium de benedictione cinerum, die 6 nov. 1925 solutum a S. R. C., ad IV, 280.

**Cœlum**. *Beatitudo* cœlestis essentialiter consistit in visione faciali Dei, 306 ; doctrina catholica de visione Dei intuitiva, 307 ; in hac visione Deus cognoscitur immediate in se sicuti est, 308 ; munus luminis gloriæ, 308 s. ; objectum visionis facialis, 309 ; Deum non comprehendunt beati seu vident totum Deum, non autem Eumdem totaliter, 310.

*Inæqualitas* gloriæ cœlestis obtinet secundum inæqualitatem meriti, 326 ; diversa est intensitas *ex parte objecti visi* seu Dei possessi 327 ; inde diversitas *ex parte extensionis ad objecta secundaria,* 327 s. ; nulla tamen in cœlis tristitia aut invidia, 328.

**Cognatio spiritualis**. Casus de impedimento cogna-

tionis spiritualis : in baptismo adhibitus est procurator agens ex mandato præsumpto, 385-388 ; v. PATRINUS

**Consanguinitas**. Casus de impedimento consanguinitatis, 312.

CONSECRATIO generis humani, v. COR JESU.

**Contemplatio** divina, acquisita et stricto sensu infusa, utraque *entitative supernaturalis*, 441, inter se *differunt modo*, quo intellectus agit, 441 ; in acquisita scilicet modo *connaturali*, 441 ; in infusa *per novas species infusas*, 442, quin tamen excludatur fides, quæ potius includitur, 443 s. — Doctrina Ruusbrochii hac in materia, 444 s.

**Cor Jesu sacratissimum**.

Missa *votiva* in prima feria sexta : dubium solutum 6 nov. 1925 per decr. S. R. C., ad VIII, 280

De *imagine* ss. Cordis in altari Sanctissimi, decr. 23 aprilis 1926 ejusdem S. R. C., 432.

De *consecratione* generis humani : dubia soluta decr. 28 aprilis 1926 ab eadem S. R. C., 433.

**Coronæ** cum globulis ex vitro solido et compacto, ex decr. S. Pœnit. Apost., 21 dec. 1925, sunt capaces indulgentiarum apostolicarum, 187.

**Crematio cadaverum**. — Dubium de crematione solutum 10 nov. 1925 Comm. Codicis, 365. — Decretum S. Congr. S. Officii, diei 19 junii 1926, de crematione, 423 ss ; explicatur decretum : non prohibentur ritus si quis aliena voluntate sepelitur, 425 ; præsumptio retractationis malæ voluntatis non sufficit ad concedendas exsequias ecclesiasticas, sed requiritur probatio retractationis, 425 ss. ; cineres in loco separato sunt reponendi, 426.

**Crimen**. Casus de impedimento criminis ex adulterio et 1) attentatione matrimonii, 227, et 2) fide data, 229.

CRUCIFIXUS viæ crucis, v. VIA CRUCIS.

**Dotes** corporum sanctorum resurgentium enumerantur *quattuor* in connexione cum textu s. Pauli, 375 ; explicantur : *a/ impassibilitis*, 375 s. ; *b/ spiritualitas*, 378 s. ; *c/ agilitas*, 379 s. ; *d/ claritas* 380 ; breviter proponitur quomodo hæ dotes ad invicem se habeant, 381.

**E**VANGELIUM dominicæ, v. MISSA.

Eucharistia, v. Missa, Viaticum.

**Extranei** sacerdotes, qui scil. sive rusticationis, sive valetudinis causa, extra suam diœcesim versantur, per per litteras circ. S. C. Concilii, die 1 julii 1926, specialibus obligationibus obstringuntur, 426 ; quæ paucis explicantur, 428 ss.

**Festa**. Diebus festis prohibentur : *opera forensia* nisi aliud ferant legitimæ consuetudines aut peculiaria indulta, 147. — De se prohibentur actus judiciales cum strepitu judiciali habiti, 148 ; mercatus publicus et nundinæ, 148 ; aliæ publicæ emptiones et venditiones, 149. Gravitas transgressionis magis pendet a modo agendi et a qualitate operis 150.

*Opera servilia* prohibita distinguuntur ab operibus liberalibus præsertim sua natura et fine operis, 65, attenta simul æstimatione fidelium et consuetudine proborum, 67. — *Finis* prohibitionis est attentio ad divina, 67. — Prohibitio est *gravis ex genere suo*, 68, levitas materiæ determinatur a theologis et a communi fidelium æstimatione, 69 — Dijudicantur *quædam opera* : iter agere, ducere jumenta sive vehicula mercibus onusta, 70, scribere, 71, pingere, delineare, sculpere, opera manualia mulierum exercere, 72, piscari, venari, aucupari, molere, 73, instrumenta pulsare musica et exercere lusus corporales, præparare cibos debitos aut ad usum domesticum, 74, labores leviores aggredi 75. — A labore prohibito *excusat* impotentia absoluta et relativa, ordinis temporalis aut spiritualis, 150 ; excusare possunt cultus Dei, 151, bonum publicum, 152, necessitas propria aut aliena, 152.

**Franciscus Assisiensis**. Litteræ encycl. Pii PP. XI, diei 30 aprilis 1926 « Rite expiatis », septingentesimo ab hujus sancti obitu exeunte anno, 193 ss.

**Funera**. Quid audiat *ecclesia funerans*, 136 ; varii tituli ob quos exsequiæ legitime fieri possint in aliqua ecclesia indicantur, 138 et 237 ; ecclesia funeris pro defunctis intra propriam parœciam determinatur, 237 ; item pro defunctis extra propriam parœciam, 239 ss.

Homiliæ in evang. dominic., v. Scriptura.

Honestas, consectarium inspirationis, v. Scriptura.

**Impudicitia** apud *impuberes* : mensuratur probabilitas

peccati mortalis externi contra castitatem apud impuberes, 382 s. ; statuuntur principia et praxis in interrogatione impuberum servanda, 384.

**Incarnatio.**

*Necessitas* incarnationis explicatur : nulla fuit in Deo necessitas *naturalis*, 402 s. ; nec considerari debet necessitas *coactionis*, 403 ; sed datur necessitas *medii hypothetica*, 403 s. ; nulla vero necessitas *moralis* potest admitti, 404.

*Mysterium* incarnationis. Explicatur incarnationem esse mysterium *stricte dictum*, 451 ; quod probatur sacra Scriptura, 452 ; adhuc Traditione orali, 453 s. ; hæc est etiam communis theologorum sententia, 455 ; doctrina Ecclesiæ de mysterio incarnationis, 455 s.

INDULGENTIÆ, v. ALTARE, CORONÆ, JUBILÆUM, MISSA, PIA UNIO, VIA CRUCIS.

INERRANTIA, v. SCRIPTURA.

INSPIRATIO, v. SCRIPTURA.

JEJUNIUM NATURALE, v. VIATICUM.

**Joannes a Cruce** die 24 aug. 1926 per epistolam apost., Ecclesiæ universalis doctor renuntiatur, 485, n. 1.

**Jubilæum** anni sancti, per Constit. apost. Pii XI, diei 25 dec. 1925, ad orbem catholicum extenditur, 19 ; statuta specialia, 21 s. ; facultates speciales, 22 s. — Facultates paucis explicantur, 96 ss.

Explicatur jubilæi *natura*, 88 ; *extensio* ad totum orbem extra Urbem ejusque suburbium, 89 ; *duratio*, 89 ; *opera præscripta* : confessio et s. Communio, 90, visitationes ecclesiarum, 90 ; *dispositiones peculiares* circa visitationes : pro navigantibus vel iter facientibus, 92 et pro impeditis, 92 ; de visitationibus collectivis, 94 ; preces ad mentem s. Pontificis, 95.

**Judicium particulare**, scil. *retributionis*, cum exsecutione immediata, probatur, tum Scriptura, tum Traditione, 143 s. ; rationes convenientiæ, 145 s. — *Quomodo* judicium privatum sit recte concipiendum et prædicandum, 146 s.

**Kerk van Belgie** onder het hollandsch bewind. Nieuwe verbittering ontstond onder onze katholieke bevolking door de antikerkelijke schoolpolitiek van

Willem, 75 ; vooral door het oprichten van het philosophisch college, 157. Dit laatste belemmerde de besprekingen die leidden in 1827 tot een Concordaat, 258, dat slechts gedeeltelijk uitgevoerd werd, 334.
LECTIO HISTORICA in Brevario, v. OFFICIUM DIVINUM.

**Litaniæ** lauretanæ. Dubium de reiterandis prioribus invocationibus, die 6 nov. 1925 solutum a S. R. C., ad VI, 280.

**Manipulus**, ex specie sudarii decoris gratia adhibendi ortus, 53 ; manu tenebatur aut, mutatus in fasciam, brachio imponebatur, 55 ; ejus materia, forma et ornatus, 56.

**Matrimonium.** Dubium de *forma celebrationis* matrimonii, solutum 10 nov. 1925, a Comm. Codicis, 364 ; item de *Missa* in matrimoniis mixtis, 364 s.

**Missa.**
Dubia de indulgentiis concessis propter devotum *aspectum s. Hostiæ* in Missa, soluta die 6 nov. 1925 a S. R. C., ad I, 279.
Missæ *gregorianæ* : notio et efficacia, 392 ; conditiones, 393.
Dubium de *evangelio* in Missa conversionis et commemorationis *s. Pauli*, 25 jan. et 30 junii, solutum 6 nov. 1925 a S. R. C., ad II, 279. ; de Missa *votiva* in prima feria sexta, ad VIII, 280 ; de *evangelio dominicæ* in fine Missæ, decr. S. R. C., die 11 dec. 1925, ad II et III, 281 s.
Missa *in matrimoniis mixtis* ex resp. 10 nov. 1925 Comm. Codicis prohibetur, 364 s.
Celebratio Missæ *in domo defuncti* præsente cadavere nequit permitti ab Ordinario nisi debitis conditionibus adimpletis et in casu extraordinario, 430 ; hic casus per decr. 3 maii 1926 a S. R. C. determinatur, 431 ; unde decr. 3 apr. 1894 jam revocatur, 431.

**Missiones** Litteræ encycl. Pii PP. XI, diei 28 febr. 1926 « Rerum Ecclesiæ gestarum », de sacris missionibus provehendis, 105 ss. ; v. PIA UNIO.

**Mixta religio**. In matrimoniis mixtis prohibetur quævis missa quæ haberi possit ut complementum cære-

moniæ matrimonialis, ex resp. 10 nov. 1925 Comm. Codicis, 364.

**Mors**. Explicatur responsum catechismi de morte : nimirum nemo natus eam vitare potest, 125 s. et hora mortis incerta, 127.

Mysterium, v. Incarnatio.

Mystica theologia, v. Assumptio, Contemplatio.

**Officium divinum** quale a sacerdotibus sæcularibus recitandum est, 252. — Applicari potest adagium : officium pro officio, si quis inadvertenter vel ex errore pro officio diei aliud recitaverit, 253 s. ; si quis careat officio dicendo vel parte ejus, nec absque proportionato incommodo sibi procurare possit, 256 s. ; si præsto sit rationabilis et mutationi proportionata causa, 257. — Solvitur casus, 257.

Dubium de nona lectione solutum 6 nov. 1925, a S. R. C., ad III, 280 ; dubium de responsoriis primi nocturni, solutum die 11 dec. 1925 ab eadem S. R. C., 281 s.

**Oblationes**. Jure consuetudinario portio parœcialis apud nos desumenda est ex oblationibus incertis quæ ad altare fiunt, 86.

Opera diebus festis prohibita, v. Festa

**Oratio « A cunctis »**. In hac exprimendum est nomen Titularis ecclesiæ, 342, nisi titularis nullus sit, aut non sit sanctus, aut jam sit nominatus, 344. Nunquam nominandus Patronus loci qui non est Titularis, 345.

**Pœnitentia**. — Quid sit in sacramento pœnitentiæ absolutio a peccato directa, 39 et indirecta, 40 ; quandonam usu veniat, 42 ss. — Quid sit faciendum quando, post absolutionem, pœnitens addit peccatum in confessione prætermissum, 405-406 ; v. Sigillum, Reservatio.

**Paramenta liturgica**. In iis conficiendis aut adhibendis non licet, inconsulta S. Sede, recedere ab usu in Ecclesia recepto, ex decr. S. R. C., 9 dec. 1925, 181 ; juxta litteras S. R. C., 21 aug. 1863, quibus debent Ordinarii exponere rationes ob quas indumenta dicta « gothica » introduxerint, 181 s. — Extensio hujus decreti, 182 ; quid sit « usus in Ecclesia receptus », 183 ; præcipuus scopus decreti : inculcare necessitatem

agnoscendi auctoritatem S. Sedis, 184. Indumenta « gothica » jam non provocant « admirationem et perturbationes », 185. Quid egerit recentius S. Sedes, 185. S. Sedi ergo exponantur rationes, 186. Licet usu terere indumenta « gothica » jam confecta, 186 ; v. MANIPULUS, PLUVIALE, BIRETUM.

**Patrinus**. Decr. S. C. de disciplina Sacramentorum, 29 julii 1925, de valore susceptionis per procuratorem ex mandato tantum præsumpto, 359 s. ; explicatur, 360 s.

**Pensioenwetten**. Inlichtingen nopens pensioenwetten en kerkbedienden, 489.

**Peregrini**. Ubinam sepeliri debeant, 239 ; v. FUNERA, EXTRANEI.

**Pia Unio cleri** pro missionibus. Decr. S. C. de Prop. Fide, 4 aprilis 1926 in quo statuta generalia, 362 ; favores spirituales, 362 s.

**Pluviale** seu cappa. Denominationis ratio, 166. Origo, 167 ; usus antiquus et hodiernus, 168. Quoad formam, primitus erat clausum vel apertum, 168 ; munitum, vel non, caputio quod in clypeum seu scutum mutatum est, 169 ; ornatur fascia, fimbriis, 170, fibula, 171. Practice quomodo conficiendum, 171.

**Portio parœcialis**. Ex quibusnam emolumentis sit desumenda, secundum jus commune et secundum jus particulare, 83 ss ; ejus quantitas determinatur, 87 ; cuinam solvenda sit, 138.

PRESBYTÈRE, v. RÉPARATIONS.

**Prohibiti libri**, quinam intelligantur, 467 ; probatur eos esse prohibitos jure naturali, 467 s. ; quonam sensu dicendi sint prohibiti jure divino positivo, 469.

**Purgatorium**.

Explicatur responsum catechismi de *existentia* purgatorii, quod implicat *stadium purgationis subeundæ*, 220. *Probatur* esse purgatorium, imprimis revelatione, scil. ex Scriptura sacra, 222 s. et Traditione orali, 224 s. ; doctrina Ecclesiæ, 221, 226.

Determinantur *pœnæ* purgatorii : scil. prima *damni*, atque hæc explicatur et dicitur quonam assensu quæ hanc pœnam spectant, tenenda sint, 247 s. ; altera pœna *positive inflicta* pariter explicatur, 248 s. ; de *acerbitate* pœnarum purgatorii, 250 ; de earum *dura-*

*tione*, quoad omnes et quoad singulos homines, 251 s.

**Réparations** au presbytère. Notion, 394 ; espèces différentes : grosses réparations, réparations locatives, réparations d'entretien proprement dit, 394 s. ; établissement auquel incombent les réparations du presbytère, 395.

**Reservatio**. Statuit Comm. Codicis, 10 nov. 1925, agi in can. 900 de reservatione ab Ordinario vel *S. Sede* statuta ratione *peccati*, non autem ratione censuræ, 364

Responsaria, v. Officium divinum.

Resurrectio, v. Dotes.

**Rituale romanum** non fuit de præcepto impositum omnibus a S. Sede, 414 ; olim et hodie licet stricto jure adhibere libros rituales antiquios, modo non fuerint mutati, 415, quia non licet receptos libros mutare, 415, nec Rituale romanum derelinquere aut mutare, 416. Ubi novum Rituale inducitur, romanum est de præcepto, 415, et ubique est de consilio et vehementer commendatum, 415. Ritualis rubricæ collective sumptæ sunt præceptivæ, etiam extra sacramentorum administrationem ; quædam tamen sunt directivæ tantum, 417.

Dubium solutum die 6 nov. 1925, a S. R. C., ad V, 280.

Rosaria, v. Coronæ.

**Scriptura sacra.**

Inspirationis consectaria.

*Inerrantia :* in locis authenticis Scripturæ, 471, nullus error inveniri potest, 472 ; in libro suo, 473, nullam rem, 474 ss., nihil omnino, in quavis materia, quod a parte rei sit falsum affirmare, vel quod a parte rei sit verum negare potest auctor Scripturæ, 478 ; sed ea omnia, eo gradu et eo sensu, 479, quo affirmat, 480, vera esse debent, 481. Thesis statuit inerrantiam librorum, 482 ; quid de citationibus, 483. – Scholion de modo loquendi et terminologia, 483 s.

*Honestas*, 172 ; hæc secum fert : 1/ esse honesta ea quæ facienda proponuntur, 173 ss. ; 2/ ea facta pariter quæ in Scriptura relata ab auctore probantur, 176 ss. ; 3/ ipsa scriptio debet esse honesta, 178 ss. — Applicatio sic dictis psalmis imprecatoriis : difficultates, 346 ss. ; solutionum tentamina, 346 ss. – Dicta Ps. LXVIII, 23-29 applicantur, 356 ss.

Interpretatio locorum.

Psalmus LXVIII, *Salvum me fac* . . . . 30
» » VV. 23-29 . . . . . 58, 356
» LXXXI, *Deus stetit in medio deorum* 122
» LXXXVI, *Fundamenta ejus* . . . 140
Luc., V, 1-11 [homilia] . . . . . 242
» XV, 1-10 » . . . . . 214
» XVI, 1-9 » . . . . . 301
» XVIII, 1-14 » . . . . . 359
» XIX, 41-48 » . . . . . 322
Jo., I, 19-28 » . . . . . 447
» IV, 46-53 » . . . . . 398

**Sepultura sacra.**

Responsum Comm. Codicis, 10 nov. 1925, de *deneganda* sepultura ecclesiastica illis qui corpus suum *cremationi* tradi mandarunt, 365.

Dubium de *ritu sepulturæ* solutum decreto S. R. C., 6 nov. 1925, ad VII, 280.

*Ritus sepulturæ sacræ :* statuitur obligatio, 317 ; determinatur obligationis gravitas, quæ est per se gravis, 318 ; subjectum cui hæc obligatio incumbit, 319 ; objectum obligationis seu ea quæ comprehendit obligatio, 320.

**Sigillum.** Obligatio interpretis, 128, omnium ad quos notitia confessionis pervenerit, 128 s., necnon superioris, qui confessiones excepit, respectu gubernationis exterioris, 130 s.

**Statuta diœcesana.** Ratio nominis, 277 ; quænam sit eorum auctoritas, 277 ; sunt perpetuæ constitutiones, 278 ; non tam immutabiles, 278 ; efficacia eorum ac vis differt secundum quod enuntiantur per modum præcepti vel suasionis, 278 ; v. SYNODUS.

**Synodus diœcesana.** Ejus notio, 269 ; tempus convocationis sub antiquo et sub novo jure, 270 ; quinam in genere et in specie competat illa convocatio, 270 ; quinam convocari debeant, 271 ; quinam convocari possint, 272 ; quænam sit forma in convocatione servanda, 272 ; quænam sint negotia in synodo tractanda, 273 ; quænam præparatoria ad synodum sint facienda, 273 ; quænam in ipsa synodosint peragenda, 274 ss. ; quænam sit synodi competentia, 275 ; v. STATUTA.

**Titularis** ecclesiæ quis sit, 343 ; quænam oratoria titularem habeant, 343.

TRICENARIUM GREGORIANUM, v. MISSÆ GREGORIANÆ.

**Via crucis**.

*Constituitur* quatuordecim crucibus, 230, ligneis, 230, rite benedictis, 232, debite affixis, 233, ad aliqualem distantiam, 233.

*Documenta* requisita ante erectionem, 233 ; instrumentum conficiendum post erectionem, 235 ; documenta asservanda, 235.

*Facultas ordinaria* erigendi V. C. penes Fratres minores, 131 s. ; facultas *delegata* pluribus, 132 ; ejus limitatio, 135 ; loca ubi erectio fieri possit, 135.

*Indulgentiæ* exercitio V. C. adnexæ, 313. Conditiones ad eas lucrandas in exercitio singillatim peracto : motus localis, 313 s., visitatio continua 14 stationum, 314, meditatio passionis, 314. Conditiones in exercitio vero collectivo, 315, vel publico, 315, vel communi pro religiosis, 316.

Quid faciendum : si tabulæ pictæ *renovari* debeant, 418 ; si *cruces* ad tempus *auferantur*, 418 ; si cruces *perierint*, 419 ; si via crucis fuerit erecta in ecclesia provisoria an liceat eam *transferre* in ecclesiam definitivam, 420 ; si ecclesia funditus eversa postea reædificatur, quid de via crucis, 421.

*Crucifixus viæ crucis*. Ejus notio, 461 ; conditiones ad crucem benedicendam, scil : facultas, 462, forma benedictionis, 462 s., objectum benedicendum, 463. — Conditiones ad lucrandas ope talis crucifixi indulgentias viæ crucis, nimirum : impedimentum adeundi stationes, 464, manu tenendus crucifixus, 465, meditatio passionis, 466, preces, 466 s.

**Viaticum**. Communio, fracto jejunio naturali, permittitur in periculo mortis, etsi non imminentis, quacumque ex causa procedat, 459, et quidem quotidie, a rite dispositis, 460, idque etiam si jejunium servari possit, 461. — Casus de viatico ministrando infirmo qui mane, periculi inconscius, communicavit, 457 ss.

25321
Collationes Brugenses
v.26
1926
CBPaD

v.26
1926
25321
GRADUATE THEOLOGICAL UNION LIBRARY
BERKELEY, CA 94709

**G.-J. W**... *giques*. Ed.

**J. Van** ... 1924. Maj...

**Id.** *Tra*...

**A. De** ... 1920-1923...

**Id.** *Pr*... Beyaert, ...

**Id.** *He*... VIII-176 h...

**Id.** *De*... Beyaert, ...

**Id.** *De*... In-8, XI-1...

**A. Va**... 1913. In-8...

**Id.** *M*... 1924. — ...

**R. De**... Beyaert, ...

**C. Cal**... Ed. alter...

**Id.** *C*... *bus litur*...

**Van C**... *ecclésiastique*. 2 éd. B... 08 p. Fr. 25.

GTU Library
3 2400 00271 9379

**A. De Meester.** C... nova. T. I (Lib. I, Lib. II, t. 1-6 codicis)... lée et Soc., 1921 et 1923. In-8, 340 et 543 ...

**H. Lamiroy.** *De essentia ss. Missæ sacrificii*, 1919. In-8, XV-536 p. Fr. 10.

**H. Mahieu.** *Probatio caritatis. Meditationes ad usum cleri.* Ed. 3. Brugis, Beyaert, 1923. In-12, XXI-609 p. Fr. 16.

**A. Camerlynck.** *Evangeliorum secundum Matthæum, Marcum et Lucam Synopsis.* Ed. 3. Brugis, Beyaert, 1921. In-8, LXXXV-206 p. Fr. 12.

**Id. — A. Vander Heeren.** *Commentarius in Actus Apostolorum.* Ed. 7. Brugis, Beyaert, 1923. — In-8, 422 p. Fr. 27.

**J. Brys.** *De dispensatione in jure canonico, præsertim apud decretistas et decretalistas usque ad medium XIVs.* Brugis, Beyaert, 1925. In 8, XXXI-275 p. Fr. 20.

---

Opus periodicum COLLATIONES BRUGENSES constat pretio 15 francorum (pro regionibus exteris, 18 fr.).

TYPIS G. BARBIAUX-DE GHESELLE
BRUGIS.

Maii-Junii 1926

# Collationes Brugenses

OPUS PERIODICUM

auctoritate Illmi ac Revmi Episcopi Brugensis

ET OPERA

RR. DD. Professorum Maj. Sem. Brugen.

EDITUM

*Labia sacerdotis custodient scientiam*

MAL., II, 7

TOMUS XXVI

BRUGIS FLANDRORUM

SEMINARIUM EPISCOPALE

MCMXXVI